

HAC NVNC TVTISSIMVS I

BIS



LUCÆ TOZZI  
NEAPOLITANI  
IN  
HIPPOCRATIS APHORISMOS  
COMMENTARIA.  
UBI

Universæ Medicinæ, tūm Theoreticæ, tūm Practicæ  
celebriores Quæstiones perpenduntur, atquè ne-  
dum Recentiorum inventis, sed & genui-  
næ ejusdem Hippocratis menti con-  
gruentes, quām dilucidè  
explicantur.



O P U S

*In duas Partes distributum,*

A C

SUPREMO REGIS A LATERE SENATUI  
D I C A T U M.

P A R S P R I M A.



NEAP. Ex Nova Officina Sociorum  
Dom. Ant. Parrino, & Michaëlis Aloysii Matii. 1693.  
*Superiorum Facultate, & Privilegio.*

Sumptibus Hæledum Cosimi Fioravanti.



*Illusterrimis, atque Amplissimis Viris,*  
**REGIIS A LATERE EPHORIS.**  
REGIAM CANCELLARIAM  
**R E G E N T I B V S.**

*Pborismorum Hippocratis scita  
suis illustrata commentariis è  
prælo in publicum datus, in-  
certus, ac dubius nutabam ani-  
mo, cuius patrocinio illa com-  
mendarem, inauguremque. Scie-  
bam enim bonum felicitatis omen esse, propitio  
a 2 sub*

*sub Auspicio in lucem egredi, atquè ex claritate patrocinii lēta sortiri Alcedonia. Cūm itaque sic bārebam animo, ut borum laborum tutelæ prospicerem, subiit in mentem Græcæ illud Sapientiæ vetustum Oraculum, quo Milesiæ regionis piscatores sese à consimili ambiguitate explicuerunt. Cūm enim bi ex fortuito jactūs eventu forent admodūm solliciti, cuinam pre- v. Val. Max. I. q. de- tiosum illud fortunæ donum deberetur, hoc fuere Oraculi responso commoniti:*

*Sept. Sep.  
c. I.  
Lauret.  
in Thal.  
Plus in  
Sol.*

*Εὐλογε μιλήσου τέπτοδθ πίσι φοῖβον ἐρωτᾶς.  
Ος σοφῆς πάντων πρῶτος, τέττα τέπτοδ δὲ δῆ.*

*Et postquam singuli Sapientes, illud veluti Diis solis debitum, recusassent, ad Apollinem delatum, animorum æstus compescuit, sedavitque protinus discordiarum procellam. Eccuinam solidioris doctrine cœtui, atquè altioris sapientiæ dīκασημε hoc, qualecumque illud sit, laborum meorum munusculum erat potius inaugurandum, quam Vestro inclyto Conventui? cuius sapientiæ claritas illam ipsam prisorum temporum peritiam tribus tantis vincere scicit. Ecquid viritùm de singulis poterit prædicare facundia, atquè egregiis laudibus prosequi, quod ad universum Vestrum Ordinem transfundi non possit? Ecquid de toto Vesiō Amplissimo Confessu recenseri præconii, quod citra palpum ad*

ad singulos non reincident? quippe contextui meritis, ac dignitatis, illustris accessit copulatio, conjunctioque virtutum. Hinc est, ut virtutes singillatim distributæ habeant præconia, junctæ miraculum. An hic audeam illa momenta Justitiae, quibus Vos æquis, probisque facti respectus summâ religione lustratis, ac sapientissimis suffragiis perpenditis, referre? Nihil attentius, ac solertijs requirentes, nisi quod Publicæ utilitatis, ac Regii decoris incrementa, famamq; Vestram possit augere; Unde contingit, ut in bonore sit Vestræ districtio, & equitas plus ameritur. Non leve certè momentum est laudis, inter Juris dicendi salebras, expeditissimo consilio divagari, & glorioius multo ad recti metam contendere, quam Herculeus fuerit labor in conquirendis Abylae, & Calpes, inclyto ausu, confiniis. Quam prefectò arduum est, imò rarus integratatis prodigium, in Justitiæ librandas lancibus ita se gerere, ut nemo audeat nec conqueri, nec accusare, sed (integritate suffragante) veniant de potestate imperata, ut ne quicquam possit reluctari censura. Et de quo verius, ac citrà assentationis officias hoc potest posteritati mandari, quam de vestro scitissimo Prytaneo, cuius sancita, ac placita, sapientie iuxta, probitatis, ac celitudinis, ostentant in-

dicia? Evidèm si uspiam, certè nunc Viros  
babet ex Iberia omni integritate, virtute, ac  
splendore eximios, & ex hac nostra Urbe  
Patritios undequaquè præstantissimos, præclaris-  
que nominibus, ac ditionibus insignitos. Quid  
opus est bīc Vestris gloriis inferere illam Ve-  
strum omnium Providentiam singularem, qua  
bujus Regni clavum moderamini, & custodes,  
laresque Regiae potestatis, nec finitis principales  
proventus pati jacturam, nec subjectos nimis  
oneribus ingravari, providè, ac sapienter ani-  
mo præcipientes, quæ Principis deceant Majesta-  
tem, & quæ bujus Regni expediant sospitati.  
Profectò illa non semel præluxit, cùm absque  
ullo vectigali, aut ne minimo populorum grava-  
mine, plerisque cæteris Provinciis, nedum pro-  
fuso ære, sed auxiliari consilio, per opportunam  
opem attulit, ac veluti coram, Deitatis ad in-  
stār, pluribus interesse, ac prodeesse potuit: Nam  
nihil sanè solidum, ac diuturnum esse potest, si  
præsumptio valet inordinata turbare, nec per-  
peti incolumitate vigere, nisi Providentia per-  
vigliis custodiatur. Sed quis Vestram prætereà  
non est admiratus Providentiam, cùm ex adul-  
terina, & tam in arctum deducta moneta, pro-  
pè jam fuit, ut Regnum totum in suis copiis  
indigum labasceret, ac deperiret; mox eadem  
in

Anno  
Dñi  
1689.

in optimam , prestantemque permutatā , ex tan-  
to cum gaudio exceptā , momento veluti re-  
vivisceret , ac ubique tripudia , exultationesque  
referret . Vestræ etiā Vigilantiae beneficio est  
factum , ut de hoc tam ingenti gaudio posset Res-  
publica gloriari , cum semp̄ Vestrūm omnium  
laudabilis Sollicitudo ad Regnantis gloriam col-  
limarit augendam , ex ad publici commodi tuen-  
dam prosperitatem , adeo accuratē , ex sollicitē  
futura prospicientes , ut Tranquillitatem , ex  
Quietem communem perpetū in animo babue-  
ritis , ex summa felicitate fueritis affecuti , quā  
quisque maximē . Quantā insuper animi Secu-  
ritate , ex constanti Fortitudine , exterritam  
penè Urbem , à formidata Gallorum incursione ,  
Ann.  
Armis , ex Consilio , sub regimine , ac directione 1692 .  
Excellentissimi Comitis Sancti Stephani , Proregis  
vigilantissimi , Vestræ Solertia sublevarit , ex pro-  
cul usque fugatos hostium accessus detinuerit , ac  
veluti formidine viatos , eosdem pepulerit , quis  
est qui nesciat ? Debetur ex Vobis communis  
omnium Incolumitas , Pax , ex Ubertas , ex  
quicquid boni nobis accedit , cum ex simili unā  
Regis , ex Regni jura , sine alterutrius præju-  
dicio , tutati , ne vel leve incommodum , aut  
perturbationem pati permiseritis , id præ oculis  
præprimis habentes , ut ex omnibus rebus  
bus-

humanis nil præclarioris sit à Vobis expetitum;  
nihil præstantius, quam de Rep. benemereri. At-  
què binc profecto factum, ut etiam in exteris  
transfusa Vestrā Sapientia commendatam gloriā  
promeruerit, & indictā regiminis normā glorioſa  
facinora quomodo gerendū ostenderit simul, &  
edocuerit: quamobrem Vestro exemplo explora-  
tum est Politicum illud Arcanum, quod ex cla-  
ritate servientium crescit fama Dominorum, &  
Imperii gubernacula Prudentum Virorum ma-  
turitati commissa adaugent gloriam Imperan-  
tium. Quid dicam igitur de Vestræ Doctrinæ  
præstantia, quā vel ipse illæ omnium Scientia-  
rum inventrices Athene, præ Vestræ Sapientie  
censu, jam propè est, ut se fateantur devictas;  
siquidem ex Vestro peritissimo fonte posset certè  
præclariores doctrinæ baſtus petere Vetus;ti-  
tulos quippè eximiæ Sapientiæ merentur ii, quos  
affiduus Regius cohonestat auditus, nec nisi egre-  
giā præditos esse oportet doctrinā, quos Regia  
sibi ascivit ad Consilium Majestas. Mitto bīc  
recensere illustria Vestræ Eloquentiæ gesta, qui-  
bus Magistratus minores, effuso doctrinæ eloquio,  
condecorastis. Testis est hujus Urbis Curia, in  
qua per onines honorum gradus transgressi, ita  
unusquisque Vestrūm resplenduit, ut illos ipsos  
commendatæ peritiæ Viros, quos jactavit Anti-  
qui.

quitas; Sapientia anteierit, quamvis illi præcesserint documentis. Quamobrem merita verenda Regis nostri Majestas, inter Cordatissimos Vos Epboros cooptavit; nam pompa meritorum est regale judicium, et bonores, quibus principalis Celsitudo sublimat, exerte probant venisse de meritis: ad laudem redundant Regnantis, ubi Dignitates, ac Munera animi dotibus, non personis aptatur. In penetralia certe avite Vestrae gloriae aditum nunc mibi facerem latiorem, nisi me verecundia Vestra, et Epistolaris religio retineret. Hic curules, fasces, trabeas, iugulas, ac innumera etiam Equestris Ordinis insignia producerem, quibus vetusta Gentilitas Vestra fastos illustravit annalium; sed tamen cum Poeta dicam.

.... Nec Origo latet, sed luce sequente  
Vincitur, ac magno gaudet fulsisse Senatu.

Quod si ex claritate Originis luculentior emerget gloria Posterorum, et manantis vene puritas nequit rivulis obnegari, quanto fulgore Vestra Dignitas coruscabit tot, tantisque Virtutum radiis circumfusa? Sed haec missa faciam, et foeliciori lituo concinenda relinquam. Id tandem obnoxie à Vestra Benignitate deprecor, ut bose meas humano superciliosi excipiatis labores, quos Vestro Nomi devovendos consulto putas,

*vi. Valete: Et dum primum incipientis Anni  
diem letis precationibus invicem faustum omi-  
namur, Vobis & renascentem hunc, & succe-  
dentes, Nestoreos, omni ex parte prosperos, ac  
felicies auguror. Neap. Calendis ipsis Januarii.*

1693.

*Vestr. Illustriss. Nomin.*

*Devotiss. seruos  
Lucas Tozzi,*

EMINENTISS. E REVERENDISS. SIG.

L' Heredi di Cosimo Fioravante supplicando espongono & V. Emin. come desiderano mandare alle Stampe una Opera intitolata *il Commento sù gl' Aforismi d' Hippocrate*, del Dottor Fisico Luca Tozzi, supplicano per tanto V. E. darli le solite licenze, e l'havranno à gracia, ut Deus.

*Rev. P. Fr. Mauritius à S. Philippo Carmelita Discalceatus videt, & in scriptis referat. Hac die prima Iulii 1692.*

Ioannes Andreas Siliquinus Vic. Gen,  
D. Eligius Caracciolum C. R. S. Off. Conf.

**E**X mandato Eminentiss. ac Reverendiss. Domini mei Cardinalis Cantelmi Archiepiscopi Neapolitani perlegi Librum, cui titulus: *Commentaria in Aphorismos Hippocratis*, compositum à Domino Doctore Physico Luca Tozzi, & nihil in eo reperi, quod catholicæ doctrinæ, & bonis moribus aduersetur, nihilque inspexi, quod magnam curationem, ac animi modestiam Auctoris non redoleat; imo omnia ad trutinam veritatis revocata, ad corporum emolummentum nedium proficia, sed necessaria pronuncio, quapropter, ut in lucem prodeat dignum judico.

*Ex nostro Collegio Matris Dei. Neapoli 8. Ianuarii anno 1693.*

Ft. Mauritius à S. Philippo Carmelita Descalceatus  
Sacrae Theologiae Lector.

*Vixi supradicta relatione Reverendi Patris Revisoris Imprimatur. Hac die 10. Ianuarii 1693.*

Ioannes Andreas Siliquinus Vic. Gen.  
D. Iannarius de Auria S. Off. Conf. ac Deputatus.

## EXCELLENTISS. SIG.

**L**' Heredi del qu. Cosimo Fioravante supplicando espongono à V. Ecc. come desiderano far stampare i *Commentarii sopra gl'Aforismi d'Hippocrate* del Dottor Fisico Luca Tozzi, supplicano per tanto V. Ecc. à darli le solite licenze, e l'havranno à gratia, ut Deus.

*A. & M. Mag. Doct. Januarius Bisogni videat, & in scriptis referat.*

Carrillo Reg. Soria Reg. Gaeta Reg. Moles Reg.  
Miroballus Reg.

*Provissum per S. E. Neap. die 28. Augusti 1691.*  
Mastellonus,

Spectabilis Reg. Iacca non interfuit.

## EXCELLENTISS. PRINCEPS,

**J**USSU Excellentiarum Vestiarum Librum, cui titulus *In Hippocraticis Aphorismos Commentaria* à clarissimo Luca Tozzi omnigenar eruditio[n]is viro, deque literaria Republica optimè merito, conscriptum, maxima animi voluptate perlegi. Author enim inextricabilibus penè difficultatum ambagibus explanatis, ita Hippocraticam doctrinam illustravit, ut in eo Magni Hippocratis genium, & ingenium admiratus sim. Cumque nihil Regiarum Iurisdictioni repugnans in hoc Libro compererim, nedum publicam lucem, sed immortalitatem prossereri, censeo, si ita tamè videbitur Excellentiarum Vestiarum Neapoli 2. Octobris 1691.

Excell. Vestiarum

*Addictissimus Servus  
Januarius Bisogni.*

*Visa supradicta relatione Imprimatur, & in publicatione  
serpetur Regia Pragmatica.*

Carrillo Reg. Soria Reg. Gaeta Reg. Moles Reg.  
Miroballus Reg. Iacca Reg.

*Provissum per S. E. Neap. die 12. Octobris 1691.*  
Mastellonus.

**A D**

# PHOTEXON

## AD LECTOREM.

Q Uæ nūnc habes, Amice Lector, in Hippocratis Aphorismos Commentaria, fure à me jàm pridèm meis Auditoribus publicis lectionibus ore tradita; cùmque per aliquorum dumtaxat manus versarentur, essentque à plerisque aliis experta, in animum induxi, ut illa publici juris facerem, ac typis evulgarem, datus brevi, Deo favente, reliqua, in totius Operis complementum. Interea his fruere, & Vale.



I N



# IN LIBROS APHORISMORUM HIPPOCRATIS P R A E F A T I O

**H**U I primus de Re Medica scripserit, atque medendi praecepta literis consignaverit, communī voto fertur Hippocrates, patriā Coss, ex familia Asclepiadeorum oriundus, vigesimus à Jove, decimus octavus ab Aesculapio, & nonnus à Chrysamide Rege.

Fuit in Rhetorica Gorgiae Leontini, sui temporis celeberrimi, atquē in Philosophia, eximii Viri Democriti Abderitæ, Auditor; in Medicina verò à Patre suo Heraclide, & ab Herodico Selybriano eductus: sed tamen postea in illa profecit, ac tantam apud omnes adeptus est venerationem, ut nedum Veteribus, immo & Principibus maximo tūm sit habitus in honore, ac Deitatis simulacrum promovererit, sed & nec in posterum nemo uspiam ausus sit illū vel leviter laceſſere, aut ejusdē dīctatis, ne verbo quidēm, contradicere. Quin, & Paracelsus ipse, Priscorum omnium Censor ceteroqui severissimus, eumdem ultrò reveretur, & commendat, ejusque sententias, præsertim aphoristicas, recipit, & interpretari non dedignatur: Quod & Helmontius quoq; passim facit, illumq; rarissimi doni Virum appellat. At magnificentiora de ipso loquutus Macrobius, scribit, tamen fallere, quam falli nescivisse; ut propterea non mirum, si Galenus pluriē veritus non sit illius sententias Dei vocibus equiparare. Sed

Sed si in reliquis suis operibus Divinus planè videatur Hippocrates, procùl dubio in libris Aphorismorum maximus omnino est, & supra humanae mentis aciem se extulis; undè non defuere, qui illos, veluti decreta ex Oraculis deprompta, etiam ad res Theologicas, Morales, ac Politicas, non incongruenter retulerint.

Lixore itaqùe, & malignitate non caret, quod vulgo ex Plinio circumfertur, sententias has in Aphorismis exaratas, ex Tabulis in Aesculapii, Apollinis, ceterorumq; Deorum edibus, affixis, vel ex Biblioteca Cnidia, illum excerptisse: etenim haudquaquam continent Aphorismi nudas, simplicesque Morborum observationes, sed documenta, ac præcepta sane firmissima, que sparsim relata inveniuntur in ceteris ejusdem voluminibus, in quibus summum planè ipsius Auctoris ingenium, maximumque optimarum Artium studium aperiissimè refulget, ut etiam ex observationibus longo usu, atque experientia comprobatis, utilissimas, præclarissimajq; sententias generales colligere sciverit.

Inscribitur Opus hoc Aphorismorum, seu Selectarum Sententiarum: id enim sonat graciè Aphorismus, quod latine Oratio Selecta. Undè Galenus comm. i. pr. Aphor., & comm. 28. secundi, & alibi, Aphorismum, inquit, else sermonem, qui brevissimis verbis omnes rei proprietates explicat, ac circumscribit. Et Philotheus antiquissimus Aphorismorum Interpres subdit, Aphorismum esse sermonem verborum quidem inopem, sensibus autem locupletem. Hinc quanta sit bujus operis præstantia, atque utilitas, quisque facilè conjiciet, cum in eo summa Medicina Capita comprehendantur, & que graviora sparsim alibi Hippocrates edocuit, in hoc uno Opere colligantur, veluti generaliora, ac principaliora Medicina Theorematia: quippe satis is putavit in Arte planè admodum longa, vitâque brevi, utilitatem quarere, tradereq;

ea, qua necessaria forent ad Rem Medicam faciendam,  
non disputandam. Eos] igitur ad genuinam ejusdem  
Auctoris mentem explicare conabimur, potissimum co-  
barenter bis, qua accurata Seculi nostri diligentia de-  
betexit, atq; in lucem protulit, sectantes interea vulga-  
tam Leoniceni e graco Codice versionem, ni tamèn ali-  
cubi Ratio aliter suaserit,




L. U.



# LUCAE TOZZI

In Primum Aphorismorum  
HIPPOCRATIS  
COMMENTARIA



## APHORISMUS I.

*Vita brevis, Ars longa, Occasio praeceps, Experimentum periculosum, Judicium difficile. Non solum autem seipsum prestare oportet opportuna facientem, sed & Aegrum, & Affidentes, & Exteriora.*

**F**ubit in ipso limine Galenus, an hic unus sit, an plures aphorismi; sed istius tamèn hæsitantiae illum increpat Cardanus: *hoc enim esse*, inquit, *ipsum Hippocratem accusare, qui duo diversa in unum compegerit*. Conveniunt ea proptèr cum eodem Salvius Sclanus, Fuchs, Argenterius, Heurnius, Moralis, & Sanctoriis, unicum hunc esse aphorismum duas tamèn partes comprehendentem, & quidèm primam Aphoristicæ doctrinæ necessitudinem continere, quoniàm

A

Vita

Vita humana brevis est ad tam arduam, & longam Artem addiscendam; alteram vero, requisita, ad intenti operis consequitionem; scilicet obtemperationem AEgri, Assistentium diligentiam, & extenorum debitam præparationem, administrationemque Quamobrem videtur hic aphorismus universi operis prodromus, atque proœmium.

Quoniām vero Artem longam dixit, & Vitam brevem, videtur subinde Hippocrates nedūm Auditores dehortari, sed etiam ab omni Medicinæ studio homines avocare. Verum his potius perbellè suadet, & adhortatur: *extrema enim, inquit Galenus, dementia foret, simul scribere commentationes & tradere posteritati ad Vitæ utilitatem, & simul ab initio non solum à legendo, atque discendo ea, quæ scripseris, debortari; sed ab Arte universa, cuius doctrinam profitearis, abalienare.* Id igitur potius summo judicio videtur ab Hippocrate notatum, ut ratio inde pateret, cur doctrinam aphoristicam ad Medicinam tradendam selegerit, hoc quodammodo usus ratiocinio, ut interpretatur Cardanus: *Curatio AEgri perficitur ex Medico præcipiente opportuna, & ut talia adhibeantur; sed ut adhibeantur, oportet, ut sit Causa efficiens, & sunt Afflantes: Materia, id est AEger, qui consentiat: Forma, & sunt res exteriores, quæ adhibentur.* Igitur ad consequendum finē, seu sanitatem, præter Medici officium, illa tria quoque sunt necessaria. Verum cum illa ad opus ipsum sint directa, non ad Artem, non est necesse ut doceantur hic; at ut Medicus in Arte sit instructus, necessarium est, ut possit præcipere quæ conveniunt; minime vero poterit, nisi sit instructus aphoristica doctrina; igitur doctrina aphoristica in Arte Medica necessaria est, adeoque necessarium componere, & conscribere

*bere aphorismos. Hæc Cardanus. Addit præterea Ar-*  
*genterius hac oratione Hippocratem Medicinæ stu-*  
*diosos hortari ad rem hanc diligentius capessendā;*  
*alios vero negligentiores, hebetiorisque ingenii ad-*  
*monere, ne rem tot, tantisque difficultatibus im-*  
*plicitam aggrediantur.*

Ob maximas autem, innumerabilesque, quibus  
Medica facultas implicatur, arduitates, atque ob-  
longum tempus, quod ad illam addiscendam ex-  
quiritur, Vita humana brevis dicitur. Et quamvis  
Prisci homines ad centenos annos vixisse ferantur,  
& jàm adhuc de plerisque perhibetur quod ultrà  
centesimum vitam protraxerint, illa tamèn si com-  
paretur ad Medicinæ difficultatem, ac multigenam,  
quæ pro ipsa expostulatur, rerum cognitionem, sa-  
nè brevis dicenda est. Atqui non solum unius ho-  
minis ætas, sed & multorum seculorum, vix hacte-  
nus sufficere potuit. Quot & quanta in usum Me-  
dicum nostris temporibus inventa, atque industria  
Anatomicorum detecta sunt, quæ Veteres latuere!  
utquè omittam quæ à Paracelso, atquè Helmontio  
sunt prodita, præclara quotidiè inventa medendi  
notitiam mirum quantum amplificaverint, cujusmo-  
di sunt quæ de motu Cordis, & sanguinis, nec nō  
de Animalium generatione non ità pridèm pervul-  
gavit Harveus, quæque de Venis lacteis, scù chy-  
liferis Aselli, quæ de Chyli conceptaculo, ejusq;  
ductibus per Thoracem serpentibus Pecquetus, quæ  
de vasis aqueis, lymphaticis dictis, patefecit Bar-  
tholinus, & quæ de structura, usu, connexione, &  
fermentis Viscerum observarunt Malpighius, Glis-  
sonius, VVarthonus, Lovverius, Sylvius, Graessius,  
aliique de Re Medica Viri optimè meriti. Nec dū-  
verò finis videtur impositus, sed & post mille se-

cula nequè præcludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi; quamobrè sicut hactenùs medendi Ars nō benè patuit, nèc profectò in posterum omninò patet, cum circumfusa tenebris alia maneant innumerā, tūm ex corporum constitutionibus, & usib⁹ partium, tūm ex morborum, & causarum, atquè Medicamentorum notitia, & proprietate. Difficilis præterea, & longa nimis censenda est Medendi scientia ob multarum, variarumque rerum discendarum, quæ ad illam ritè faciendam requiruntur, copiam, ut scitè ostendit Galenus pluribus in locis, præsertim verò lib. quod Optimus Medicus debeat esse Philosophus.

At verò animadversione dignum est, quod in hanc rem innuit idem Galenus in Commentario, promoveri quām maximè posse Medicinæ studium, si Veterum excogitatis Recentiorum inventa adjiciantur, ut hac ratione quæ à principio imperfecta erant, progressu saltē temporis perficiantur. *Etsi* (is inquit) *nemo nostrum sufficiat ad Artem simul constituendam, & absolvendam, satis tamē videri debet, si quæ multorum annorum spatio priores invenierint, posteri accipientes, atquè his addentes aliquid, illam aliquandò compleant, atquè perficiant.* Hinc dicant à Galeno qui se Galenicos appellant, Medicinam eo tempore valdè mutilam, maximè nūnc locupletem, Recentiorum Anatomicorum inventis, & spagiricæ Artis remediis evasisse.

Augent præterea Medicæ facultatis difficultatem Occasio præceps, Experimentum periculosum, seu fallax, Judicium difficile. Pro occasione intelligenda Temporis opportunitas in exhibendis medicamentis: etenim Corpus humanum labile admodum est, innumerisquè obnoxium mutationibus, ut propterea

reà quæ nanc exposit, mox jam non admittet, agendi opportunitate præterlabente; quamobrem rechè comparavit Oribasius occasionis præcipitem lapsum fluenti aquæ Fluvii, ut quemadmodum quis digitum in fluvium immergeat, mox elevans, ac subinde denuò immergeat non eandem tangit aquam, ita singulis horarum momentis corpus ægrotantis variat, & agendorum occasio præterit. AEGritudines etiam cum plerumque orientur foveanturque ab humoribus, velut à Causis, & isti sensim mutantur, fit propterea ut agendi occasio, atque eorum fugandorum, aut corrigendorum opportunitas facillime effugiat; unde haud immerito Antiqui occasionem descriptere occipitio calvam, fronte vero capillatam, & Galenus primo prognost. Ita volat, inquit, Occasio, ut aliqui moriantur priusquam vocetur Medicus. Illam equidem tanti fecit Hippocrates, ut libro de Arte doceat, omnem morbum curari posse, si Medicus occasionem opportunam agendorum non omittat.

Experimentum insuper periculosum dicitur, tum propriè Humani Corporis dignitatem, tum ob variam ægrotantium habitudinem, & symptomatum conditionem; unde fit, ut quod uni aliquando profuit, alii obsit. Experientia enim definitur à Galeno lib. de opt. secl. ad Trasyb. Memoria ejus, quod Japius, & eodem modo visum est. Hinc subdit idem Auctor in Commentario hujus aphorismi. In Corpore humano illa experiri, quæ non sunt experientia comprobata, non est citra periculum, cum mala experientia ad totius animalis interitum terminetur. & elegantè dixit Plinius lib. 29. cap. 1. Medicos infectatus: Negotiantur animas nostras, & experimenta per mortes agunt.

Ne-

Nedum autem Experimentum periculosum dicitur, sed & fallax. etenim variant saxe numero Causae morborum, habitudines Corporum, temporum constitutiones, ægrotantium ætates, et si morbus, quem probato alias medicamento pepulimus, idem vel valde similis videatur. Sed plura in hanc rem fure alibi à Nobis recensita.

Denique Judicium difficile est, quoniam, ut Galenus subdit, *Vera Ratio non facile invenitur, quod multitudo sectarum, & opinionum in Arte ostendit medicinali: nequè enim si Veritas effet inventu facilis, tot ac tanti viri, qui illam perquisierunt, unquam fuissent in tam contrarias sectas disperiti; nā, ut verum fatear, hæc difficilis est, & fermè inexplicata.* Quarè esto remedium profecerit, ambigendū adhuc, quomodo, quibus viis, quave efficacitate contulerit.

Nequè solùm difficultates contingunt in Re Medicina ex longitudine Artis, occasione præcipiti, experimento periculo, atquè ratione fallaci, quæ ad Medicum pertinere videntur, sed supersunt aliæ spectantes ægrotum, adstantes, & exteriora. Id enim designant verba illa: *non solum autem seipsum præstare oportet opportuna facientem &c.* Siquidem et si Medicus suo munere fungatur, atquè opportunam agendi occasionem non prætereat, nec in experimentis, aut Ratione decipiatur, adhuc tamè poterit suo fine frustrari, si nimirum AEger non fuerit obtemperans, nec adstantes sint diligentes, nec exteriora ritè comparata, & exhibita. *Ars, dicebat Hippocrates, primo epidem. sect. 2. t. 51. tribus constat, Morbo, AEgro, & Medico Artis ministro:* AEgri autem est una cum Medico morbo reluctari. in cuius Commentario Gal. hæc habet. *Oppugnant sese mu-*

mutuò, & , ut ita dicam , inter se se depugnant , ac  
dimicant Medicus , & Morbus : Morbum enim studet  
Medicus evertere , illi contra , ne sit inferior , proposi-  
tum est . Tertius est præter illos AEger , qui , si quidem  
Medico sit obtemperans , & faciat imperata , socius in  
certamine efficitur huic , morbo hostis ; si autem ab eo  
desciverit , ac quæ dictat morbus exequatur , duobus  
nominibus Medico facit injuriam , uno quidem , quod  
destituerit solum , altero , quod duos fecerit , qui erat  
ante unus . Idemque confirmans 6. epidem. comm. 4.  
t. 9. repetit . Adversari morbo agrotum una cum Me-  
dico oportet , cumquæ tres sint , Medicus , Morbus , &  
Agrotus , si Medicum solum cum morbo pugnantem  
agrotus deserat , vel etiam ad Morbum transfugiens  
Medico repugnet , Medicum à Morbo superari contin-  
get . Secundo etiam prognost. 43. & 6. epidem. 5. ait ,  
paucos morbos esse mortiferos , si nequæ Medici errent ,  
nequæ agri , nequæ ministri , nequæ aliquod noxiū  
extrinsecus accidat . Confidentiam pariter ægroti in  
Medicum valde conferre ad morborum curationem  
docuit idem Galenus 6. epidem. comm. 4. t. 8. & Cō-  
ciliator diff. 135. Unde Paracelsus adeò characte-  
ribus , imaginibus , & periaptis incubuit , ut nimi-  
rūm vim Imaginatrix in ægrotantibus vehementer  
commoveret , & spem recuperandæ salutis subleva-  
ret . Quamobrem refert idem Galenus quosdā Per-  
gami pro deploratis habitos , à Præstigiatoribus sa-  
vatos fuisse , quoniā horum præceptis propter cō-  
fidentiam obsequebantur , cum Medicis non parui-  
sent . Quarè nec ægroti se curari permittant à Me-  
dicis , quibus non fidunt , nec Medici curandos su-  
scipient dissidentes .

4. in 6. E-  
pid. 8.

Affidentium præterea curam , ac diligentiam qua-  
lem esse oporteat perbellè notat Hippocrates lib. de  
de-

*decenti ornatu prope finem his verbis: oportet ut eli-*  
*gatur unus ex discipulis, qui diu sit exercitatus, &*  
*patienter ægro serviat, & quod mandatum est faciat.*  
*Et Galenus primo de diebus decretoriis cap. II. Opor-*  
*tes ut adstantes sint prudentes, periti, patientes, di-*  
*ligentes, bilares, & ægrotantibus grati.*

Quod ad exteriora denique, illa, inquit Galenus tūm hic, tūm primo de diebus decretoriis, esse, quę ægrotum turbare possunt, & crīsim impedire, ut habitationes inidoneas, turbarum plenas, vici-noruim tumultus, strepitum curruum, canum latratus, & quæcumque nocturnum somnum, aut quietem abrumpunt: quiete siquidēm, ac somno ne dum vires consistunt, & conservantur, sed & sudores potissimum in febribus salutares, blandè admodum promoventur. Impediunt quoquę crīsim importunæ medicamentorum exhibitiones ab imperitis Medicis in improbū morem inductæ, qui cùm se credant magna præstare, ægrotantibus summoperè officiunt. In hos acritet invehitur Hippocrates lib. de alimento, & Galenus II. meth. cap. 15. & I. de diebus decretor. II. unde ejus verba transcribere non gravabor: *Quædam peccata, inquit, à Medicis his admirandis committuntur, putantibus, nisi quis ingressus ad ægrotum, deinde succingens se, vel cataplasma imposuerit, vel perfuderit, adusserit, vel clysterem indiderit, vel venam inciderit, vel cucurbitulas adjunxerit, vel cōfricuerit, vel nutriverit, aut hujusmodi aliud facti-taverit, nihil ab ipso gestum esse artificiosum: hi enim quoties ad ægrum accedunt, toties peccant. An bi Medici sint, vel potius Carnifices, cæteri judicent, subdit Sanctorius.*

Ad exteriora potissimum revocanda sunt Pharmaco-pœtorum opera, Electaria, Syrupi, Catapotia, Ce-rota,

rota , Emplastra , idque genus alia ; quæ non raro adulterina , rancida , maleque præparata esse solent , cum tamèn his aduersus morbos , eorumque causas pugnandum sit ; undè non mirum , si frequentè Medici suo fine frustrentur . Si igitùr hac omnia bene , & rectè se habuerint , nihil eorum , que in hoc libro scribuntur , falsum esse invenientur , concludit tandem Galenus .



## APHORISMUS II.

In perturbationibus Ventrīs , & Vomitībus spontinīs , si talia purgētur , qualia purgari oportet , confert , & levissē ferunt ; sīn minūs , contrā . Sic & Vasorum inanitio , si talis fiat , qualis fieri debet , cōfert , & bene tolerant ; sīn minūs , contrā . Inspicere itaqūe oportet & regionem , & tempus , & atatem , & morbos , in quib⁹ conveniat , aut non .

**D**efinierat Medicinam Hippocrates *libro de statibus Adjectionem eorum*, quæ deficiunt , & Detractionem eorum , quæ excedunt : ut autēm suę Medicinæ per doctrinam aphoristicam tradendę initium faceret , quæ detractione , per eva- cuationes , quæque adjectione , per victus rationem observanda forent , primū recenseret , exordiumque facit ab evacuationibus ; cùmque istæ vel qualita- tem , vel quantitatem evacuādorum respiciant , pro- pterea hīc qualitatē potissimum considerat , rela- turus speciatim in sequenti quantitatē . At quo- niām eva- cuationes in universum vel sponte Natura- rū , vel Artis adminiculo contingunt , ac priores ,

vel Criticæ , vel Symptomaticæ , de iis primùm sermonem habens , inquit ; si in illis talia purgantur , qualia purgari oportet , & conferre simūl , & tolerari , documentum exindè tradens generale cūjuscumquè evacuationis , ut illa salutaris , & critica reputetur . Sed sigillatim dictiones explicemus .

Primùm inquit in *Perturbationibus Ventrīs* . Vertunt alii in Ventrīs commotionibus , & profluviis , ut Heurnius ; clariūs verò Fuchsius , in dejectionibus per inferiora ; undē pro *Ventre* alvi regionem intelligit , non autēm ventrem superiorem , sēu thoracem , nequè Ventriculum . Addit , & *Vomitibus* , idest evacuationibus per superiora : Nequè verò de arte promotis , sed sponte exortis , sēu à sola Natura excitatis . Nūm autēm sub spontaneis evacuationibus hoc loco comprehendantur egestiones etiā symptomaticæ , quæ fiunt quidem à Natura , sed irritata , vel gravata , dubiū esse potest , prēsertim quia Galenus lib. de differ. symptom. illas ad naturales revocavit , imò quandoquè perutiles esse dixit , diminuta nimirūm causa morbifica . Et quamvis negare videatur Sanctorius , afferēs eas fieri vi morbi ; dicendum tamēn cohārentē sententiæ Hippocratis , sub evacuationibus spontinis , etiam symptomaticas hoc loco intelligi ; siquidēm dicitur in textu : *sin minus , contrā* . Modò per hēc verba designatur excretio quoquè nocens , & symptomatica , quæ nimirūm nēc confert , nēc toleratur .

*Si , præterea subdit , talia purgētur , qualia purgari oportet* . Quibns verbis manifestē declarat , se vitia purgandorum humorum cōmemorare , atq; adeò de eorum qualitate , non quantitate agere . At quænā sint ejusmodi qualitates designatæ sub his verbis , qualia , & talia ? Qui omnia qualitatibus metiuntur ,

tur, de calore, frigore, humiditate, & siccitate, illa facilè interpretantur. Verum qualitates istæ, si unquam in humoribus cōsiderandæ sunt, haud quaque in evacuatione tolluntur, sed potius alteratione, correctioneque, ut passim docet Galenus in libris Metb. M., & de causis morborū; quin & Hippocrates ipse lib. de Vet. M. expressè notat, non calidum, non frigidum, nō humidum, non secum, magnam vim habere in morbis inferendis. Quid igitur pro qualitate intelligendum sit, exponit idem Galenus q. aphor. comm. 2., significari superabundantiam superfluitatum sua qualitate infestantium ægrotantem; & clarius lib. i. aphor. comm. 23. humorem nostrum interpretatur, qui cacochymiam constituit; unde definit Purgationem, evacuationem esse humorum sua qualitate molestantium, seu noxiorum. Itaq; speciem potius viciosi humoris, putà acrioris, vulgo biliosi, crassioris, seu pituitosi, aliuvè, quam nudas qualitates per *qualia*, & *alia* Hippocrates intellexit; ita ut sensus fiat, tunc alvi dejectiones, ac vomitus sponte naturæ habitos salutares esse, cum illi humores educuntur, qui morbum faciebant, vel sovebant, sive multi, sive pauci illi sint, etenim hoc loco nullam quantitatis rationem habendam voluit, sed solùm cacochymiam consideravit; ejusmodi autem evacuationis genus, talis nimis humoris, qui nocet, necessariò conferet, & tolerabitur, quoniā Morbus cum symptomatis aut definet, aut intermitet, & vires vel nullam, vel levem jacturam patientur; secus verò, si alterius ab eo, qui noxious est, evacuatio contingat.

Sed gravior difficultas viget in sensu Aphorismi, attenta sententiæ phrasí, & serie verborum. Etenim videtur Hippocrates inutilem, imò ridiculum

concinnasse aphorismum , qui prognosim continet pendentem à successu ipsius evacuationis ; nàm quis unquam potuisse addubitare de eventu salutari ex evacuatione spontina , si ejus humoris facta sit, qui purgari debuerit ? quamobrem post egestionem nocturni humoris , ejusdem utilitatem determinare , veluti rem cunctis obviam , vanum omnino existimandum est . Arduam hanc difficultatem solus , quod sciam , inter Expositores subodoravit Sanctorius , illamquè solvere conatus est , vertédo ex græco codice *Qualia* in qualiter adverbium , ut exinde sensus fiat , illam evacuationem esse bonam , quæ sit qualiter oportet , niimirum servatis debitiss conditionibus Crisis , putà concocta materia , in die critico , cum debita quantitate , & qualitate . Post hanc solum inquit fieri , ut conferat , & ægri ferant verè , & salutariter . Verùm enīm verò voluit Hippocrates Medicos admonere , ut exinde discant esse imitatores Naturæ , quæ tunc salubriter evacuat , cùm ea educit , quæ vitiosa sunt , & Morbū faciunt , vel fovent , haudquaquam inspecta quantitate humoris excreti , de qua apb. 23. hujus dicitur : *Dejectiones non sunt multitudine estimandæ , sed similia ejiciantur , qualia convenient ;* quamobrem videtur hic recensitæ conditiones requisitæ ad bonā evacuationem sponte habitam , sive secundum adjunctā habeat excreti humoris copiam , vel inopiam , unde Medicus de ea , quæ Artis ope promovenda est , judicium ferre valeat .

Sicut autem evacuatio , si ejus humoris fiat , qui morbum fovet , confert , & leviter fertur ; ita vicissim si facilè feratur , & conferat , ejus humoris itidem erit , qui nocebat ; videtur enim ex uno in alterum necessaria illatio , veluti à Causa ad effectum ,

stum, & vice versa; ut propterea nullum sit certius salutaris egestionis indicium, quam subinde ægrotum morbo, & symptomatis levari citra virium exsolutionem. Quod si aliquando vitiosi humores egerantur, videaturque æger exinde exonerari, nec tamè ad morbum conferat, ut in vomitionibus ex calculo Renum, aut ex veneno assumpto, vel inficto; id accidit, quia nequitam excernitur ille humor, qui morbus facit, vel foveat, sed alius, qui à visceribus præter naturā affectis ingeneratus, vel à vitiatis fermentis corruptus, velut ex accidenti cum principali causa morbi jugitur, ut cum E. G. ex spina digito infixa tumor, dolor, & febris accidit, quam vigilia consequitur, undè ventris cruditas, & ex cruditate vomitus, vel alvi fluxus, qui etsi ægrotum allevet, & conferat, non tamè dolorem, & febrim à spina inductam removet, quia non est ejus humoris, qui principalem Morbum foveat, qualis esset purulentus Sanguis, si ex digito dolente, & tumefacto prodiret; his enim propriè est, qualis educi debet, ut omnino cōferat, & toleretur; quāquam & is, qui per alvū egeritur vitio vetriculi, depravatus, & corruptus, suo quoq; modo conduceat, quemadmodum de Symptomaticis excretionibus superius est notatum; si namquæ is detineretur, majus procul dubio damnum inferret.

Emolumentum præterea hīc notatum ab Hippocrate, firmum, stabile, & perseverans esse debet, si namq; fugax, & momētaneum sit, timēdum, relabente mox in pejus ægrotō; nulla enīm evacuatio tam mala est, quæ saltēm ipso eodem die, ægro contulisse non videatur. Hīc monendi sunt, qui statim ab egestionibus quodammodo relevantibus certam infirmis salutem pollicentur, ne tam faciles sint

sint in ferendis ejusmodi præfagiis, nisi de firmitate constiterit.

At quoniā salutaris evacuationis indicium desumptum ab ægri levamine, & vitium constantia sequitur, nō præcedit excreta, quæret aliquis, quibus signis manuduci possit ad prænoscendam futuram evacuationem salutarem. Idem Hippocrates 6. epidem. s. 2. t. 33., ibique Galenus hæc præ oculis habenda proponit: *Quid, quantum, quādō, quomodo, & ubi.* *Quid*, idest morbus, ejusque causa, nūm scilicet egestione, an correctione egeat; siquidēm nonnulli morbi, veluti à corpulentia materia pendentes, ejusdem evacuatione cōquiescent; alii, sola correctione. *Quantum* sit evacuandum conjectare licebit à copia noxiorū humorū; hi etenim, si multi sint, copioſorem egestionem expostulabunt, modò vires permiserint; quemadmodū enim conferens evacuatione parca, & diminuta esse non debet, ita nèc excedat, oportet. *Tempus* evacuationum humorum opportunum judicabitur à præsenzia, & prōptitudine eorumdē, qui ab utilibus, & salutaribus secreti, in consueta, & naturalia emissaria deponuntur. *Modus* colligitur ab eorundem humorum dispositione, si nimirūm faciles sint ad exitum, per patentes, reſeratosq; ductus deducti, citrā molestiam, aut erosionem. *Locus* deniq; considerandus, nūm per alvum, aut os, vias urinæ, aut poros cutis noxijs humor cōmodè educi queat. His perpensis, Medicus futuram evacuationem prænoscet, nūm sit collatura sine virium detrimento, atquè illam importunis medicamentis nō distrahet: quod plerūq; sit magno ægrotatiū periculo; cùm nō semel viderim ab impedita, vel promota nimiliū, aliterve turbata crisi, illos periisse, ctiam in ip-

sa ægritudinis declinatione.

Quod hucusquè Hippocrates in ultroneis egestionibus, ut conferant, & tolerentur, adnotavit, nō dissimili ratione in 2. bujus aph. par. de evacuacionibus arte promovendis admonet, atq; veluti per comparationē Vasorum inanitiones tunc utiles fore, unāquæ simūl sufferti, & cōferre, cùm tales fiunt, quales fieri debent. Medicus enim, ut Imitator Naturæ, debet medicamentorum usū eos humores, & per illos ductus educere, quos Natura tentaret, si sponte sua ageret.

At verò quid per vasorum inanitionem intelligat, controvertitur ab Interpretibus. Galenus in comm. de omni evacuatione exponit, cui assentitur Fuchsius. Oribasius verò solum de sanguinis missione. At Heurnius cibi abstinentiam, & eam evacuationem, quæ medicamentis purgantibus peragit, memoratā hic ab Hippocrate putat. Verū cum Vasorum inanitio nō minùs dici debeat, quæ per venæ sectionem, & cathartici exhibitionem fit, quā quæ per sudorem, urinam, aliasvè, haudquam contrahenda videtur Hippocratis sententia ad hanc, vel illam solummodo; ut propter cā crediderim illum voluisse Medicos Naturæ ministros admonere, ut in cujuscūq; generis evacuationibus perficiēdis, eos conetur humores educere, qui morborum somites sunt, & per illa vasa, quæ sunt cōgruētiora: futurū enim, ut exindē promota evacuatione feratur, & cōferat. Itaque Vasorum inanitiones quæcumq; Arte faciēdæ, Naturæ operibus, quoād fieri poterit, conformētur, ut salutares evadant; undē quemadmodū naturales, & spontaneæ evacuationes salubriter cōtingunt, cum coctionem, secretionemque cōvenientein sequuntur, cum anteā re-

recensitis conditionibus; sic & Vasorum inanitiones artis auxilio promovendas, cum iisdem conditionibus fieri necessum est; ut latius in methodo medendi dictum.

Cæterum postremo loco docet Hippocrates, habēdam esse, in ejusmodi egestionibus perficiēdis, rationem Regionis, Temporis, AEtatis, & Morborū, in quibus talia vacuari conveniat, ut indè manuducamur in cognitionem quarundam circumstantiarum, quæ, sive intrinsecus, sive extrinsecus, evacuaciones impedire, aut turbare possunt.

Primò quidem Regionem considerandam esse præcipit; quoniām ex Galeno *lib. de setz. c. 8.* nèc in valdè calidis, nèc in valdè frigidis Regionibus evacuatio multa, aut affatim facta convenit. Sic pariter quædam Regiones largam sanguinis missionem facile tolerat, quædam verò ægrè admodum, præsertim quæ ventis australibus sunt expositæ, undè mēbra relaxantur, vitale robur infringitur, & sanguis redditur effætus. Fatetur quoque Galenus *3. epidem.*, Venæ Sectione Romæ, & Athenis non valdè pleuriticis convenire, qui à utraque Civitas ventis Australibus, adeòq; fluxionibus obnoxia est, ut speciatim de Roma refert *5. meth. cap. 8.*, idemque ait observatum ab Asclepiade. Atqui compertum habemus hic Neapoli, Austro perpetim agitata, nedum ægrefterri sanguinis missionem, sed malè omnino cedere ægrotantibus, & sèpissimè in perniciem. In locis etiam suprà modum calidis, aut frigidis, sanguinem mittere non audemus, inquit idem Galenus *1. de Arte Cur. ad Glauc. cap. 14.*, quoniām quemadmodum multum variat corporum habitudines, & animi mores, Regionum incolatus varius, ita & variae, differentesquæ ægritudines in illis observantur,

tur , quæ diversis medicamentorum generibus tra-  
stantæ sunt , ut de Scorbuto , Plica Polona , Sudore  
Anglico , cuiquè perspectum .

Habenda præterea est Ratio Anni temporis ; un-  
dè idem Hippocrates 4. aph. 5. dixit , sub cane , &  
ante canem difficiles , & molestas evadere purga-  
tiones ; & Galenus *ibidem* subdit , plures sub cane  
purgatos incidere in acutas febres , & naturam ex  
æstu imbecillam , magis ex purgatione dissolvi ; quod  
pariter confirmat 10. *meth. ult.* , quoniām ex eodem  
2. *aphor. comm.* 16. duæ evacuationes simūl tolerari  
nequeunt . De Temporibus nimium frigidis par ra-  
tio militat , ut propterea dixerit idem Auctor *comm.*  
47. 6. *aphor.* , & *lib. Quos, Quibus, & Quandò* , tempus  
opportunum esse Vernum , & Autumnale . Caven-  
dum etiām esse præcipit à purgantibus medicamē-  
tis Hippocrates , in utroquè Solsticio , & Aequinoctio ,  
*lib. de Aér., Aq., & loc.* , atquè in subitis Aëris mu-  
tationibus , ac vicissitudinibus . Adhuc autem ur-  
gente necessitate , temporis ratio habenda est , cùm  
nonnisi in his leviori cathartico uti liceat , ut cō-  
modè feratur . De venæ sectione verò importuno  
tempore indicta hæc habet 1. *de Arte Cur. ad Glauc.*  
*cap. 14.* : *Quibus Medici nibil omnino de temporum statu*  
*cogitantes, sanguinem abstulerunt, interierunt; quamob-*  
*rem ambientis aëris temperatura loco accidentis cuius-*  
*dam habenda.*

Similiter ad ætatem ægrotantis respicere oportet ; siquidem ex Gal. *comm. 4. de rat. vici. 19.* neq;  
Puer , neque Senex , sanguinis sustinent detractionem ,  
etiam si morbus , quo ipsi laboraverint , magnus fue-  
rit . Et 11. *meth. cap. 14.* , agens de sanguinis mittē-  
di ratione in febre synocha putri , excipit à phle-  
botomia pueritiam , inquiens : *At si in puerum inci-*

C

dat,

dat, qui quartumdecimum annum bactenus non attigit, muti illi sanguis non debebit. Et mox subdit: Si corpus decimumquartum annum exceferit, aestimandū est, qualisnām ejus sit habitudo, nūm gracilis, spissa, & dura, & copiosi sanguinis; an contrā; atquē ita in priori missione sanguinis adhibebis, in secunda nequaquam. Si insuper, cui sanguis mittitur, 30. annos natus sit, sed laxus, & mollis, & pinguis, & albus, ac gracilibus venis, huic aut plane sanguinem non mittes, aut parūm detrahes; & omnino quidēm non mittes in tempore aestatis, & regione astuosa, & cœli statu calido, & sicco; parūm detrahes in reliquis tum anni temporibus, tum regione, tum cœli statu. Et 8. meth. cap. 4. etiā de curandis febribus loquens, ait. At si quidēm vel puer, vel senex sit, sanguinem detrahere non licet. Idem repetit 1. de Art. Curat. ad Glauc. cap. 14., & lib. de Cur. rat. per sāg. miss. cap. 6. 9., & 13. Eximit etiam à purgatione puerilem ætatem 9. meth. cap. ult., quoniam, inquit, puerorum substantia omniū facillimè digeritur, ac dissipatur, quominus vacuantis præsidii eget, cum habeat ex seipso, undē naturaliter vacuetur. Cautē etiā in senibus ageudum est, nē à purgatione langueat, cum vires illis admodūm labiles insint, atquē ab alvi fluxu plurimūm lœdantur, ut deducitur ex eodem Gal. 5. de san. tuend. cap. 6., & 9. Vides igitur, quām longē à Galeni mente nostrates Medici recedant, tam facili purgantium medicamentorum, & phlebotomiæ usu, in omni indiscriminatim ætate, cum tamē se Galenicos jactent. Ut verò se tueantur, Celsum appellant, lib. 2. cap. 10. dicentem: Interest enim, non que ætas sit, nequē quid in Corpore intus geratur, sed que vires sint: Firmus puer, robustus senex, & gravida mulier valens, tutò curantur.

tur. At verò minimè animadverterunt, quod idem Author subjungit: *Maxime tamè in his Medicus imperitus falli potest, quia ferè minus roboris illis etatibus subest, mulierique prægnanti post curationem quoquè viribus opus est, non tantum ad se, sed etià ad partum sustinendum; non autem protinus faciendum est, quicquid intentionem animi, aut prudentiam exigit.*

Deniquè perpendendos quoquè morbos esse docet, antequam evacuatio tentetur. Tabes enim, *Hydrops*, *Syncope*, *Cardialgia*, alvi fluxus, aliquè plures morbi, sanguinis detractionem minimè admittunt. Febres ardentes, inflammations internæ, dolores vehementes, & similes, usum purgantium medicamentorum recusant, ex Hippocrate 4. *de rat. vietus*, & Gal. 1. *de Art. Cur. ad Glauc.* 14. Ab accidentibus etiàm, seù symptomatis adjunctis, utraque evacuatio plerumquè impeditur, ut si conjungatur cum vomitu sitis, cum dolore vigilia, cum febre syncope, cum hydrope pulsuum exilitas. De obstruktione etiam, & putredine habet expressè Galenus 11. *Meth. cap. 14.*, illas phlebotomiâ non tolli: inquit enim: *nequè obstructio, nec putredo curari per sanguinis missiunem potest.* Viscera pariter digestioni ciborum dicata si langueant, quodcumquè eva-  
cuationis genus interdictur, documento ejusdem Gal. 13. *meth. cap. 15.*, & 16., quoniàm illa omnino roborari expostulant. Morborum præterea tempora internoscenda sunt, nàm multa inter initia utiliter adhiberi possunt, quæ in augmento, & statu no- cent; & alia opportuna sunt in declinatione, secùs verò in cæteris temporibus. Sic Hippocrates 2. *aphor. 29.* scribit: *cum morbi inchoant, si quid vide- tur movendum, move; cum verò consilunt, ac vi- gent, melius est quietem habere.* Sed de hac re ali- bi fusiùs.

Quæ hucusquè exposita sunt, satis manifestè declarant, cùr Hippocrates voluerit inspiciendas esse Regionem, ætatcm, Anni tempestates, & ægritudines. At non defuere, (ut præ cæteris est Sclanus) qui pro dignoscendis solum vitiosis humoribus salubriter expurgandis, isthæc in aphorismo adjecta fuisse opinantur. Evidèm ex Regione conjici posse ajunt humores purgandos, cùm in Regionibus calidis, & siccis, bilis; in frigidis, & humidis, pituita; in frigidis siccis, melancholia; & in calidis, humidisquè sanguis prævaleat; adeòque pro illarū varietate congeneres humores educendi sint. Ità quoquè Tempore calido, & æstivo, calidos, & biliros humores vacuare expedict, quià hos morbū gignere, vel fovere, probabilitè conjecturant; pituitosos verò, & melancholicos, Hyeme, & Autumno; sanguineos deniquè Vere, ob conformem temperierum habitudinem. Sic paritè ex ætatibus varietatem humorum deducunt: nàm voraces Pueri, ob nimiam ciborum ingluviem, crudis, pituitosissquè humoribus scatere solent; Juvenes verò biliosis; Viri melancholicis; & Senes phlegmaticis. Ex morbis deniquè eosdem humores dignosci posse opinantur; etenim tertianas febres bilem indicare, quotidianas pituitam, quartanas melancholiā, & sanguinem excedentem synochas. Sed & potuissent isti adjicere colores Cutis, & capillorum, habitum corporis, vitæ conditionem, suetam virtus rationem, cœli statum, insomnia, aliaquè plura, quæ Galenus proponere consuevit, veluti indicia generalia prædominantes humorē attestantia, ut lib. de humoribus, lib. 2. microtechni, 2. de Art. Cur. ad Glauc., 2. de naturalibus facult., & alibi sparsim. At hæc quām absint ab Hippocratis mente, ex nuper dictis clarissimè patet.

APHO-



### APHORISMUS III.

*Habitus Athletarum, qui ad summum bonitatis attin-  
gunt, periculosis, si in extremo constiterint: nequè  
enim possunt in eodem permanere, nequè quiescere;  
cùm verò non quiescant, nequè possint proficere in  
melius, reliquum est igitùr, ut decidunt in deteriorius.  
His de causis bonum habitum statim solvere expe-  
dit, ut corpus rursùs nutriti incipiat. Nequè Com-  
pressiones ad extremum ducendæ (periculose enim)  
Sed qualis natura fuerit ejus, qui debet perferrre,  
ad hoc ducere convenit. Sic & evacuationes, quæ  
ad extremum deducunt, periculose; & rursùs re-  
flectiones, cùm extrema fuerint, periculose.*

**N**otant hic in primis Nonnulli Hippocratem prolixitatis, quod orationem tam productam inter Aphorismos reposuerit, cum cæteroquin Aphorismus sit oratio brevis, & selecta. Sed excusatione is dignus est: etenim cum rem arduam, & vix fide dignam enarrare debuisset, qualis est, quæ de summo bonitatis gradu, & de extrema sanguinis, & carnium plenitudine, hoc loco memoratur: initium propterea facit huic aphorismo ab exemplo, ut nimis tacite quærenti respondeat, quorum unquam esse possit ejusmodi habitus ad extremum bonitatis perductus, cum tamèn apud cordatores Medicos satis constet, vix inveniri in hominibus perfectam sanitatem, & habitum corporis adeo exquisitum, ut solutione, detractione quæ opus habeat.

In-

Inquit ergò ejusmodi habitum inveniri posse in Athletis, quorum scilicet institutum erat luctari, & in palestris sese variis certaminum generibus exercere, quamobrèm alimentis vescebantur multis, & optimis, ut specioso corpore jucundum Populo spectaculum exhiberent, & luctaturi, labore, viribusque præpollerent. Cùm igitùr hi multa eucymoru ciborum copia sese ingurgitarent, tantam carnium, & sanguinis plenitudinem sæpesq; adipscebantur, ut non raro subita, inopinataquè morte succumperent.

Sumpio itaque ab his exemplo, Hippocrates ait; Athletarum habitum, cùm ad summum bonitatis pervenerit, solendum statim esse: quoniā in extremitate constituti, nèc possunt in eodem statu permanere, atquè quiescere, nequè possunt in melius proficere, undè necesse est, ut decidant in deteriorius. Nè autem in deteriorem statū incident, subdit, tantum sanguinis, & carnium excessum diminui oportere, ut rursus corpus nutritri incipiat. Unde deducitur, memorari hoc aphorismo evacuationē illam, quæ à quantitate, seu plenitudine indicatur, quemadmodū in præcedenti aliam à qualitate deduxerat. Summa autem aphoristicæ sententiæ è collimare videtur, ut repletiones, refectio-nesque, sicut & evacuations, ad extremum ductas, periculosas esse decernat.

Sed quænam sint pericula ex habitu athletico imminentia, inquiramus, cùm cæteroquì videatur ejusmodi constitutio valde salubris. Verum ob id ipsum, quod summum bonitatis gradum attigisse vindentur Athletarum Corpora, pericolosissima dicenda sunt. Primo ob assignatam in textu rationem, quia nequè in eodem habitu subsistere, nequè ul-

trà

trà progredi possunt; unde Celsus lib. 2. cap. 2. scribit: *Si plenior aliquis, & speciosior, & coloratior factus est, suspecta babere bona sua debet, quæ, quia nequæ in eodem habitu subsistere, nequæ ultrà progredi possunt, ferè retrò, quasi ruina quadam, revolvuntur.* Et Galenus in orat. suasoria ad bonas artes cap. 6. hoc genus hominum vocat miserrimum. Secundò quia Athletæ in quatuor magni momenti pericula incidere solent ex Hippocrate, ejusquæ Commentatore Galeno 4. de rat. vñct. 23., vñ 3. in venarum disruptionem, præsertim verò thoracis, & pulmonis; in earumdem, & arteriarum interceptionem, unde Aphonix, Apoplexiæ, & similes perniciose ægritudines; in suffocationem, ab affluxu nimio irrituens sanguinis in cor; & deniquè in ejusdem sanguinis concretionem, putrefactionemquæ, ob impeditum illius motum, retardatamquæ perspirationem. Hæc autem facillimè Athleticis corporibus accidunt, quoniā sanguinea vasa ob nimiam plenitudinem summè turgent, adeòque vel dirumpi, vel compri- mi necesse est, impedito interea cordis, & sanguinis motu.

Sed hic dubitare contingit ex Gal. in comm., enī Athletæ, quorum venæ adeò sanguine turgidæ putantur, ut disruptionem, & suffocationis periculum minentur, famescere possent, imò pluriē in die cibum sumere, quemadmodū de more illis erat? cum tamèn ex Gal. 1. *de symptomatum causis* cap. 7. fames naturalis à privatione alimenti in partibus, è venarum suctione, atquè ab oris ventriculi corrugatione profici sc̄ dicatur: quæ sanè in Athleticis Corporibus deesse videntur.

Huic difficultati respondent Nonnulli cum Bravolo, famem in Athletis excitari à Melancholia, è sple-

è Splene ad Ventriculum transmissa , citantes ad id Avicennam i. *primi* dicentem, Melancholiam famem afferre. At ductus ille ex Anatome , non quidèm è Splene ad Ventriculum, sed è Ventriculo in Splenē tendit , ut ostendit ligatura in vivis animantibus . Nequè Avicenna ibidèm statuit , à Melancholia famem naturalem excitari , sed morbosam , & quam caninam , aut lupinam appellant , cùm tamèn Corpora Athletica sanguinea potius dicenda sint , quā melancholica, etiàm ex testimonio Galenicorum , ca-què famescant fame naturali , non morbosa . Argenterius famem in illis oriri inquit à calore interno , qui ambiente partium humorem dissolvendo , cogit extimas ab intimis nutrimentum trahere . Sed difficultati non satisfacit , cùm venæ omnes in Athletis sanguine turgeant , & Corpus undequaquè pinguefactum existimetur , si ad summum bonitatis statum pervenerit . At verò quis non deridebit appetitum illum voluptuosum , quem in Athletis effunxit Marsilius Cagnatus , sequentem , ut ipse inquit , ciborum recordationem : Quia enim ratione voluptuosus hic appetitus , aut ciborum recordatio , haberi poterit absquè sensu ? Sensus autem undè erit ad famem excitandam ? sanè ex Ventriculo . Quidpiam igitur ibi inesse dicendum , quod famem voluptuosam concitet . Adde , quòd pleriquè ægrotantium tametsì recordentur se cibis egere , haud nihilominus famescunt , sed potius ad illorum memoriam stomachantur .

Verùm Recentioribus innotuit , famem in Viven-tibus oriri à succis quibusdam in Ventriculi cāvum exudantibus , qui etiamsì venæ omnino turgeant , & Corpus undequaquè pinguefactat , sensum tamèn in ejus orificio superiori movent , & ad famescendum

dum sollicitant ; de qua re fusiūs alibi à Nobis actum est. Hinc cadit quoquè Responsio Sanctorii , qui distinguit ex græco codice Athletas ad summum, græcè τὸν ἄριον, plenitudinis perductos , ab his , qui sunt in extremo , græcè τῷ ισχάρῳ : nām inquit, eos , qui perveniant ad summum , scū τῷ ἄγον , adhuc esse in morte , adeoque famescere ; qui verò sunt in extremo , veluti terminum adeptos , in quiete persistere , & fame destitui ; quin imò , subdit , otiante anima vegetatiya illos occumbere . Etenim parum , vel nihil interest , an summum , vel extremū attingerint Athletæ , cùm isti ex mente Hippocratis , nequè quiescere , aut in eodem statu permanere , nequè in melius proficere dicuntur , quandocumquè ad summum bonitatis pervenerint .

Sed & ex verbis textus ulteriùs dubitare licebit , cur nequeant Athletæ in eodem bonitatis statu permanere , & quiescere ? Et quidem ad summum bonitatis evectos in melius proficere non posse , res est captu facilior ; at verò non posse in eodem statu permanere , & quiescere , omnino inintelligibile videatur . Quid enim obstat , summum bonitatis statum adeptos , in eodem conservari non posse ? Verum responsio deducitur ex Gal. in comm. *bujus aph.* , & lib. de bono Corporis habitu ; siquidem in Athletis sēpè fit major sanguinis accretio , ex nova ab ali- mentis assumptis additione , undē postremò arteriæ , & venæ novi sanguinis incapaces , alterum ex duobus incident , discindi scilicet , vel intercipi ; quam- obrēm sanguinis , & Cordis motu interrupto , animal perit . Et sanè quosdam novimus , ex ejusmodi Vasorum , & sanguinis interceptione , veluti repente suffocatos occubuisse . Cæterum nutricatio- nis opus absquè ingenti vitæ incommodo diutius

feriari, omnino est impossibile.

Quid autem agendum sit, ne ejusmodi damnatae Athleticis Corporibus eveniant, docet in secunda Aphorismi parte Hippocrates. Et quidem bonum habitum solvendum statim admonet, ut Corpus rursus nutriti incipiat. At quo pacto, quovè evacuationis genere, non explicat. Verum si Athletatum Corpora carnium, & sanguinis incrementum extreum nausta sunt, ea erunt adhibenda, quæ maximam minuere valent plethoram, quam ad vasa Galenus appellavit *lib. de plenitudine*. Sunt autem hæc ex documento ejusdem Diæta, & sanguinis Missio. Missione quidem sanguinis, venæ inaniuntur; Diæta verò, carnes macrescant: utrumquè in illis optandum; atquè eo magis, si ex interceptione vasorum in plexibus Cerebri, Aphoni, vel Apoplectici jam evaserint, promoto nimis per phlebotomiam sanguinis circuitu, subinde impedito, de quibus idem Hippocrates *4. de rat. vitiis in Acutis, & Celsus lib. 3. cap. 27.*

At verò hæc evacuationes consulit ad extreum ducendas non esse; *periculum enim*: sed facendas, prout natura fuerit ejus, qui debet perferrere; idest secundum quod vires tulerint, nam omne nimium Naturæ inimicum *2. aphor. 51.* Verum quid per *Compressiones* intellexerit? cum inquit: *neque Compressiones ad extreum ducendæ sunt*. In textu græco scribitur *τὰς ξυπνάσας*, quod licet Leonicenus vertat *Compressionem*; Fuchsius tamè Extenuationem exponit, & Heurnius Inanitionem tales, ac tantam, ut ex ea Vasa concidant: nam si evacuatio immoda fieret, & ad extreum, Vasa procūl dubio inanita conciderent; imò & ipsa moles Corporis labasceret, non sine vitæ periculo: subinde enim

enim Syncope, aut Apoplexia certò immineret.

Sed undè est, quòd hoc loco Hippocrates extremes evacuationes caveat; *Apb. verò 23.* bujus Libri illas commendet, inquiens: *Atquè ubi usquè ad animi defctionem expedit ducere, faciendum.* Ubi Galenus subdit, *in maximis doloribus, & vehementissimis febribus, nullum majus inveniri remedium,* quam usquè ad animi defctionem evacuare.

Et licet Brasavolus, Hippocratem, & Galenum, commendasse dicat evacuationes sanguinis ad animi deliquium usquè *exclusivè*, non *inclusivè*; id tamèn alienum omnino est à Galeni mente; is enim citato loco, & *9. Meth. cap. 4.*, & *lib. de cur. rat. per Sang. miss. c. 12.* Sanguinis detractionem adhortatur animi deliquium includere; siquidèm describens ibidèm deficientis animi ex Venæ sectione accidentia, memorat totius Corporis refrigerationem, sudorem, vomitum, dejectionem, & similia, quæ sanguine Syncopem præsentem attestantur. Hinc aliter Sanctorius Hippocratem interpretatus, illum vituperasse, inquit, extremes evacuationes, non quidèm in Corporibus quadratis, & absolutè robustis, sed in Athletis tantum, qui non omnino boni, perfectiè corporis habitus erant, quoniàm sanguis in iis superabat aliorum humorum proportionem; cum tamèn Virtus vitalis solum in illis robusta sit, quibus inest quatuor humorum Symmetria, & optima partium commensuratio, quam in Athletis defuisse idem Auctor arbitratur, eoquòd pars sanguinea, & carnosa, præcelleret aliorum humorum, reliquarumquè partium proportionem. At quam absurdā sit hæc Sanctorii expositio, non est, quòd multis suadeam, quippè qui multa fingit, multa supponit de quaternario humorum numero,

mero, jām satis reprobata, & à Peritoribus manifestæ falsitatis redarguta. Præterquamquod Hippocrates nomine Athletarum intelligit, qui ad summum bonitatis pervenerint; undè igitur habet Sætorius, ut mentem Hippocratis retorqueat ad Corpora Athletarum, quorum habitus absolutè bonus non sit?

Per easdem, imò & graviores ambages, versantur, qui Hippocratem interpretantur, carentem in hoc Aphorismo evacuationes, quæ eò deducunt Vasa, ut inanita subsidere cogantur, undè Syncopes, & repentina interitus; At verò *in Aph. 23.* commendasse eas ad Lipothymiam usquè, non ad Syncopem: differre autem dicunt Syncopem, & Lipothymiam, quod illa sit præceps Virium lapsus, ex pulsu deficiente indicatus; hæc verò sit quidem casus Virium, sed pulsu superstite. At omni criminе, suppicioquè dignus foret Hippocrates, si vires, & Hominum Vitam, in tām ancipiti periculo per ejusmodi evacuationes, libratas voluisse, qui in suo Jurejurando spöonderat, se dubia quæquè, & periculosa vitaturum, qualia planè sunt cujusvis animi defectiones, undè difficilis admodum est redditus in Vitam; atquè ex Lipothymia in Syncopem, ac deniquè in Mortem, facillimè transitur, nullis ex adverso suffragantibus auxiliis.

Melius dicendum eapropter, nuspiam sua sententia commendasse Hippocratem cujusvis generis evacuationes, ad animi defectionem usquè, sed loquutum esse dumtaxat sub conditione: etenim *c. aphor. 23.* primi hæc habet: *Atquè ubi ad animi defectiōnē expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare.* Cumquè rarissimè, vel numquām ægri tolerant ejusmodi evacuationes, idcirco numquām pariter ten-

tentandæ illæ erunt. Adde, quod eo loco non agit Hippocrates de Venæ sectione, & sanguinis detractione, sed de dejectionibus multitudine haud quaquam existimandis, quæ cacoehymiam humorum respiciunt, nequè tantam Virium dissolutionem minantur, quanta ex sanguinis missione timetur. Verum de hac re longior sermo redibit in prædicti Aphorismi expositione.

Quandoquidem videtur Hippocrates sumere præterea indicationem detrahendi sanguinem, atquè ad præfinitam quandam quantitatem evacuandi, ex Viribus solummodo; dum inquit: *sed qualis natura fuerit ejus, &c.*; cum tamè indicationes istæ sumi debeant, vel à Morbo, vel à Causa Morbi, juxta ea, quæ fusè traduntur in Methodo Medendi; idcirco de ejus mente hic ulterius addubitandum. Et communis responsio est cum Galeno *lib. de opt. scit. ad Trasybul. c. 22.*, robur non indicare remedium, sed tantummodo tolerare, ac permettere: cumquè remedium, ut ritè administretur, sit à viribus tolerandum, propterea Hippocrates tantam inquit faciendam esse evacuationem, quantam Vires tulerint: quod etiàm pluriès edocuit Galenus *9. Meth. cap. 12., & 13., & lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 14.*

At hic controverti potest, quidnam illud sit, quod principaliter Venæ sectionem indicet? Etsi enim non desint, qui sanguinem in cunctis ferè morbis educendum jubeant; non tamè adhuc inter eos benè convenit, quodnam sit primum, præcipuum, atquè immediatum Indicans missionis sanguinis.

Putarunt aliqui cum Masalaria *lib. de scopis mitten- di sanguinem*, proprium, & adæquatum indicans Missionis sanguinis esse morbi magnitudinem, moti autho-

authoritate Hippocratis 4. de rat. vii. s. 19. dicentis :  
*In acutis sanguinem detrabas, si Morbus vehemens sit,  
et asque floruerit, & Virium robur adsit.* Cui consentit etiam Galenus 4. meth. cap. 6. At vero morbum magnum exponit idem Auctor ibidem, tripliciter intelligi, vel ob afflictæ partis prestantiam, vel ob cacoëthiam, malumvè morem, aut propter affectus magnitudinem, & laesa partis expansionem. Quare perperam confundunt nonnulli magnum cum acuto; nam etiam in chronicis misit sanguinem Galenus, videlicet in febre Quartana, in Anasarca, in Arthritide, Sputo sanguinis, aliisque chronicis ægritudinibus. Hisce authoritatibus efficacissimum se putant isti addere argumentum, quod scilicet magnis morbis magna convenientia remedia: Atqui sanguinis missio magnum remedium est; Igitur illa magnis morbis omnino convenire dicenda videtur.

Verum quam longè isti aberrent à vero, ex eo potissimum deducitur, quia plerique morbi magni, acuti, & vehementes sunt, venæ tamè sectionem nedum non admittunt, sed respuunt: cujusmodi sūt, etiam ex Galenicorum sententia, Apoplexia, Vertigo, Syncope, Cholera, Volvulus, Lienteria. Nequè vero omnino verum est Axioma illud: magnis morbis magna remedia convenientia, præsertim si ea vocemus magna, quæ magnam in Visceribus, humoribus, & Vita, commotionem pariunt, non sine ingenti discrimine: hæc enim tantum abest, ut magna remedia, quin potius perniciosissima pharmaca sint appellanda. Imò sæpè numero usu venit, ut maximos, & gravissimos morbos, levissimis remediis arceamus: sic Alysson, & pulvis Cancerorum fluiatilium, sanat morsum canis rabidi, & hydrophobiam præcavet: sic à sanguine hirci Pleuriti-

ritidem , à subere Dysenteriam , à gummi arabico Dysuriam , à nitro Nephritidem , à cortice peruviano Febres , ab Opio dolores , sèpissimè fugari videmus . Quamobrèm , cùm verissimum sit , Natu-ram esse morborum medicatricem , ea dumtaxat magna remedia appellare licebit , quæ illi haud-quaquàm infensa , atquè molesta sunt , nèc vitale robur infringunt ; sed potius , quæ grata , atquè amica , ejusdem vim , facultatemquè promovent , ad superandam , propulsandamquè morbificam Cau-sam . Hinc illud remedium magnum appellabi-tur , quod ad morbi curationem efficaciùs con-ducit , quamvis sine violentia operetur . Acce-dit , quòd nèn valet illatio ab indicante gene-rali ad indicatum speciale ; undè non rectè infer-tur : est morbus magnus , ergò indicatur phlebo-tomia .

Arbitrati sunt alii cum Capivacco , vehemens peccatum sanguinis indicare *primo* , & *per se* phlebotomiam : vehemens autèm peccatum sanguinis , in-quidunt , considerari posse trifariam : aut secundùm formam , cùm scilicet putreficit , & corruptitur : aut secundùm quantitatem , cùm excedit : aut secundùm motum , cùm de parte in partem fluit , quò fluere non debet . Hinc subdunt , vitium sanguinis secundùm formam indicare evacuationem illius *era-dicativam* ; vitium verò quantitatis indicare eva-cuationem *minorativam* ; secundùm motum deniquè in-dicare evacuationem *revulsivam* .

Sed & hi suis quoquè implicantur difficultati-bus . Et quidèm cùm sanguis peccat secundùm for-mam , degenerat in alias humores , qui cacochy-miam constituentes , purgatione potius , quàm sanguinis missione egebunt ; quin & vires languen-tes

tes admodum ex ejusmodi sanguinis mutatione, corruptioneque, procùl dubio missionem minimè tolerabunt. Attamen si hæc unquam in corrupto sanguine foret admittenda, ut vult Capivaceus, *eradicativa*, deberet planè universum sanguinem exhaire ad Viventis internectionem. Excedens prætereà quantitate sanguis in venis, & arteriis, ut evacuatione egeat, nuspiam visus est; nam quemadmodum Natura in necessariis non deficit, sic in superfluis non abundat; & si quandoquæ à copia ciborum abundantior fortassè sanguis progigni videatur, moles indè potius corporis, & carnium incrementum habebitur, chylosa scilicet Sanguinis portione in alimentum partium cedente, cui sola frugalitas medebitur. Vitium denique in motu omnino commentitum est, & falsò Veteribus creditum, qui putabant sanguinem in venis contineri, sicut vinum in utre: perenniter quippè ille circumit, & si fortassè aliquando remoretur, aut alicubi restagnet, graves excitat ægritudines, febres, inflammationes, aliasvè, aliter omnino subigendas.

Existimarent alii cum Vallesio 7. *controv. cap. 2.*, venæ sectionem non esse unicum remedium, seu indicatum, sed multiplex, imò multorum remediorum aggregatum, adeoque indicari ab aggregato multorum indicantium; Quin imò addit Sanctorius, huic insistens opinioni, verum, propriumquæ indicans venæ sectionis esse *innominatum*, atque *inefabile*, eo quod ab unico denominari non possit: Octo autem ipse enumerat indicata, seu remedia, ex phlebotomia provenientia. Primum vocat *Eradicans*. Secundum tollens plenitudinem. Tertium auferens malignam qualitatem. Quartum temperans calorem. Quintum revellens. Sextum derivans. Septimum

mum *præbens motum sanguini*, *quiete peccanti*. Octavum denique *deobstruens*. Concludit eapropter, phlebotomiam humores peccantes *eradicare*, abundantes *minuere*, putridos *corriger*, fluentes *revelare*, stagnantes *derivare*; itemque *aperire*, *refrigerare*, *ventilare*, *deobstruere*, & mille alias utilitates afferre.

At si hæc bona omnia ex unica provenirent phlebotomia; sanè nullus foret morbus, cui illa non esset profutura: cum nullus morbus sit, in quo vel eradicandum, vel minuendum, vel corrigendum, vel revellendum, vel derivandum, vel refrigerandum, vel deobstruendum, vel aperiendum, alteriusque operandum, alterandumve non sit. Atqui nèc ipsi, quibus tam cordi illa est, audent eandem Vertiginosis, Epilepticis, Empyicis, Tabidis, Asciticis, Obstructis, Asthmaticis, oedemate, & schirrho affectis, aliisque præscribere; in quibus eradicare, minuere, corriger, revellere, derivare, aperire, deobstruere, aut aliter alterare expedit.

Utcumquè præterea consideretur Phlebotomia, numquam utiliter poterit, & sine ingenti periculo, in ægrorum auxilium duci: etenim, ut præsidium eradicans, deberet universum vitio affectum sanguinem è venis, & arteriis exhaustire, ut omnem illius labem, si præsertim in totum Corpus irrepserit, eradicaret; et si alicubi tantum lateat, divinandum prius fore, undè is extrahendus, citra aliud dispendium, aut infectionem. Sed et ejusmodi purifications in sanguine, superstite vita, quis unquam rationabilitè admiserit?

Ut præsidium, plenitudinem diminuens, in sanis potius, quam in morbos corporibus, locum habere potest, ut huc Hippocrates de Athletis innuit,

cum ad extremum bonitatis devenerint; at verò in morboſis omnia aliter prorsus ſe habent, cum, & ſanguis, & reliqui humores multum evarient, atq[ue] in alios, aliosque degenerent, minimè per phlebotomiam educibiles, per quam non tam mali, quam boni plerumquè, non ſine gravi vitæ incommodo, educuntur; undè Hippocrates ſolum commendare viſus eſt evacuationes in Athletis, cum intrà limites sanitatis versantur: nèc ſolum edatione, ſed potius diæta, ſolvendos illos eſſe p[re]cepit, detractione procūl dubio tutiori, magisque Veteribus commēdata. Cæterūm plethoriam in ægris, & potissimum febrientibus, haudquaquam inveniri, ex eo ſpeciatim ſatis, ſuperque evincit Helmontius, quiā Cauteria in iis ſpontē exiccantur, nullumque ſanguinem fundunt.

Quod infupèr poſſit per phlebotomiam maligna qualitas ex humoribus abſcindi, incredibile omnino eſt: Maligna enim qualitas haud evacuantibus, ſed corrigentibus, ſubigitur; ut proptereā ſolū alexipharmacā, & antidota, à Cordatioribus commendentur, quibus illius viſ immanis infringatur. In malignis autem ægritudinibus bonus ſanguis paucus eſſe ſolet, iſque ſepiſſimè effœtus, ut teſtantur pulſus debiles, tactus frigidus, propenſio ad ſomnum, & totius corporis languor; undè Galenus 4. de San. tuenda cap. 4., agens de dignotione, & Curatione vitiosorum ſuccorum, ait: *Si bonus ſanguis modicus ſit, reliquus verò ſuccus plurimus; utiq[ue] in hiſ abſtinendum à detractione ſanguinis eſt.* Amplius, cum dicatur maligna qualitas ab ingenti humorum putrefactione pendere, ſanè repugnabit omnis ſanguinis detracſio, tam quiā per illam putredo minimè curatur, documento Galeni 11. meth.

cap.

cap. 14., tūm quiā educto tenuiori, floridiorique, qui remanet, sit magis obnoxius corruptioni; quare idem Galenus 9. meth. cap. 10. inquit: *In morbis maximè est periculosa evacuatio, veluti si ea fortè incidit ex corruptela humorum.* Si præterea ingens hæc putredo in venas, & arterias nondūm irrepescit, ut cùm pulsus est bonus, & urina, ex Rhasi; sed vel in glandulis Corporis, vel in exilibus vasis, & apicibus arteriarum hæreat, ab educto sanguine illa interius protrusa, cominùs cor adoritur, & necem infert. In hanc rem Sennertus *cap. de febribus malignis, & pestilentibus*, conferens quotquot antè sua tempora rem Medicam sunt professi, & malignas, pestilentesque febres curare aggressi sunt; longa serie memorat, testatos, extremum obiisse diem ægrotos omnes, quibus in pestilentiis sanguis detractus fuerat; quibus verò secùs, felicitè convaluisse; quin & Galenus ipse *lib. de cibis boni, & mali succi*, idipsū, expressè fatetur, suo tempore accidisse in quadam pestilenti constitutione, ex ciborum vitio. Vires enim plerumquè in his extremè languent, quibus cæteroquì, oppugnandæ malignitatis gratiâ, validissimis opus esset, haudquaquam venæ sectione dissipandis.

Quàm præterea perperam agatur in mittendo sanguine, ut exindè calor adimatur, & vita refrigescat; notius est, quàm ut hic fusa oratione ostendi possit. Vita nostra calore eger, & calore conservatur: frigore verò languet, & fatiscit; undè ex utriusquè excessu, sanè gravior, periculosiorque cēfendus est, qui ex frigore, quàm qui ex calore: cùm, quoadusquè calor vigeat, vita perseveret. Nequè verò perpetuò, ex missione sanguinis, calor, qui febrilis dicitur, remittitur: cùm & aliquando, immò s̄x p̄s̄epiùs, augeatur, ut experimur in febribus,

bus, quæ non raro ab ejus detractione ingravescunt, & exacerbantur. Refert quippè Helmontius *lib. de febribus cap. 4.*, Cardinalem Toletanum ab iteratis phlebotomiis, universo penè sanguine exhausto, priùs vita defunctum, quam febre. At verò, si phlebotomia ejus virtutis esset, ut calorem excedentem, ad naturalem, & vitæ consentaneum reduceret, esset procùl dubio remedium febrentibus omnino præsentaneum; cum tamè plerique in pejus ruant, atquè ab illa intensius excandescant. Porro scitè admodum inquit Helmontius: *tantum sanguinis missio refrigerat, quantum de calido vitali furatur.* Et Galenus *12. meth. cap. 1.* multò anteā admonuit, non raro ab ejusmodi evacuatione, priorem quidem morbum desinere: sed aegrum remanere decolorem, viribus imbecillum, exilem, ut vix pristinum habitum in posterum recuperet. Quemadmodum igitur dubius est eventus, in curandis febribus, à largo potu aquæ gelidæ, quæ specialius æstum febrilem temperare valet: cum subinde plurimi ab illa perierint, ad extreum frigefacti; sic & longè gravius periculū timetur à venæ sectione, sedandi fervoris caulsâ, indicta, per quam nedum excedens, & qui febrilis putatur, adimitur: sed &, qui salutaris est, à sanguine oriundus, quique vitam tutatur, & fovet. Sed Ecquis unquam sciverit, quantum sanguinis sit educendum, quod æstui solùm temperando sine vitæ jactura satis sit? Verum & hæc, quæ de caloribus sunt à Veteribus conficta, alibi latius examinabuntur.

Quod ulterius creditur, posse per Venæ sectionē fluentem sanguinem retrahi, atquè in contrarium cursum distrahi, ac derivari; vanum omnino est: is etenim, continentè excurrens per arterias, &

ve-

venas, indeque rediens in Cor, perenni circuitu vitam promovet, nèc sine gravi ejusdem incommodo retardari potest; undè si fortassis alicubi hæreat, febres, & inflammationes parit, quæ potius dissolventibus medicamentis, quam sanguinis detractio-ne curantur; cùm stagnans extrà propria vasa sanguis, venæ incisione neutiquam educi, aut aliò distrahi queat: imò potius ex dispendio vividioris portionis facilius concrescit, & difficilius dissolvi-tur, aut suppuratur: quibus sanè modis vitæ inco-lumitati consulitur.

Denique quòd obstructioni minimè possit venæ incisio opitulari, docemur ab eodem Galeno *cit. 11. meth. cap. 14.*, dicente: *Nèc obstrucțio, nèc putredo curari potest per sanguinis missione*. Et quidèm si unquam à sanguine obstrucțio fit, certè in apicibus arteriarum contingit, quæ nimia exilitate ne-queunt tām facile impulsu m à corde sanguinem excipere; idque potissimum, si à contracto acore facilè concrescat, aut glutinosior evaserit; modò per venæ sectionem nulla ratione ejuscemodi arteriola-rum obstrukciones removentur, sed magis, ac magis à concrecente sanguine increscunt: ut propterea raro illa contingat, quin comitem non habeat febrem acutissimam, & mali moris, si præsertim præcordia occupet.

En igitur quam debili fundamento innituntur, quæ tot, tantæque ex sanguinis missione memoran-tur utilitates; et si aliquandò referatur illa juvisse, indeque convaluisse ægrotantes: certè, quos illa nō peremit, sortem servasse dicendum. Quibus autem rationibus plerique inducantur, ut obfirmato animo huic magno putato remedio emancipentur, hacce-mente concipere non potui. Excusandi planè sunt

sunt Veteres , quos nova Medicinæ inventa , quibus jàm locupletata est , latuere ; at non video , quam veniam Recentiores unquam sint promerituri . Si experientiam appellant , qua plurimos per phlebotomiam sanatos fateantur ; testor ex adverso Ipse , multos me annos Medicinam factitasse , & in Xenodochio Parthenopæo Divæ Mariæ Annunciatæ centenos , & millenos brevi curasse , sine ulla sanguinis evacuatione : licet phrenitide , pleurisi , angina , hepatide , hæmoptoë , erysipelate , omnisque generis febribus , fuerint correpti ; ut proindè jàm in propatulo sit , quamlibet posse ægritudinem citò , tutoque curari ; absquè ulla sanguinis effusione ; & si aliquandò illa locum habeat , in sanis potius , & in Athleticis , plethoricisque Corporibus , ad plenitudinem minuendā , juxtâ mentem Hippocratis , commendâda , nè in immedicabiles ægritudines incidant , & suffocationis periculum incurvant . Undè Galenus 2. apb. comm. 8. , cohærentè Hippocratis sententiæ , hæc habet : *Hippocrates non hic tantum* , *sed etiàm in aliis suis commentariis* ; quandò invicem proportione servata humores omnes augentur , missione sanguinis auxiliatur ; ubi verò unus quis ex ipsis superabundat , illi purgatorium dat medicamen . Et eodem 2. apb. comment. 17. : *Evacuatio autem omnium humorum æqualiter* ( quæ quidem exquisitissima est ) *fit per venæ sectionem* . His inhæret Avicenna sen. 4. primi cap. 20. , ubi definit phlebotomiam , *evacuationem esse multitudinis detractivam* : multitudinem autem humorum , subdit , *augmentum esse supèr æqualitatem ipsorum in venis* . Cùm itaque ejusmodi plethora , atquè humorum in venis plenitudo , nonnisi in sanis haberri possit , cùm ægra Corpora per hoc ipsum , quòd ægra sunt , sanguinis , & carnium incre-

crementum nequeant adipisci ; sit ea propter , ut venarum sectiones sanis , & plethoricis tantum convenient , nè in ægritudines labantur , aut suffocationis periculum incurant , si id quoquè verum sit , ut de Athletis consulit hic Hippocrates .

Claudit denique Aphorismum Hippocrates , inquiens : *Et rursus refectiones , cùm extrema fuerint , pericolosæ . Quibus verbis admonet , quod sicuti evacuationes ad extremum ducendæ non sunt , nè vasa exinde comprimantur , & concidant ; sic & refectiones extremæ esse non debent , quemadmodum*

2. aphor. 51. scribitur : *Plurimum , atquè repente evacuare , vel replere , vel calfacere , vel refrigerare , sive quovis alio modo Corpus movere , pericolosum : omne enim nimium naturæ inimicum , sed , quod paullatim fit , tutum est . Per extremas autem refectiones , non solum intelligi possunt , quæ ad extremumducuntur , adeoque illicè , & ingenti copia ciborum à plerisque tentari solent : sed etiam , quæ adeò diminutæ sunt , ut vix reficere valeant , ac propterea sub tenui victu comprehenduntur , quippè Natura nostra mediocritate sempè gaudet ; de quo tenui victu mōx .*



APHO-



## APHORISMUS IV.

*Victus tenuis, atquè exquisitus, in morbis quidem longis sempèr; in acutis verò, in quibus non convenit, periculosus. Et rursùs, qui ad extremum devenit tenuitatis, gravis est: nam & repletiones, quæ ad extremum deveniunt, graves sunt.*

**D**E victu ægrotantibus exhibendo verba saturus Hippocrates, considerat primùm detrimenta victus tenuis, tam in morbis acutis, quam in chronicis; atquè ait, tenuem, & exquisitum victum in morbis longis sempèr esse periculosum, adeoque damnandum; in acutis verò, in quibus, ex aliquo accidenti, non convenit, adhuc periculosum existimari: idque magis, quo ratio victus ad extremum tenuitatis devenerit; & rationē assignans, subdit, quoniām repletiones, quæ ad extremum deveniunt, periculosæ etiām sunt.

Verū ad horum notitiam præscire decet, Victimum apud Veteres fuisse distinctum in Plenū, Tenuem, & Mediocre. Rursùs tenuem, in exactè tenuissimum, in tenuissimum, in exactè tenuem, & in tenuem non exactè: ut meminit Galenus in comm. bujus apb., & supèr libros de ratione victus in morbis acutis. Plenus victus intelligitur, qui sanorum est, & viribus, ac carnibus augmentum præstat: licet majori, vel minori quantitate sumptus, magis quoquè, aut minus pro corporū, & ætatis diversitate nutriat: putà, qui ex carnis, ovis, cæterisq; usualibus alimentis frequentior esse solet. Mediocris est, qui vires quidem tuetur, sed non

non multum auget, quinimò ex rebus labilibus, quæ citam in Ventriculo dissolutionem subeunt, patratur: ut sunt ova recentia, panis elixus, pastilli è mica triticei panis edules. Tenuis denique, vires potius minuit, quam augeat, vel servet. Hic præterea denuò dividitur in victum extremè tenuissimum, qui proximè accedit ad jejunium: ut, cum spiritus tantum, clixires, confectionesque restaurates, commissæ liquoribus, ad cochlear unum, vel alterum, exhibentur: quemadmodum fieri solet in morbis vehementioribus, qui citò in salutem, vel mortem desinunt. In victum simplicitè tenuissimum, ut erat aqua mulsa, & melicraton temporibus Hippocratis. In cibum exquisitè tenuem, ut tremor ptisanæ. Et demùm in tenuem non exquisitè, ut erat tota ptisana.

Sed & præscire juvat, apud vetustiores Medicos variè victus rationem fuisse institutam. Quorundam mos fuit extremam inediam, saltēm per triduum, ægrotantibus imperare, uti erant Diatrikti, quorum Princeps Thessalus 4. meth. cap. 4, Aliis erat in usu victus plenissimus, ut fuit Petronas, cuius meminit Galenus *comment. i. de ratione victus t. 13.* Alii aliter, pro Sectarum varietate. At Hippocrates victus rationem sic instituit, ut in acutis morbis tenuem: in longis verò pleniorem præscriberet. Nequè antè illius tempora intè medicina præsidia Diæta fuit: etenim, referente Galeno lib. de Arte tuendæ sanitatis ad Trasybul. cap. 33., Plato, antiquos Asclepiadas, idest Medicos, hac medicinæ parte non admodum usos esse, asseverat. Et Hippocrates primo de ratione victus in acutis t. 6. ait: de Diæta, idest victus ratione, nihil, quod effatu dignum sit, conscriperunt Veteres: quamquam

v. Cels.  
lib. 3.  
.4.

*id magnum esset.* Hippocrates ergò ejusmodi auxilio Medicinam locupletavit, quo congrua victus ratio ægrotantibus præscribatur, & quidem summo cum emolumento.

Quamquam autem Diætæ nomine apud Hippocratem, & Galenum *comment. 3. in 3. epidem. t. 9.*, & *1. de rat. vict. in acut.*, & *citato lib. ad Trasibul.*, & alibi, sex causæ, seu res nonnaturales dictæ, intelligentur; hoc tamèn loco propriè sumitur Victus, græcè ἡ Δίαιτα, pro cibo, ut explicat idem Galenus *in comm. bujus Aphorismi*; ut propterea eidem adjiciat tenuem, atquè exquisitum, sicut pariter in sequenti illum discriminat à pleniori.

Nec est insuper prætereundum, duas præcipue conditiones exigi à Galeno *2. aphor. comm. 23.* ad acutam ægritudinem, symptomatum scilicet incrementum, & ipsius ægritudinis brevitatem; undè acuti morbi ab eodem & magni dicuntur, &, qui ad suum vigorem celerimè properant. Ex defectu primæ conditionis, febres diariæ acuti morbi non sunt quamvis enim brevissimè terminentur, putà intrà spatium ad summum trium dierum; vehementibus tamèn symptomatibus carent. Ex defectu secundæ conditionis, Hecticæ febres, Hydrops, Empyema, aliique, nequè acuti appellantur: quià, licet gravibus symptomatis ægros affligant, adjunctam tamèn brevitatem non habent.

At verò potissima Causa chronicarum ægritudinum ex Galeno *2. de differ. febrium cap. ult. triplex* recensetur, humorum scilicet multitudo, crassities, & viscositas: in his enim multum temporis consumuntur, ut multi diminuantur, crassi attenuentur, & viscosi humores incidentur, adeoque ægritudo longa evadit, ut tandem, evictâ, expulsaque causâ, desinet.

finat. His addidere nonnulli vitiosorum succorum ab excrementorum viis distantiam , & altius infixam in Visceribus discrasiam ; Unde Morbi articulares , & ægritudines nervorum , solent esse diuturniores : sicut pariter Viscerum obstrukiones , & tumores Splenis , Mesenterii , & Uteri , indeque quartanæ febres , scirri , affectiones hypochondriacæ , & similes . Contrà verò , breves ægritudines ab humoribus plerumquè oriuntur paucis , tenuibus , & fluxilibus . Cæterùm ad morbos cōtrahendos conferet indiscriminatim virium robur , & ductuum corporis laxitas : à robore etenim vitiosi humores citius evincuntur , & debellantur , atquè è ductibus liberis , & expeditis , promptius perspirant , & facilius expurgantur ; undè est , quòd quartanæ febres æstivæ ab Hippocrate dicantur breviores : longiores verò autumnale , & potissimum , quæ hyemem attingunt 2 .  
*aph. t. 25.*

His modò præmonitis , damnat Hippocrates vitium tenuem , atquè exquisitum ( qui scilicet vires non auget , sed minuit , cuiusmodi erat suo tempore ptisanæ tremor ) in omnibus morbis longis ; & meritò , quoniā in his , præ temporis diurnitate , ad causam morbificam evincendam , vires validæ exquiruntur ; atqui hæ nonnisi pleniori victu foventur . In acutis verò , licet videatur vicius tenuis commendandus , cùm ob brevitatem vigor statim immineat , in quo frugalitas conducibilior est : ut propterea doceat *in-comm.* Galenus , quòd *in omnibus morbis , quibus maximus vigor , & judicatio primis quatuor diebus futura est , modò Natura sit fortior , integrum inediā servare debemus , qua est vicius extremè tenuis ; in quibus verò non ultra primam septimanam protrabitur , fortii existente natura , solo*

*utendum est melicrato, qui fuerit & ipse victus tenuissimus, non tamè in extremo; nihilominùs, si cum acutis morbis aliquid conjungatur, quod ejusmodi extremam dixtam ferre non possit; plenior victus est concedendus: quare subdit idem Galenus: si Naturæ robori non satis fidamus, pisana utemur succo. Hinc nocuus sempè est victus exquisitè tenuis in chronicis, & quandoquè etiàm in acutis.*

At quinam sint acuti morbi, in quibus tenuis victus non convenit, jure dubitare licet hoc loco. Et quidè negat Galenus, haudquaquam propter peracutos adjectas esse has particulæ; nàm de illis infrà scribitur: *ubi Morbus peracutus est, victus extremè tenuissimo utendum.* Sed pro his intelligendi sunt, qui cum ingenti evacuatione junguntur, & à principio vires atterunt: ut sunt febres cum alvi fluxu, animi deliquio, hæmorrhagiis, in quibus ab exactè tenui victu vires prorsùs conciderent, & ægræ ad interitum festinarent. Quamobrèm idem Hippocrates 2. apbor. 7. admonuit: *qua longo tempore extenuata sunt Corpora, lente reficere oportere; qua verò brevi, breviter.* Id ipsum etiàm confirmat Celsus lib. 1. cap. 3., inquiens: *In morbis, in quibus initium est ab evacuatione, sicut nullum majus remedium veloci refectione; ità nullum majus dampnum jejunio, aut parco cibo.*

Verùm obstarre his videtur, quòd in morbis à maxima evacuatione pendentibus, summè quoquè Vires languent, que, licet exigant pleniorum vitum, quo refici possint; illum tamè non sufferūt, quoniàm nequit imbecilla virtus largiore ciborum conficerē. Verum tamè, estò vires brevi extenuentur, solidæ partes vigent, à quibus plenior cibus conficiatur: etenim ciborum digestio potius ad so-

lidas

tidas partes, earumque fermenta, pertinet, quam ad spiritus. Accedit, quod hic damnatur solùm victus tenuis exquisitus, idest exactè talis, qualis erat tremor ptisanæ, undè vires multùm deficeret; at ex Galeno in acutis, tantam diætam non admittentibus, concedi debet plenior victus, qui scilicet vires, quas invenit, tueatur. Itaque in prædictis morbis acutis, licet concedendus non sit vietus plenus simplicitè ob virium languorem; non tamè exhibendus erit tenuissimus, qui magis illas infirmet, sed medius inter utrosquæ, vires servans, nè magis infringantur.

Dubitare insuper contingit ex Galeno *in comm.*, quare dicat, in acutis morbis cibum oportere esse minuenteem vires; etenim, si vires minuerit, quomodo istæ morbum superabunt? At cibus, vires minuens, morbum, & causam morbi multò magis diminuit; & extennat; nam modica cibi quantitate, nè Natura distrahitur à digestione causæ morbiæ, nè copiosiora excrementa cumulantur: cum ex Hippocrate: *non pura Corpora, quantò plus nutris, ratiō magis laedis 2. aph. 1c.* Hinc cibus vires minuens dicitur relatus ad sanam corporis constitutionem, à qua certè plenior expostularetur, si omnia bene valeret; in adversa verò valetudine multis cibus confici nequit, infractis, mutatisque fermentis viscerum huic muneri destinatorum; quamobrem jure optimo diminuitur.

Quinquam autem Hippocratis ætate, cibus adeò parcus acutè ægrotantibus exhiberetur, ut etiam extremam inediā interdum attingeret; nostra tamè tempestate plenior sempèr in acutissimis adhuc ægritudinibus permittitur: aut quia robustiora tunc Corpora tantam potuerint inediā tolerare, assuetæ fru-

frugalitati; nūnc verò debiliora, & molliora evaserint, & largiori cibo uti consueverint; aut quā, ut notavit Montanus *hoc eod. Aphor. primo comm. 5.*, generalia Hippocratis præcepta diversimodè intelli-gi debent, pro diversitate regionum, & consuetudinum: cùm ipsemet dixerit, condonandum aliquid esse Regioni, Anni tempori, Aetati, Consuetudini; idque potissimum, cùm in morbis de Virium lapsu timetur. Sed tamēn, quamvis paulò plenior victus tutò nostratibus in gratiam virium conservandarum concedi possit, liberalior permittendus non est, ut à plerisque fieri solet; siquidem non exindè vires, sed morbus increscit, aut producitur, vel saltēn illius Curatio retardatur, ut advertit etiā Galenus *3. de crīsbis, & 1. de diebus decretoriis.*

Est autēm distinguendum intèr victum tenuem, & attenuantem. Tenuis enim, nedūm parcum, sed & nullius substantiæ alibilis cibum significat; attenuans verò substantiæ nutritibilis est, sed virtutis attenuantis, & aperientis. Sic vinum album, fœniculus, siller, petroselinum, cinnamomum, crocus, aves montanæ, attenuare dicuntur, quamvis liberaliūs assumentur; undē Avicenna in Ascite, Ischiade, Ar-thritide, & similibus, attenuantem, non tenuem victum commendavit. Sic quoquè Venerea lues, hydrops pulmonis, & paralysis, morbi chronicī, nēc pleniori, nēc valdē tenui victu tractandi sunt, sed attenuante: ni aliud à viribus, ætate, aut peculia-ri Corporis constitutione, expostuletur.

Quoniām verò parcior, vel plenior victus, ut in morbis præscribi possit, illorum brevitatem, & lon-gitudinem prænoscere opus est; operæ pretium exi-stimavi, breviter hoc loco referre signa, quibus pru-dens Medicus statim intèr initia exactam, congrue-tem-

temque victus rationem ægrotantibus definire sciat: quod tanti sanè momenti existimandum, ut, si fortasse ignoretur, etiā ignorare contingat usum ciborum in morbis. Hinc Galenus 3. de crīsibus cap. 5. scripsit, Medicum in hac re potissimum oportere esse versatum: tūm, nē cibum cum detimento vi- rium importunè exhibeat, vel justo tenuiorem, vel pleniorē: tūm, nē morbum protrahat, vel dete- riorem faciat. Et quamvis idem Auctor 8. meth. cap. 3. dicat: *Ego verò, nēc in omnibus ægrotantibus, fa- tieor, exactè me scire in primo die affectum;* poterit sal- tēm futura morbi constitutio secundo, vel tertio die prævideri: notando scilicet morbi impetum, symptomatum vigorem, recurrentes accessiones, & exacer- bationes, motum, & robur Naturæ, causam tūm ex- ternam, tūm internam, quæ morbum vel efficit, vel fovet, anni tempesṭatē, & constitutionē, par- tem affectam, ægrotantis ætatem, ac temperaturā. Cū Morbus impetum facit statim prima, vel se- cunda die, & symptomata profert vehementia, ac- cessiones exacerbantur, anni tempus est æstivū, ægri constitutio valida, & juvenilis; procūl dubio mor- bus acutissimus erit, antē Septimum terminandus. Si verò tertio, vel quarto die contingent, ad septi- mum protrahetur, ut deducitur ex historiis Phili- sci, Uxorū Dromeadæ, & Adolescentis, qui decū- bebat in foro Mendacium. In chronicis autēm ægri- tudinibus, prætèr nupèr memorata, observabitur ætas senilis, anni tempus hyemale, aér crassus, pluvio- sa tempestas, & hujus generis alia.

*Et rursus, pergit Hippocrates, qui ad extremum devenit tenuitatis, gravis est. Quibus verbis signifi- care videtur, non solum victum exquisitè tenuem, sed etiā, qui ad extremum devenit tenuitatis, qui-*

que

que cum jejunio coincidit, in valde acutis morbis, si non conveniat, maximè periculosum esse, cum Natura tantam inedia ferre nequeat. Et sensus est, quòd, licet morbi acutissimi, ob extremam brevitatem, extrema inedia tractandi forent; quià tamè major ratio de viribus, quam de inorbo habenda est, periculo proindè minimè vacabit victus extremè tenuis, ut potè qui vires tueri nequit. Hinc optimè advertit Sanctorius, Hippocratem hic intelligendum de robustis, quibus jejuniū nèc grave, nèc molestum est. Quare sempèr in ægrotis observanda erit propria constitutio, etas, consuetudo, regio, anni tempus, aliudve, an non possit ejusmodi victus tenuis tolerari; etenim picrocholi, Pueri, helluones, siccas regiones incolentes, jejuniū tamè facile ferre nequeunt, ut obesi, Senes, consueti, & crassum aërem habitantes.

Nequè solùm victus extremè tenuis gravis, & periculosus est: sed etiàm, qui maximè nutrit; unde concludit, repletiones quoquè ad extremum deductas graves esse; igitùr decernere videtur, moderatum cibum tutiorem sempèr esse. At quoniam poterat quis querere, num majus damnum futurum sit ægrotantibus acutè, à cibo tenui, an à paulò pleniiori: proindè Hippocrates hæc mòx subjungit.



APHO-

## APHORISMUS V.

*In tenui victu ægri delinquunt, quo sit, ut magis ladantur. Quicumque enim error committitur magnus, major in hoc sit, quam in paulò pleniori victu; propterea & sanis periculosis existit valde exquisitus, & constitutus, quoniam errores gravius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus, atque admodum exquisitus eo, qui sit paulò plenior, magis periculosus.*

**C**unctis ferè Expositoribus visus est Hippocrates, in hoc Aphorismo victum tenuem, & paulò pleniorum intèr se se comparare, adeoque asserere, majus damnum ægrotantibus futurum extenui, quam ex paulò pleniori.

Sed his omnino adversatur Sanctorius, qui ex eodem Hippocrate, atque ex Galeno, deducit, tenuem potius, quam pleniorum in acutis exhibendum. Affert autem non leve argumentum ex 2. de rat. *victus t. 37.*, ubi, semper in acutis *studendū esse detractioni*, & non adfectioni ciborum, consulit Hippocrates, donec morbus maturescat. Cui inhærens Galenus in comm., subdit: *Victus, qui plus est, in acutis efficit noxas inemendabiles; qui vero minus est, emendari potest, cibi pauxillum præbendo.* Id ipsum etiā confirmat 10. meth. cap. 13. exemplo ejus, cui ob inediā à Thessali Sectatoribus præscriptam, tantus languor acciderat, ut vix oculos attollere posset; mōx autem panco cibo cum tenui vino resefus, oculos substulit, & vires recuperavit. At error ex victu pleniori commissus nonnisi longa incidia, & iteratis evacuationibus emendari potest; unde

dè facilis dicitur adjectio , difficillima detractio . Idem etiām inquit edoceri ab eodem Hippocrate , & Galeno 2. de rat. vīct. 19. , quād in acutis illi minūs ladantur , qui accipiunt potum solum , quām qui ptisanam . Corpora prætercā acutē febricitantia , malis succis plerumquē referta sunt , ideoque ex pleniori cibo magis inquinantur , ut dicitur 2. aphor. 10. , cūm ex morbo illa malē digerant , undē postmodūm corruptiones .

Ut contradicentia hæc Hippocratis loca conciliarent , & ad rectum sensum revocarent Interpretes , multa , & varia commenti sunt . Fuchsius , & Sclanus inquiunt , voluisse hīc Hippocratem illorum morem reprobare , qui statim à principio ægros per triduum inedia macerabant , adeo ut apud Aegyptios ( ut author est Aristoteles 3.politic.cap. 11. ) cautum fuerit , gravi poena multandos , qui antē tertium diem cibum cuiusvis generis ægrotantibus porrigerent . Sed quām sit hoc ab Hippocratis mente alienum , ex verbis Aphorismi apertissimè deducitur . Nequè insupèr de vīctu tenui intèr initia exhibendo meminit Hippocrates , sed de tenui comparato ad pleniorem , quocumquē morbi tempore .

Triverius sic se satisfecisse putat , scilicet Hippocratem 2. de rat. vīct. cit. de acutis sermonem habuisse , hīc verò de morbis chronicis . Sed cūm textu præcedenti , aliisque sequentibus , verba faciat de vīctu tenui , qui suapte natura convenit in morbis acutis ; ratio postulat , ut etiām de illis hīc loquatur , in quibus ejusmodi vīctus convenire possit : modò convenit ille in acutis , non in chronicis ,

In eisdem quoquè ambagibus versantur Cardanus , & Capivacceus ; Ille quidèm , quià putat , Hippocratem in 2. de rat. vīctus loqui de cibi quantitate ,

rate : in hoc autem Aphorismo de qualitate ; Hic vero, quoniam arbitratur priorem locum intelligentium de statu morbi, in quo victus tenuis expedit; at verò posteriorem, de toto morbo, in quo victus tenuis periculosior est. Hac enīm finguntur potius ab his, quam revera menti Hippocratis cohærent.

Galenus simili quodā modo sensum Aphorismi interpretatur, etenim inquit : *Quicumque error contingit egrotantibus, qui tenui victu reguntur, hic profetō majus affert periculum.* At hic subit equidē admirari, cur Hippocrates sententiam, quam paucissimis verbis exprimere poterat, tam prolixa oratione, contrà aphoristicam brevitatem, & tot verborum ambagibus, reddiderit difficultorem : cum tamē Galenus Asiatica sua loquacitate illam brevissimè complexus sit.

Verisimilius, & cohærentius Hippocratis menti existimamus Nos, contulisse re ipsa Hippocratem in hoc Aphorismo damna victus tenuis, & plenioris, atquè rationabilitè pronunciasse, periculosorem esse tenuem paulò pleniori, quia ille viribus detimento est, hic autem prodest ; adeoque perperam à Sanctorio oppugnari allatum ex 2. de rat. vict. in acutis textum 37. Siquidem ibi commendavit tenuem victum, exigitum ab acutie morborū, indicatione desumpta ab ipso morbo acuto, qui velociter ad statum properat cum virium firmitudine; hic verò, cum earundem specialiorem habuerit rationem, proindè periculosorem inquit tenuorem esse victum in acutis paulò pleniori. Atquè hinc Galenus 8. meth. cap. ult. docet, magis incumbendū viribus debilibus, quam morbo, quia multò magis vires prævalent pro cibo pleniori, quam morbi pro tenuiori. Et in comm. hujus Aph. rationem

reddens , ait , errata esse majora in tenui victu , quia ægri cum illo ob debilitatem ad statum non perveniunt . Quare à viribus definienda est ciborum quantitas , & substantia : Sensus itaque Aphorismi erit : in acutis morbis , si ex æquo comparentur errata , & detrimenta , imminentia ex victu , ab acutè ægrotantibus assumendo : quia ex virium languore majus futurum esset dampnum , idcirco in tenui victu magis ægri delinquere dicuntur . Notat etiam Valles . epidem . 7 . comm . 4 . , quod tenuior cibus , licet interdùm sit utilior , sàpè tamèn est minùs securus ; at plenior , licet Crisim differat , à morte tamèn præcavet , quæ , ex tenuiori victu priùs exhibito , antè Crisim insequi potuisset . Et ratio inde desumpta videtur , quia alimenta haud secus exhibentur , quam ad vires conservandas , vel reficiendas ; ergo ubi vel non adest , vel non imminet virium lapsus , copiosus cibus exhibendus nō est ; contrà verò , cum de viribus ambigitur , an non persistere possint , donèc morbus maturesscat , in gratiam illarum victus plenior præscribi debet : non enim victus respicit morbum , sed vires , adcoque à viribus principaliter determinandus erit . Quare non immerito Hippocrates indulgendum , ait , paulò pleniori , quoniā vires in morbis facile labi possunt , quæ cæteroquì constantes esse debent , usquè quò causa morbi evicta , & expulsa fuerit , & si unquam error aliquis committeretur in victu , major procùl dubio foret in tenui , quam in paulò pleniori : nam de pleno simpliciter , vel plenissimo victu , certè pat error committeretur , quo scilicet vires non reficerentur , sed gravarentur , immò obruerentur .

Nequè verò præter rem foret Hippocratis mentem explicare , talem illam fuisse , ut ostenderet ,  
iùm

tum ægrotantes; tum sanos; qui tenti cibo utuntur, ægrius ferre delicta, quæ non circà victum, sed circà res alias committunt, quam eos, qui plenilis nutriuntur: præ si æger, vel sanus, qui tenuiter cibatur, delinquat in Venere, similive: huc equidem, docet Hippocrates, gravius lædi, quam, qui uberiori alimento vescatur. Multum in id facere videtur Cornarii verso, quæ græci Codicis fidem accuratius prosequitur. Illa enim sic se habet: *In tenui victu delinquentes ægrotantes magis laduntur. Omne enim delictum, quod committitur, magis magnum committitur in tenui, quam in paulo pleniore victu; quapropter etiam in sanis periculosus est valde tenuis, & constitutus, ac exactus victus, quoniā delicta gravius ferunt. Ob hoc igitur tenuis, & exactus victus, periculosus est magis, quam paulo plenior.*

Nedum autem victus tenuis periculosus dicitur ægrotantibus, sed, si fortasse valde exquisitus sit, & constitutus, etiam sanis nocet, quoniā hi errores gravius ferunt. Ubi notandum, quod sanis periculosus dicitur cibus, non quidem tenuis simpliciter, sed exquisitè tenuis, nam tenuis posset facilis à sanis tolerari, cum, ex dietis, vires quodammodo conservet, vel non multum minuat. Hinc posset argumentum à fortiori deduci, quod, si tenuis exquisitè à sanis mihi toleratur, ideoque valde periculosus est, quanto magis ægris noscens judicandus erit, in quibus vires validæ expulsantur, quo usquæ Morbus, & Causa morbi manteruerit. Addit tamèn, pericolosum esse sanis tenuem victum exquisitè, si constitutus fuerit, idest si illis dicta exacta, statuta, & continens, præscripta sit; etenim, si semel, aut bis, aut etiam

al-

alternis vicibus, sanum Corpus exacto, tenuique victu uteretur, nullum indè futurum esset grave detrimentum. Quapropter Celsus admonet: *sanum hominem nullis obligare se legibus debere, nec ullum cibi genus fugere, quo Populus utatur; interdùm in convictu esse, interdùm ab eo se retrahere: modò plus justo, modò non amplius assumere; bis die potius, quam semel cibum capere, & semper quamplurimum, dummodò bunc concoquas.* Quin Avicenna sanis Corporibus præcipit, ut saltē in hebdomada jejunent, exactamq; diætam servent, ad digerendas superfluitates, quæ ex præcedenti cibo fortè cumulatæ in Ventre fuerint.

Sed non levis difficultas emergit ex ratione, quā tradidit Hippocrates in hoc Aphorismo: *Quoniam errores gravius ferunt.* Näm videtur falsum, quod sani gravius ferant errata ex victu exquisitè tenui: cùm enim illi benè valeat, & viribus præpolleant, sanè videntur melius inediā sufferre posse, quam si ægrotaverint. Ad quam tamēn dicendum, gravius affici sanos, quam ægros, à tenui victu: cùm sani, per hoc idem, quod sani sunt, & benè valent, jejunio magis macerentur, undē solida etiā membra relaxantur, consumuntur, & elanguent: quod secūs ægrotis accedit, in quibus viscera alimentorum addicta digestioni plurimum hebetantur, & à consuetis munerialibus deficiunt. Hinc benè valentes, à longa inedia, bulimon incurront, & lipothymiam; ægrotantes verò ad dies intègros citrà noxam à cibis abstinent.

Quemadmodūm tenuis victus periculosus est debilibus, etiamsi acutè febricitent; sic pariter plenior nocuus censendus est robustis, & succipienis, licet

licet chronicis ægritudinibus laborent. Ratio deducitur ex mòx dictis, quoniàm cibus postulatur à viribus, non à morbo; nèc aliudè pleniorum vi-  
tum in chronicis morbis commendat Hippocra-  
tes, nisi, ut vires perdurent, quousquè morbus,  
ejusque causa fuerit evicta. Cùm igitùr vires con-  
stant, & cum tenui victu, vel mediocri, benè con-  
sistunt, non erit, cur plenior importunè exhibea-  
tur.

Postremò inquit, tenuem idcircò victum, atquè admodùm exquisitum, periculosorem esse paulò pleniori, ut pro coronide decernat detimenta ex illo imminentia: quasi dicat, si tenuis victus san-  
nis, & robustis nocet, procùl dubio nocebit etiàm acuto morbo laborantibus, ac proindè longè peri-  
culosior erit paulò pleniori. Quænàm autèm ine-  
diæ damna sint, explicuit idem Hippocrates *lib.  
de veteri Medicina, & 2. de ratione vilt. in acutis.*

At quamvis hæc in tenuem victum scripta sint, animadversione tamè dignum erit, longè utiliorem nostris temporibus esse tenuem cibum ægrotanti-  
bus quibuscumquè, & potissimum febriètibus: etc-  
nìm plerumquè infirmantur homines, ex crapulis,  
comæssationibus, nimiaque esculentorum luxurie;  
undè Venter universus ægrè admodùm multitudinē,  
& ciborum varietatem conficit, quinimò excremen-  
tis, multisq; cruditatibus onustus, eas excitat ægri-  
tudines, quæ exacta diæta egent, ut removean-  
tur.





## APHORISMUS VI.

*Extremis morbis extrema exquisitè remedia optima sunt.*

**H**unc Aphorismum imperfectū putat *in comm.* Cardanus; ideoque cum sequenti jungendū. Quod pariter visus est innuere Galenus hoc eodē loco. Quamobrēm, si de tenuissimo vietu in morbis peracutis exhibendo inferiū agitur, quoniām hi extremos statim labores habēt; profectò hīc etiām de extremo vietu sermonem fieri dicere necessum erit: Cūm autēm superiū de vietu exquisitē tenui in acutis morbis egisset Hippocrates, nūnc qualisnām in peracutis, & acutissimis, conveniat, decernit. Undē mens Auctoris hoc loco est, de Diæta solūm sermonem continuare, non autēm de cæteris remediis, ut vulgō creditur, quemadmodū & Galenus ipse interpretatur. Quin Heurnius existimat, præsentem Aphorismum in correctionem, limitationemque præcedentis, scriptum esse: atquē in eo exactam curationem comprehendi, designata m per dictionem græcam *αἱ Θεραπεῖαι*, quæ curationes, non remedia significat.

Verūm quoniām pleriquè contendunt, prætèr vietus rationem in morbis peracutis servandam, statui quoquè hoc Aphorismo magnorum remediorū usum in morbis extremis; videamus, quid unquām ex hac aphoristica sententia possint isti pro reliquis medicamentis, ut vocant, magnis concludere.

Extremos appellant morbos, qui magni, & summi observātur, sive breves sint, sive diuturni, magni-

gnitudinem solummodo sumentes à symptomatibus, conjunctis cum vehementia, ex quibus Natura graviter afficiatur, cum manifesto vitæ periculo. Hos autem tanquam summos, & extremos, subdunt, magnis, & extremis remedii debere curari. Atqui magna, & extrema remedia, ajunt, esse ex Galeno 2. *aphor. comm.* 29. Venæ sectionem, nonnunquam etiam & Purgationem; undè concludunt, non solum Hippocratem hoc Aphorismo extremam inediam designasse, sed etiam sanguinis missionem, & purgationem, veluti auxilia medica extrema, & præsentanca, quibus morbus quilibet gravissimus, momento ferè, abigi possit.

Sed difficile est conjicere, undè hi habeant, Purgationem, & Venæ sectionem, extrema remedia esse. Si enim nomine extremorum intelligere vellint contraria distantissima, ut usurpat cum Aristotele 10. *metaph.* Themistius 1. *physcorum tex.* 49.; certè phlebotomia, & pharmacia, nullam habent cum morbis contrarietatem, cùm vera contrarietas solum versari dicatur intèr qualitates. Nèc insuper, si ejusmodi forent, tuto possent adhiberi; nàm præter alia alibi demonstrata, Galenus expressè docet 3. *simpl. medic.* 12., & 2. *de arte Cur. ad Glauc.* cap. 3., ab his omnino cavendum, nè morbus alter priore pejor insequatur. Si verò extrema remedia appellantur, quià extremam Corporibus commotionem inferunt, humores concitando, & educendo, sub quo sensu solertiores Medici illa exponere consueverunt; sanè non erit, ut à prudenti viro, sub ancipti eventu, illa tam facile possint commendari; cùm eadē celeritate, quâ juvare possunt, soleant pariter, & frequentius irreparabilitè interimere. Quarè, si periculis implicita fæpissimè fallant, rarif-

H simè

simè , & maximā cum præmeditatione administranda , ut insinuavit Hippocrates hoc cod. lib. 1. 24. Nequè verò Galenus cit. loco absolutè afferuit , venæ sectionem , & purgationem , extrema , seu magna esse remedia , sed solūm hæc esse præcipue , & nonnunquam , atquè in genere evacuantium , cùm ibi Hippocrates de evacuantibus , seu moventibus medicamentis meminerit , inquiens : *si quid videtur monendum , move . Unde 5. meth. cap. 14.* , agens de sputo sanguinis , & ulcere pulmonis ab ipso intèr morbos magnos , & extremos , recensito , extrema remedia pro curatione retulit Diaspermoton medicamentum , compositum ex seminibus papaveris , & Ceratrum ex thapsia , syncipiti admovendum ; & alibi extrellum remedium febris ardentis dixit esse potū Aquæ frigidæ ; & in dolore colico , præsentaneum remedium , ac veluti incantamentum esse Cucurbitulam magnam , Ventri , & umbilico adhibitam , 12. meth. cap. ult. Aliquandò etiàm commendat balnea , tanquam exquisitissima medicamenta , ut præsertim comm. 42. 7. aph. ; nonnunquam etiàm meri potionem , ac fomentum 6. aphor. 31. , & 7. aphor. 46. Quamobrèm sana ratione evincere quis poterit , quodcumquè medicamentum , cùm juverit , extrellum , & maximum dici posse . Potius ergò sanguinis missio , & purgatio extrema , & magna remedia dicentur , quià magnam , & ingentem in toto corpore commotionem excitant ; aut quià generalia præsidia sunt , quamcumquè partem respicientia ; aut quià in reliquorum medicamentorum locum , cùm ignorantur , sufficiuntur : si enīm unicuique morbo congruentia , propria , & specialia remedia , adhibere sciremus , minimè generalibus ejusmodi medicamentis egeremus , phlebotomia , & pharmacia , nisi solūm

solum illâ ad venas deplendas , hâc verò ad alvū laxandam . Atqui huc spectarunt , omnemque sollicitudinem , atquè operam adhibuerunt tûm Prisci , tûm Recentiores Medici , ut singulis morbis propria , & particularia remedia singillatim coaptarent , quæ extrema forent , & illicò conferrent , ut colligere est ex Galeno in libris *de composit. medic. per loca , & de medicinis facile parabilibus* . Hippocratem præterea si consulamus , magnum , & extre-  
mum remedium , is constituit Ignem , 7. aphor. ult.  
*Quæ medicamentum non sanat , sanat ferrum : & quæ non ferrum , ignis : quæ non ignis , sunt insanabilia .*  
Sic in sphacelo , gangræna , cæterisque Ustio ex-  
tremum remedium est , ut & in præduro Jecore 7.  
aphor. 45. Sectio in Empyemate , & Hydrope , ex-  
tremum , & magnum remedium est lib. *de internis  
affectionibus*. Nèc dissimilitè Sternutamentum in reté-  
tis secundinis , & in extinto fœtu : Somnus in Delirio : Aquæ frigidæ profusio in Tetano : Timor ve-  
hemens , & repentinus , in Colica passione , & alia  
hujus generis innumera , extrema remedia dicuntur;  
ut propterea nequeat quis ex mente Hippocratis ad  
hæc duo dumtaxat , phlebotomiam , & pharmaciā ,  
illa rationabilitè coarctare .

Quod verò nèc sempèr , nèc ubiqùe , his duobus  
medicamentorum generibus tanquam extremis , ad-  
versus extremos morbos pugnandum sic , patet in  
curatione quamplurium extremarum ægritudinum ,  
præsertim verò Hæticæ febris , immodicè fluentis  
languinis , Cancri , & Scirrhī inveterati , confirma-  
tæ Dysenteriæ , Diabetes , Lienteriæ , Volvuli , Syncopæ ,  
alijarumque similiūm , in quibus , tametsi ex-  
tremis , & magnis , nequè phlebotomia , nequè phar-  
macia , locum habent . Igitur extrema , & magna-

remedia intelligenda sunt, quæ statim prodesse pos-  
sunt, cujusquè generis illa sint, etiàm citrà eva-  
cationem; adeoque perperam à nonnullis ejusmodi  
dumtaxat dici, Venæ sectionem, & Purgationem.

Quoniàm autem superius de Ustione mentio fa-  
cta est, posset hinc quis ansam arripere, intèr ma-  
gna præsidia jure collocandi Cauteria, & *Vesicantia*, quibus morbos, cæteroquì gravissimos curari  
posse contendat. Cùm enim Cauteria in muscularū  
finibus inficta, vias aperiant præterfluentibus hu-  
moribus, verisimile admodum videtur, posse ex illis  
vitiosos etiàm succos è toto Corpore educi: exem-  
pli ab Arboribus desumpto, quæ in caudicibus in-  
cisæ, veluti cauterio notatae, ubi primùm fructus  
vel nullos, vel malos gignerent, mòx plures, &  
sapidos afferant. De Vesicantibus deinde longè ma-  
jor ratio videtur habenda, quoniàm ex rebus acri-  
bus, & causticis, composita, efficaciùs possunt è  
centro corporis, quæ interius latent, ad superficiem  
evocare, citrà virium dispendium; ut proindè per-  
hibeatur, & calorem nativum ab illis excitari, &  
humores aliò decumbentes revelli, & ichores ma-  
lignos educi, & quoscumquè pestiferos, deleterios-  
que morbos tutò, jucundèque sanari; Hinc sacra-  
salutis Anchora, & morborum deploratorum subsi-  
dium appellantur.

At si verum fateri licet, nil aliud à Cauteris  
sperandum, quàm circumeunti sanguini aditum ex-  
trà Corpus aperire: sanguis etenim, qui ad mu-  
sculos, adjacentesque partes nutriendas excurrit, ob-  
inductum ulcus, exilit, & si fortassè ibidè aliquantulùm detineatur, corrumpitur; undè quæ exin-  
dè profluunt, vel sanguinem, vel purulentum hu-  
morem, referunt, quemadmodum in cæteris ulce-  
ribus

ribus experimur; cumque s̄epissimè tractu temporis partes hoc malo affectæ languere soleant, magis proinde obnoxiae fiunt suscipiendis humoribus, iisq; corrupti pendis. Hinc plurimū decipiuntur, qui credunt, ulceratas ejusmodi partes ob dolorem, & calorem, aut etiam ob metum vacui, excrementa trahere; nam & Galenus ipse lib. de causis morborum 6., & 13. meth. ultimo, naturam depellere id, inquit, quod abundat, in partes imbecilliores; & antē ipsum Asclepiades edocuit, succos in partem dolore affectam confluere, non autem ab illa attrahi. Quare à Cauterii sola sanguinis, aut lymphæ per suos ductus præterfluentis evacuatio haberi potest, ideoque in Corporibus succipiens, edacibus, obesis, & sedentariam vitam ducentibus, tolerandas, secūs verò in gracilibus, extenuatis, & morbo depressis, si potissimum distillationibus molestentur: in his siquidēm, promotā perpetim per cauterio affectas partes sanguinis egestione, concitatur, celeraturque ejusdem motus, undē distillationes ingravescunt, macrescit corpus, & non raro, languore nimio in partibus inducto, Erysipelas, & Gangræna succedit.

Quod ad Vescantia verò, non adeò illa magnificienda sunt, ut magnum emolumenntum ex illis sit sperandum in ægrotantibus, quin potius non leve detrimentum indē futurum timendum sit. Vim tractionis, quam illis attribuunt, omnino vanam existimant, qui Philosophiæ fontes plusquam leviter degustarunt, cùm jam compertum sit, tractionem nullam rebus inesse, sed omnia ad pulsionem reduci; undē & revellendi facultas obsolevit. Etiamsi prætereà traherent, procùl dubio ab arteriis educere deberent, ut à centro ad Corporis extremas partes humores evocarent, quoniā in venis valvulae

im-

impedient; cumque vitiosi humores, ichoresque maligni vulgo intrâ venas à Medicis collocentur, sanè, ut per arterias ad cutim ferri possent, Cor ipsū pervadere primum deberent, damno longè graviori. Amplius, tenuiores, acrioresque vesiculas in corte excitantium istiusmodi medicamentorum particulae cùm in sanguinem ferantur, & cum eodem circulent, ut patet ex pulsu citationi, mictu sanguinolento, urinæ ardore, cum dolore Vesicæ urinariæ; potius ab his credere licet noxam Sanguini, cunctisque Visceribus affuturam; undè vigilia, urentior calor, sitis molestior, solutior sanguis cum virium languore exoriuntur: ideo quia ejuscemodi medicamenti genus conficitur ex Euphorbio, Sinapi, Cantharidibus, aliisque acribus, & humano corpori insensis, nocuisseque rebus. Atqui majus damnum procul dubio inferent, cùm vitiosos humores in alvum decumbere, aut per vias urinarias expurgari, aut alios patentiores aditus petere contingat, veluti per loca conferentiora, quemadmodum ex Hippocrate edocet Galenus primo aphor. comm. 21., inquiens: *conferentia loca esse solere intestina, ventrem, vesicam, uterum, cutim, nares.* Mòx subdit: *Medicum Naturæ imitatorem ejusdem inclinationem observare debere.* Si igitur Natura nihilum in cutim deponere videatur, &, ut loquitur Sanctorius, nullam ad illam habeat inclinationem, ad quid vesicantibus uti licebit? Sic apud Hippocratem in lib. epidem. Meton, sanguine è naribus fluente, quinta die judicatus est: Mulier morosa per menstruas purgationes à maligna febre convaluit; & alii plurimi sanati referuntur per urinas, sputa, parotidas, in quibus cutim urentia ista medicamenta Naturæ crism impediunt, ac distrahunt, adeoque deteriorem, & lethalem morbum reddunt. Ichor

*M. vit.  
Err. 1.  
13.c.8.*

Ichor autem ille, qui nonnunquam exsudare solet ab ulceratis partibus, portio lymphæ est, per glandulas subtercutaneas excurrentis, vel etiam ejus humoris, qui in alimentum cutis cedere debuisset, quique cum liquato linimento commixtus sæpenero degenerat in foetidam materiam, quæ pro maligno humore solet ostentari, cum cæteroqui profuisset, si retenta, & partibus applicata, saltè irrorando, & humefaciendo, à suo munere non declinasset.

Sed & nequè graviora, quæ imminent malâ, ab illorum usu, omittenda sunt. Et quidem, præter dolorem, vigiliam, urinæ ardorem, ulcus, ex languore partis, non raro insanabile, solent ægrotantes exindè tam graviter affici, ut motui inhabiles, & lesto decumbere coacti, longè pejus se habeant, quam à morbo, quem evaserunt, & non sine mortiferæ plagæ periculo; quamobrè contulisset his plurimum morbum morbo non curasse, nè in graviorem, molestioremq; incidenter: nonnulli etiam periere à relictis ejuscemodi ulceribus ingangrænam versis; aliis necesse fuit sectioni, ustionique succumbere, ac mille alia incommoda pati, & cruciatus acerbissimos. Quæ deniquè ab illis beneficia efferuntur, nulla sunt: Etenim sponte sua plerumq; exsiccantur, etiamsi iteratis vicibus affectæ partes profitentur. Grassante hic Neapoli anno 1679. morbosa nimis, & pestilenti ferè constitutione, expertum est, eos, quibus partes Vesiculas excitantibus inustæ nihil profunderent, & spontè sanescerent, brevi convaluisse; periisse verò, qui benè ab illis haberit credabantur, plurimum ichoris effundentes; sic à Medicis decepti, qui salutaria putant, quæ madefacta comparent, ac multo ichore scatentia: quô sane factum,

Etum, ut non infimæ notæ Viri, & præ cæteris soleriores agnoverint, ægrotantes, quos Sors per ulcerantia hæc medicamenta non sustulit, consanuisse quidem, at non ab illis. Jure igitur optimo vocat hoc medicamenti genus Helmontius *stulta subsidia* circa *Corporis superficiem*, ubi centralia laborant, & obsessa sunt, à Spiritu nequam Moloch excogitata.

Mirari autem hoc loco subit, plerosque Medicorum, qui commendare cum non soleant, nisi que à Galeno, & Veterioribus, memorata sunt, in hoc tamèn negligunt Antiquiorum monumenta. Illi enim nec hujusmodi medicamenta habuere in usu, neque illorum unquam meminere. Primus fertur Oribasius ( licet Sinapismi ad Archigenem referantur ) inter chirurgica presidia illa retulisse, ad revellen-dum à capite, lib. 7. collect. cap. 19. his verbis : *Acria etiam medicamenta, brachiis, & cruribus imposta, succos ad caput, & viscera, vergentes revellunt.* Et quamvis nonnulli contendant etiam Hippocrati, & Galeno innotuisse, falsi tamèn isti sunt ex mala eorumdem interpretatione, qui haudquam de ulceribus arte promotis, sed dumtaxat de sponte enatis, in pestilentiis, verba faciunt. Sic namque Galenus de quadam pestilenti contagione agens, lib. de cibis boni, & mali succi, habet : *Qui servati sunt, id fuit factum, vel ob eruptiones in cutim, sive per sudorem, sive per erysipelata, ulcera, phlegmones, herpetes, impetigines, psoras, & lepras.* Et 5. Meth. cap. 12. : *Qui evasuri erant, his pustula, quas exanthemata vocant, nigrae, toto corpore multæ, confessim apparuerunt, ulcerosa quidem plurimæ, omnibus certè sicca.* Quod & contigisse notatur ab Hippocrate Simoni, Horophonti, & Sileno, in quibus papule ad cutim, & abscessus ad crura, eruperunt.

At

At hæc ad Naturæ expellentis motum referenda sunt. Et licet abscessus, & ulceræ in cute erumpentia, potuerint postmodùm ope medica vel promoveri, vel diutiùs servari; nil tamè exindè pro hujus generis medicamentis rationabiliter deduceras est; cùm Naturæ motum adjuvare, vel promovere, prudentis Medici sic, insulsi verò, & temerarii eamdem præpostérè, aut importunè concitare. Hinc advertit in hanc rem *Septalius Animadvers.*, & *Caution. Medic. lib. 5. n. 44., & 45.*, nequè Oribasium, Aeginetam, & Aretæum, primos horum medicamentorum promotores, in omnibus indiscriminatim pestilentiis, nèc sempèr in peste illis usos esse, sed solum in soporosis affectibus, vel cùm externa algerent, & æstuarent interna; eâ fortassis spe freti, ut ad dolentes, labefactasque partes externas, extremasque, qui humores internas obsiderent, decubarent, indeque ægrotantes fortè fortunâ resipiscerent. Sed de his satís.



## APHORISMUS VII.

*Ubi Morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extremè tenuissimo victu utendum est. Ubi verò non, sed pleniorum victum contingit adhibere, tantum cibi iudulgendum est, quanto morbus extremis est mollior.*

**C**um Hippocrates extremis morbis summam diætam convenire dixerit, nunc veluti rationem adjiciens, subdit, quoniàm Morbus ubi peracutus est, statim extremos labores affert, &

I

ex

ex citâ ad augmentum , & statum festinatione , gravibus afflita symptomatis Natura , conficiendis , disolvendisque cibis vacare non potest ; quamobrèm his potius gravari , quām resici contingit . Peracutis autem morbi haudquaquam intelligēdi , qui ad septimum usquè diem protrahuntur , ut censuit Brasavolus , sed qui non prætergrediuntur quartum ; nam hi statim extremos labores habent , ut exigit Hippocrates . Subdit insuper , extremè tenuissimo victu utendum esse : tenuissimus autem victus penè accedit ad inediām , quæ ad septimum sufferri nequit ; Unde Galenus in comm. ait : cùm vires tolerant , vel inediām meram , vel solius meliorati exhibitionem , vel paucum omninò ptisana ; talis quidem est tenuissimus victus . Itaque de peracutis exactè , sive acutissimis , qui ad quartum , vel paulò ulterius , finiuntur , & quintūm diem non transcendunt , intelligendus . Extremos denique labores vocat symptomata vehemētia ; etenim ab his morborum tempora internoscuntur , juxta ac idem Hippocrates 2. aphor. 1. 30. scribit : Circà initia , & fines , omnia sunt imbecilliora ; circà statum verò vehementiora .

At cùm dicatur in textu : extremè tenuissimo victu utendum , qui , ex suprà traditis , coincidit cum jejunio ; dubitandi occasio datur Expositoribus , an revera in morbis acutissimis jejunio tractandi sint ægrotantes . Et sanè obstare videntur , quæ ex eodem Hippocrate refert Galenus 3. epidem. comm. 3. ex quadam pestilentia eos solum evasisse , qui sibi ipsis vim inferentes , cibum assumpsissent . Et Avicenna 1. 4. tr. 4. cap. 4. docet , in febribus pestilentiis , quæ acutissimæ sunt , cogendos esse ægrotantes ad capiendum cibum , nam qui cibum sumunt in ejusmodi acutissimis morbis , sanantur .

Sunt

Sunt, qui dicunt pestilentes affectiones int̄ acutissimas recensendas non esse. At hi falluntur, quoniam interdum prima statim die perimunt, vel ad summum tertia, aut̄ quarta finiuntur, intrā terminū scilicet acutissimorum morborum; quare, qua ratione distrahenda Natura non est per cibum largiore in acutissimis ægritudinibus, eadem omnino nec in pestilentiis cibus videtur plenior exhibendus.

Verum ex superius traditis, Indicatio cibandi ægrotantes tenuiori, vel pleniori victu, à viribus sumenda, non à morbo; undè si illæ in peracutis consistant, tenuiorem, vel etiam tenuissimum admittent; secus si fatiscant, vel deficiant: cumque in pestilentibus febribus adhuc int̄ initia concidunt, deleterio miasmate Cor, & sanguinem invadente, sit propterea, ut in illis victus plenior commendabilis sit. Eo præterea retundi s̄epissimè solet miasmatis immanitas; & pestilentis humoris acritudo, pari modo, quo experimur plurimū à lacteis, glutinosisque cibariis infringi, & castigari erodentia, & exulcerantia venena, Arsenicum, Sublimatum, Auripigmentum, cuius fermè naturæ, & conditionis, seminia pestis esse consueverunt. Qua etiam arte se tuentur, qui ex Agyrtis, & Circumforaneis rudi plebeculæ imponunt, venena istiusmodi citra noxam assumentes, postquam benè his alimentorum generibus se impleverint.

Sicuti Morbus, cùm acutissimus est, statim extremos habet labores, & tenuissimo victu utendum; ita è converso victus plenior exhibendus, cùm ejusmodi non est. Hinc subjicitur in Aphorismo: *Ubi verò non: videlicet cùm morbus non est peracutus, nec statim extremos labores habet, & pleniorem*

victum contingit adhibere. Ut autem determinet quantitatem laetioris .victus in morbis non adeo peracutis , subdit Hippocrates , id deducendum esse a majori , vel minori eorumdem acutie , & brevitate , ut propterea in ægritudinibus ultra quartum duraturis , ad quintum , vel sextum diem , laxior dieta instituenda sit , & adhuc laxior , ac liberallior in his , quæ ad septimum protrahuntur , pro ratione . Quamquam Galenus malit id intelligendum de recessu a vigore summo , de quo modo .



### APHORISMUS VIII.

*Quandò Morbus in suo vigore constiterit , tunc victus tenuissimo utendum est .*

**D**E quibus morbis hunc Aphorismum scripsit Hippocrates , non est adeo facile dividare . Etenim si de omnibus sermone sit , planè errore non vacabit , quoniā in morbis longis vigor , aut status , ad plures dies sæpissimè protrahitur , ut potissimum in Quartanis annuis , quarum vigor , aut status universalis menses complectitur : modò si per mensem victus tenuissimo uteretur in ejusmodi generibus morborum , procùl dubio vires conciderent , & æger præ summa inedia periret . Nèc insuper de solis peracutis intelligendus ; is namquæ supervacaneus foret , cum jam superiori Aphorismo dictum sit , in peracutis victum extremè tenuissimum exhibendum esse . Et quamvis dici possit , ibi de toto Morbo , hic solùm de illius vigore sermonem haberi ; quiā tamè totus Morbus tem-

tempus etiam vigoris comprehendit, profectò si in  
eoto modò præcipitur victus extremè tenuissimus,  
etiam in vigore, & statu, credendus erit impera-  
tus. Probabilius ergò dicendum videtur, loquitum  
hoc loco Hippocratem de victu tenuissimo, exhi-  
bendo in vigore omnium acutorum, etiam si ex ali-  
quo accidenti commendabilis esset paulò plenior; ut  
propterea in omib[us] Morbis acutis, licet intèr ini-  
tia, & declinationis tempora, paulò plenior victus  
foret adhibendus, indicatione à viribus defumpta;  
cùm nihilominus ad vigorem, & statum ii pervene-  
rint, ex extremis laboribus stipati, nè ex pleniori ci-  
bo Natura distrahat[ur] à concoctione, secretioneq[ue]  
causè morbificæ, cui plurimum timic temporis va-  
care cogitur; tenuissimus victus præscribendus est.  
Vobis autem hic primùm de Acutis tantum ægritudi-  
nibus sermonem habere, in quibus majus vitæ  
periculum imminet, à symptomatibus eo tempore  
augescientibus, & citiori mutatione, quæ contingere  
solet, comprehensurus in sequenti etiam Chronicas.

Nequæ tamèn de victu foliū in vigore morbo-  
rum minuendo intelligendus est Aphorismus, sed  
etiam de medicamentorum propè omnium admini-  
stratione, atquè eorum potissimum, quæ Naturam sa-  
lubriter operantem averttere possunt: eo enīm tem-  
pore omnia frè importunè exhibentur, nisi illius  
motum adjuvent, si fortassis deficere videatur.

Advertit autem, & prudentè Galenus in comm.,  
hanc Hippocratis doctrinā iis dumtaxat morbis ap-  
plicanda, quorum causas superare Natura, atquè de-  
pellere possit, & in quibus post vigorem sequitur  
declinatio; nam in illis, quorum vigorein mors ex-  
cipit, exactam hanc inediam nequaquam præscri-  
bemus, nè infaustus eventus nostro adscribatur et-  
rori.

rori . Quare in his casibus rem omnem solo prognostico exequemur , memores illius enunciati Valllesiani , quod ad Medici honorem , & Artis admirationem magis referat prædicere mortem in morituris , quam salutem in convallitiris ; cùm etiā doceamur ab eodem Galeno 11. meth. cap. 9., ubi omnino salus desperata est , imprudentis consilii esse apud vulgum infamare præsidia , quæ multis fuere salutis ; & 2. aphor. comm. 29. deploratos attingere nō oportere , sed magis abscedere , eventu morbi prænuntiatio .

Verūm quandò , & undè vigor in Morbis habetur , inquisitione dignum est . Et quidèm , cùm symptomata increscunt , vel nova , & graviora superveniunt , vigore Morbus dicitur , juxta id , quod scripsit Hippocrates 2. apb. 30. Circà initia , & fines omnia imbecilliora ; circà statum verò vehementiora , idest symptomata , ut interpretatur Galenus . In Febribus autem potissimum , & in Morbis cum febre copulatis , hæc accident à commotione , fermentationeq; vehementiori succorum , illos gignentium , & ab eorumdem inversione tunc rēporis contingente ; propterea fit , ut si secretis inutilibus , & pravis humoribus fermentatio in præcipitationem , quam coctionem appellant , desinat , Morbi , & Febris statum excipiet declinatio , cum pristino salutis statu ; si secūs , ingravescentibus symptomatis , à sanguine , cæterisque liquoribus , Vitæ tuendæ necessariis , indegenerem à naturali statum adactis , & aliquandò etiā corruptis , partes cunctæ corporis clanguent , sed præsertim Cor in suo motu fatiscit , & Vita definit ; cumque intèr initia febrium fermentatio indebita humorum nondūm commotionem talem , ac tantam in sanguine , & visceribus induxit , ut extre-

tremam inversionem, in præcipitationem, dissolu-  
tionem, aut in coagulatione vergere videatur; proin-  
dè illis initiantibus, symptomata leviora comparēt;  
atquè hinc etiā signa coctionis, & crismum non-  
nisi circā statum comparent, quo tempore per fer-  
mentationem secoeni incipiunt, ac repurgari inu-  
tiles ab utilibus humoribus, quemadmodū in ab-  
fessibus, & inflammationibus quoquè accidit, cùm  
ad suppurationem perducuntur. Contrà verò lethali-  
a symptomata exorientur, con crescente, vel disso-  
lutionem subeunte sanguine, aut si aliter vitietur,  
& invertatur, ut ad motum exercendum inefficax  
evadat.

*APHORISMUS IX.*

*Conjectari autem oportet, an Aeger cum victu sufficiat  
perdurare, donec Morbus confusat, & num prius  
ille deficiat, nec possit cum victu perdurare, vel  
Morbus antea deficiat, & obsundatur.*

**H**actenus Hippocrates victus rationem in acu-  
tis præscripsit, desumpta indicatione ab ipsis  
Morbis, morborumque temporibus; nūc ve-  
rò à viribus illam deducens, inquit, conjectari opor-  
tere, num illæ sufferre possint ejusmodi victus tenui-  
tatem, quoquè morbus constiterit, quo tempore,  
evicta causâ morbificâ, tutò, ac salubriter fugari  
queat; si enim ejus sit roboris æger, ut citrà cibî  
mutationem morbum sustinere valeat, dixitæ inno-  
vatio nulla facienda est; sin secùs, pro illius va-  
rietate, variè quoquè alendus erit.

At

At verò quamvis sensus hujus Aphorismi clarissimus videatur, adhuc tamèn multa in illo animad-vertenda supersunt. Et quidèm primum conjiciendum docet Hippocrates, nùm qui præscribitur ci-bus, ejusmodi sit, ut cum eo æger ad vigorem, statumque morbi usquè perdurare possit, collatis ni-mirùm Morbi viribus cum viribus Aegrotantis: quod licet perarduum planè sit, solent tamèn Medici id-ipsum ex facultatum robore dimetiri; undè Gale-nus de triplici Virium genere agens 9. metb. cap. 10., docet has omnes facultates (putà Vitales, Ani-males, & Naturales) servare, nihil planè aliud esse, quàm Vitam ipsam tueri, & qualibet earum amis-sa, necesse esse, reliquias quoquè unà perire; atqui potior ratio habenda sempè erit de Vitali virtute, quíppè quæ Vitam potissimum sustinet; quamquàm & Naturalem in Morbis materialibus principalem dixerit idem Galenus 4. de præag. ex puls. cap. 12., eo quòd in illis iudicationes faciat. Vitalis autèm facultatis vim ex pulsu speciatim conjectamus, per-pendentes illius magnitudinem, æqualitatem, im-petum, ac vehementiam; etenim pulsus vehemens, magnus, & æquabilis in suo motu, vigorem Vita-lis facultatis denunciat. Sed & non solum vires per ea dumtaxat tempora constantes esse debent, sed etiàm in posterum valituræ, quousquè tandem mor-bus omnino desierit, per vestigatis nimirùm habitu Corporis ægrotantis, temperamento, ætate, unà cù facili, vel difficiili excrementorum egestione: siquidèm, cùm elatum pulsus comitantur carnium firmi-tas, constitutio corporis sanguinea, ætas juvenilis, cuni facili excrementorum evacuatione, planè vi-rium perseverantiam probabilitèr conjectabimus; se-cùs verò, si habitus Corporis sit picrocholus, ætas seni-

senilis , vel puerilis , stomachus elangueat , alvus laxiora dejiciat excrements , & vehementibus animi pathematis æger afficiatur , de futura virium jactura plurimùm ambigendum , atquè eo magis , si cum his conjungantur cause longam ægritudinem designantes , superiùs recensitæ . Quamobrèm tametsi morbus tenuem victum exigat , in his tamèn paullò pleniori indulgendum .

Cùm igitùr ægrotantis vires ejusmodi fuerint , ut spes sit , illas cum tenui victu usquè ad summum morbi vigorem perduraturas , tali quidèm victus forma utemur ; At verò adjiciemus aliquid , si eousq; ferendo noa sint , atquè imbecilliores extiterint : & quidèm tantum , quantum imbecillitas ipsa videbitur expostulare ; quocircà aliquandò in ipso morbi vigore , ut notat Galenus , pleniùs nutritre cogemur , si casus ità ferat , ut interea Naturæ robur dissolvatur .

Nedùm autèm conjecturam faciendam esse monet Hippocrates de Aegro , an cum victu tenui , vel tenuissimo , perdurare possit ad vigorem usquè , & statum Morbi , viribus Naturæ cum illo comparatis ; verùm etiām , si morbus ipse sensim mitescere , & per epicrasim , seu per evacuationes paulatim fandas , tandem desinere debeat , ut dicitur *cis. i. de rat. vict. t. 23., & 25.* ; in his namquè casibus , quoniām evacuationes antè statum incipere solent , & quandoquè intèr initia , quibus vires non leviter infirmari contingit : procùl dubio cibus plenior in vigore , & statu morbi expostulabitur , ut idem Hippocrates *ibidèm* inquit ; tales enim acuti morbi ante vigorem deficiunt , & hebescunt , quem sanè graviorem essent subituri , nisi , detracta causa materiali , hebetiores evassisent . Advertit pariter , & sci-

tè Sanctorius, non abs re ab Hippocrate dictum, an Aeger, & non Virtus cum victu sufficiat perdurare; quoniā in ægro considerantur simūl Vires, & Morbus: in virtute verē solum vires; cùm tamē ad conjectandum, nūm æger possit perdurare, quo usquè morbus consistat, vires ex unā, & ægritudo, ejusque causa ex alterā parte sint perpendendæ. Quamobrēm subditur in appendice Aphorismi, conjectari etiā oportere, numquid priùs ille deficiat, atquè obtundatur, quām Morbus ipse detecerit, atquè desierit: nè Medicus in cibando decipiatur.



### APHORISMUS X.

*Quibus igitū statim morbus consistit, iis statim tenuis  
victus adhibendus est; quibus verò posterius debet  
consistere, iis & in ipso consistendi tempore, & pa-  
rūm antè illud, cibus subtrahendus; priùs verò u-  
berius agendum, ut ager sufficiat.*

**P**erstringit tandem Hippocrates hoc Aphorismo congruam cibandi rationem in Morbis acutis, illorumque temporibus, atquè generaliorem regulam describit à citiori, vel tardiori morbi vigore, & statu desumptam: ut propterea, si statim morbus ad statum sit perventurus, protinū quoquè tenuis Victus sit adhibendus; cùm verò vigoris, & status tempora longiùs distare videntur, non statim subtrahendus cibus est: sed priùs quidēm uberiùs, posteà verò frugaliùs cibandum, instance morbi vigore, & adhuc parciliùs in vigore ipso. Itaque à duobus videtur ejusmodi in cibis exhibendis ra-

tio-

tionem, indicationemque desumpsisse, nimis à virium constantia, & à morbi summo vigore; ut proinde, cum Vires constant, & morbi status imminet, cibum subducendum velit; At verò imbecillis viribus, & fortè non duraturis ad Morbi usq; vigorem, pleniorē exhibendum. Quæ cum, ex superioris traditis, clarissimè pateant, non est, cur fūori oratione explicitentur.



## APHORISMUS XI.

*In Accessionibus abstinere oportet, nām cibum dare nocuum est: & quibus per circuitum sūnt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.*

**H**actenus de Temporibus morborum universalibus, in quibus cibus, vel parciōr, vel pleniōr, est exhibendus, canones tradidit Hippocrates; nūnc cibandi rationem examinat in temporibus eorumdem particularibus: atquè primū monet, à cibo abstinentum in ipso accessionis tempore; mōx etiā cibi exhibitionem inhibet in ipsa accessione, cum per circuitum redit.

At videtur Hippocrates idem prorsū reperiēre in utraqùe Aphorismi parte: quare, nē ejusmodi notam eidem impingamus, explicare decet, quid per accessionem in prima, quidque per accessionem in secunda, intelligere voluerit. Philotheus illum exponendum inquit, in priori Aphorismi parte de paroxysmis febrium quarumcumquè, in posteriori verò de paroxysmis morborum redeuntium per circuitus. Sed nulla in vietu exhibendo diff-

rentia est int̄ paroxysmos Febrium, & Morborū, cùm eadem ratio militet in utrisquè. Oribasius, & Sclanus, ut difficultatem dirimant, in secunda Aphorismi parte addendam volunt particulā antē, quam obrem textum ita legunt: *in ipsa accessione, & paullò antē abstinere oportet.* Verū, præterquamquā id gratis fingant, nequè tamē difficultatis nodum solvunt, cùm idipsum dici quoquè possit de priori parte Aphorismi, quoniā par ratio vigeat in utrisq; enim verò non modò in ipsa accessione à cibo est abstinendum, sed etiā aliquot horis antē illam; attamēn non tām facile poterit id ad praxim deduci, nisl quando accessionis tempus fuerit præcongitum.

Rationi autē, & menti Hippocratis, fortassē consentaneum magis videbitur, si dicatur, primam Aphorismi partem comprehendere accessiones febriū continuarum, quas Galenus non semel ex Veterum monumentis, cum principio, augmento, & statu particulari convenire factus est; alteram verò partem invasiones dumtaxat continere febriū, & morborum intermittentium, qui per statutos circuitus redeunt: Et sanè idem Hippocrates 4. de rat. vīt. in acut. 39. similem Sententiam protulit, inquiens: *Cibum nequè tunc dandum, cùm accessiones adsunt: neq; cùm jām illae instant, aut non multò post sunt invasuræ; sed cùm declinans, aut cessant.* Et primo ejusdem operis 46. hæc habet: *cùm frigidi fuerint pedes, non modò à sorbitione, sed etiā à potu est maximè temperandum; sed cùm caliditas ad pedes descenderit, & caput, cor, ac thoracem reliquerit, dandus est cibus.* Idipsum repetit Galenus in comm. bujus apb., asserens ex eodem Hippocrate, dandum esse cibum, cùm declinant, aut cùm cessant paroxysmi: cùm declin-

declinant quidem, veluti in horis quietioribus, si febres continuæ sint; cum cessant verò, idest in horis omnino à febre vacuis, si fuerint intermittentes.

Sed non inutile erit causam inquirere, cur tam multum noxia sit cibi exhibitio in paroxysmis, & præsertim intèr initia. Et quidem multiplex ab Expositoribus affertur. Primo, quia initiantibus paroxysmis, frigus sæpenumerò corpus ægrotantis excruciat, cum rigore, vel horrore, & Cor sive humoribus, sive vaporibus infensis, adversisque, plurimum grayatur, & angitur; undè, si cibus tunc temporis exhiberetur, graviora procùl dubio hæc omnia evaderent, cum majori febris incremento, & non sine manifesto vitæ periculo; quamobrem 7. *aphor.* 67. dicitur, cibum febricitantibus morbum fieri; & Galenus 1. *ad Glaucon. cap. 10.* monet, in tertiana notha ægros non quotidie, sed alternis solùm diebus alendos esse; aliter virtus, quæ in principio febris obruitur, multò magis à cibo suffocaretur, ut subdit 3. *progn.* 3. Secundo, quia tunc Natura symptomatis lacepsita, non debet ingestis cibis opprimi, cum utrisque æquè intenta esse non possit; eoque magis ingruente vigore, in quo omnia evadunt fortiora: & quemadmodum in augmento universali summa diæta expostulatur, ita in particulari inedia omnino commendabilis erit. Tertiò, quia accessionis tempore morbificam causam agitari contingit, omnemque naturæ conatum adversus eamdem promovéri, undè cæteræ functiones quodammodo feriantur, ac deficiunt, præsertim verò ea, quæ in Ventriculo peragitur, cum in unam ciborum confectionem complures causas concurrere necesse sit, quæ per id tempus plurimum immutantur, & languent; quamobrem facillimè evanit,

nit, eos corrumphi potius, & in alienam, dissentaneamque substantiam degenerare, quam in alibilem humorem verti, & commutari, potissimum in confluxu succorum è Pancreate, & Cysti fellea derivantium, qui in febribus ferè sempè depravantur, & à naturali, convenientique conditione plurimum recedunt, ut aliàs ostendimus.

Quemadmodum cibi prohibentur in principiis accessionum, imò in toto paroxysmo, comprehendente principium, augmentum, & statum; ità & cuiusvis generis medicamenta, & longè magis, si ægrum exagitent, ac turbent: indè enim vires immixti, sanguinem liquari, viscera infici, aut proritari, facillimum. Quamobrèm idcm Hippocrates cit. 1., & 4. *de rat. vīct.* consulit, nec sorbitio, nec aliud quidpiam exhibendum, priusquam Calor ad pedes descenderit, & reliquerit Cor. Nequè alià de causâ obiisse testatur Philonis filiam, & Aegrum innominatum, aliosque in *epidemiis*, nisi quià febricitantes intempestivè cœnarunt, aut medicamenta in paroxysmis assumpserunt; in his enim Venter necessariò calet, fastiditque cibum, intenduntur hypochondria, lumbi, & caput dolent, æger lancinatur, vellicatur, & vomere affectat; undè sorbitio quæcumquè evadit perniciosa, ut subdit *c. l. de rat. vīct.*

Verùm hæc non tam generaliter sunt servanda, ut saltè aliquandò non fallant. Et quidèm prudenter Galenus monet 10. *meth. cap. 3.*, & 4., cibandoz quandoquè esse ægrotantes in ipso accessionis initio: memoratque Juvenem quemdam ab imminentे marasmo præcautum, exhibita per recurrentes accessiones sorbitione. Itaque generalis hæc Hippocratis Regula limitatur in Picrocholis, in

in stomacho debilibus , & in quibus , ex virium languore , syncope timetur ; in pueris item , ac senibus , iisque omnibus , qui levi quacumque de causa dissolvuntur , & timo deficiunt , aut per intervalla refici consueverunt , vel etiam pluri , & frequenciori cibo vesci : ac denique in locis calidissimis , atque in pestilenti constitutione : in his namque , aliisque casibus consumilibus , ne vires infirmentur , aut omnino deficiant , etiam inter initia febrilium accessionum , levis saltē cibus exhiberi poterit , documento Galeni cit . loco : is autem ejus sit conditionis , ut facilē digeri , & vires statim restaurare valeat , juxta id , quod Hippocrates ipse scribit s. apbor. 11.: facilius est impleri potu , id est sorbitonibus , quam cibis . Sic pariter & medicamenta , quae febrium periodicarum rigorem , vel horrem retundunt , possunt , instante paroxysmo , tutissime propinari , monitu ejusdem Galeni lib. de praesagis . ad Postbumum , qui adversus quartanam febrem , antē paroxysmum , theriacam exhibuit . Et nostra xate , ad retundendas quascunquę febres per circuitum redeentes , felicissimo cum successu , paulò antē futuram accessionem , potandum damus vinum cum infuso pulvere Corticis Peruviani , ut & pleraque alia febrifuga dicta : quin & Zactus Lusitanus arbitratur , etiam in cæteris medicamentis administrandis , invasionis impetum esse expetandum , veluti tempus maximè opportunum ad Causæ morbificæ correctionem , expulsionemque . Unde plerique ingruentem febrium paroxysmum adorintur medicamentis vomitum moventibus , ut quem vitiosum humorem , fermentumque febrile tunc temporis Natura excutere solet , facilius extrahant , & educant .

Si-

Simile quid int̄̄ vetustiores Medicos factitatum  
 in curatione Tertianæ febris à Cleophanto memo-  
 rat Celsus lib. 3. cap. 14. , eumque habuisse in usu  
V.Hipp.  
7.Aph.  
42.  
 multò ant̄̄ accessionem Caput ægri aqua calida  
 perfundere, deinde Vinum propinare. Sed & Cel-  
 sus ipse *codem libro cap. 16.* ad curationem duarum  
 Quartanarum commendat calefacentia ant̄̄ accessionis  
 soibcre, vel aceti cyathos duos, vel unum sinapis,  
 cum tribus græci vini falsi, vel mixta paribus por-  
 tionibus ; & in aqua diluta , piper, castoreum , laser,  
 myrrham . Et *cap. 12. ejusdem lib.* ad Horrorem  
 in febribus aquam tepidam exhibit, ut vomitum  
 cieat ; & sub expectatione proximæ accessionis, quæ  
 instare tertia potest , ægrum in balneum deducen-  
 dum jubet : idemque repetendum sub expectatione  
 quartæ accessionis . Quod si nèc balneum profuit,  
 ant̄̄ accessionem allium edat , aut bibat calidam  
 aquam cum pipere . Si quid verò evomuit, danda  
 aqua tepida, iterumque vomere cogendus æger est,  
 eisdemque utendum , donèc horror finiatur .

Cæterum quandò in febribus sit cibandum, pau-  
 cis expressit Hippocrates 4. de rat. vīct. in acut. cit.,  
 nimis cùm declinant , aut cessant ; & quidem  
 expectandam jubet declinationem in continuis , in  
 intermittentibus verò cessationem , & vacuum tem-  
 pus : tanto tamèn intervallo à futura accessione ,  
 ut, ea adventante, Ventriculus inveniatur vacuus ,  
 documento Avicennæ 1. 4. At verò distinctiorem  
 cibandi rationem elegantè descripsit Celsus lib. 3.  
 cap. 5. his verbis : *Cum febris infestet , incipiat , au-*  
*geatur , confusat , decedat , deinde in decessione con-*  
*stat , aut finiatur ; scire licet , optimum cibo tempus*  
*esse , febre finita : deinde , cùm decessio ejus conficit :*  
*tertiū , si necesse est , quandocumque decedit : cætera*  
*omnia*

*Omnia periculosa esse. Si tamèn propter infirmitatem necessitas urget, satius esse, consistente jàm incremento febris, aliquid offerre, quam incremente: & satius esse, instantè, quam incipiente: cum eo tamèn, ut nullo tempore is, qui deficit, non sit sustinendus.* Hæc eadem prorsùs aptanda cæteris aliis ægritudinibus, quæ per circuitus exacerbari solent, ut sunt catarrihi, hemicraniæ, colici dolores, melancholie hypochondriacæ, calculorum affectiones, podagræ, vertigines, palpitationes, passiones hystericae, & similes, ut advertunt cum Galeno Cardanus, Heurinius, aliique.



## APHORISMUS XII.

*Accessiones verò, & Constitutiones morbi, indicabunt & anni tempora, & circuituum successiva incrementa, sive quotidiè, sive alternis diebus, sive per majora intervalla siant. Sed ex iis, quæ mòx apparent, indicia sumuntur; quemadmodum in morbo lateralí, si circa initia statim sputum appareat, morbum breviat; si verò postea appareat, producit. Et urina, & alvi excrementa, & sudores, quæcumq; apparuerint, vel bonam morborum judicationem, vel malam, vel breves, vel longos fore morbos ostendunt.*

**N**unc ad signa progreditur Hippocrates, quibus Accessiones, & Constitutiones, sive futuros morborum vigores, liceat præcognoscere. Cùm enim ex Galeno in *comm.* tria sint consideranda in victu ritè exhibendo, Vires nimirùm, Accessiones, & Vigores morborum, vel citius, vel

L

sc-

serius futuri ; idcirco , omissis indiciis Virium , de quibus supra , reliquum erat , ut traderet signa prænoscendarum Accessionum , & Constitutionum morbotum ; quæ hoc Aphorismo cōmemorans , ad quatuor classes revocat : atquè alia desumit à Morbis ipsis , alia ab Anni temporibus , quædam ex Circuituum incrementis , intè se invicem collatis , & demum pleraquæ alia ab his , quæ mòx apparent .

Primum quidem proponit , observandos esse morbos : cumque de febribus potissima ratio habeatur , idcirco Galenus juxta divisionem febrium intermittentium , & continuorum , illarum præsertim exempla profert : Tertiana enīm intermittens exquisita , paroxysmos breves futuros indicat , atquè vigorem citò adventurum , docente Hippocrate 4. *aphor.* 59. , illam septem circuitibus ad summum terminari ; Notha verò Tertiana , sicut etiam Quartana , & longos paroxysmos , & tardos vigores , prænunciat . Intè continuas autem , quæ cum sudore à principio invadunt , ut sunt , quæ à Græcis Elodes dicuntur , diuturnæ præsignantur : quæque pariter cum vomitu , nausea , aut ciborum fastidio , citrā sitim , & absq[ue] carnium marcore , junguntur , ab obstrukione , crudisque succis exortæ , longitudinem portendunt : quemadmodum de Hemitritæo , de Quotidiana continua , aliisque in praxi est experiri .

Proponit deinde consideranda Anni tempora : etenim , pro eorumdem varietate , compertum est , accessiones , constitutionesque morborum breves , vel longas accidere , ac vigores citius , vel serius , adventare . Morbi Vere , aut Aestate contingentes , ut plurimum breves sunt ; qui verò Autumno , vel Hyeme vagantur , sēpissimè in longum protrahuntur , ut de Quartanis febribus ab Hippocrate est animad-

animadversum 2. aphor. 25. Ipsæ quoquè Tertianæ suapte natura breves , si in Autumnum incident , diutissimè prolongari solent . Non dissimili ratione conjectandum , subdit Galenus , de morbis omnibus , si hanc , vel illam ætatem , temperiemque invadant , aut sub una , vel alia tempestate , regioneve accidunt , ut colligitur ex 3. aphor. , & ex 1. , ac 3. epidemiorum .

Insuper observanda proponit circuituum inter se collata incrementa . Siquidem , cum ægritudines in suis paroxysmis per circuitus increscunt , aut protinus , cum redeunt , exacerbantur , citò ad augmentum perveniunt , & finiuntur . At verò , quæ statas , & uniformes accessiones servant , statuto quodam tempore redeentes , diuturniores esse solent , tardè admodum vigorem subituræ , ut ex 4. aphor. 30. Parati modo , quæ celerius revertuntur , anticipantes dictæ , breviores : quæ verò seriùs , longiores esse solent , præsertim si lente procedant , & vix quidquā , aut nihil remittant . In his itaque conferantur inter se paroxysmi , nūm scilicet alter sit altero levior , vel gravior , mitioribus , vel violentis symptomatis stipatus , celerior , vel tardior , brevior , vel longior : indè enim facile conjiciemus Morbi durationem , ejusque vigorem universalem , vel propinquum , vel remotum . A periodis etiam accessiones febrium , & vigores futuri , citius , vel seriùs præsgnantur ; nam Tertianæ febres in accessionibus comitem habent Rigorem , Quartanæ Horrorem , & Quotidianæ partium extremarum algorem ; vigores verò tardiores sunt in his , ocyores in illis ; hinc addit Hippocrates : sive quotidie , sive alternis diebus , sive per majora intervalla fiant . Et quidem , ut comprehenderet nedum Quartanas febres , sed

etiam Quintanas, Sextanas, & similes, de quibus meminit 1. *epidem. f. 3. t. 2., 7., & 9.*, ubi Septimanam, & Nonanam longam esse scribit, verum non lethalem: licet Galenus illas admittere nolit, commendetque Dioclem, qui in hoc Hippocrati audacter contradixit.

Amplius spectanda proponit ea, quae modo apparent. Dicuntur autem modo apparentia signa, quae nequaquam a principio, sed vel in augmento, vel in statu comparent, ad differentiam assidentium signorum, quae statim ab initio cum morbo conjunguntur. Exemplum dat Hippocrates in textu de sputo in morbo laterali: illud enim inter initia deesse solet, at vero in vigore comparet, & quo citius apparuerit, eo brevior morbus designabitur; cumque Anaxion pleuriticus *Aeger VIII. 3. epidem.*, non nisi decimaseptima die coepisset pauca expuere, trigesimaquarta copioso sudore liber evasit.

Ad haec revocat sudores, aliaque hujus generis epiphænomena, seu modo apparentia signa, qualia quoquæ sunt Criseos, desumpta ex coctionibus vitiisorum humorum, morbos foventium, de quibus idem Hippocrates haec habet 1. *epidem. f. 2. t. 45.* Coctiones Judicij celeritatem, & salutis securitatem indicant; Cruda vero, & incolla ostendunt futuros abscessus, vel morbi longitudinem, vel recidivas, vel mortem; prout reliqua indicia mitiora, vel graviora fuerint.


Quæ vero de Urinis memorantur a Medicis, sexpissimè fallunt, praesertim quia nuperis observationibus Anatomicis compertum est, non omnem urinæ materiam unâ cum sanguine permanare, nequæ per venas emulgentes dictas in Renes corribat, ibique secerni, ut a Veteribus proditum est, sed per

per compendiosiores vias, quas Pecquetus, & Bartholinus primi indicarunt, ad Renes, Ureteres, & Vesicam deferri; quod vel hinc etiam constare potest, quoniā ubi quis asparagos, aliaque olera, diuresim moventia, vel etiam terebinthinā, assumpserit, statim urinam egerat, peculiari odore, & colore inquinatam; quin & in potu quarundam aquarum thermalium, mōx statim miētum promoveri observamus, atquē epotis aquas vix, ac nē vix quidēm immutatas excerni. Undē conjecturæ ab urina, quæ venarum exploratrix fida antiquitūs credebatur, desumptæ, fallacissimæ evadunt. Quæ à spuriis excrementis signa petuntur, idem judicium habent, ut aliās in nostra Theoretice demonstravimus.

In calce demādū hujus Aporīsmi dubitare cōtinuit, cūr Hippocrates omiserit indicia ex virium robore desumpta, sicut etiam ab operationibus, tūm vitalibus, tūm animalibus, & naturalibus: cūm nullum fidelius signum peti possit pro dignotione; & præcognitione accessionum, ac vigorum in morbis, itemque salutis, aut mortis, coctionis, aut cruditatis, & crisium, quām quod ab operationibus desumitur, auctoritate Galeni, tūm 2. *Artis Medicae cap. 2.*, tūm etiām 2. *de differ. febr. ult.*, & alibi.

Sunt, qui dicant cum Galeno *in comm.*, proposuīsse hoc loco Hippocratem signa ex minās obviis petita, atquē ad cōsūmū inquisitu difficultiora; Vires autēm facile dignosci posse ex pulsibus, patentibus unicuiquē. At qui Hippocratem ajunt, doctrinam de pulsibus ignorasse, vel saltēm non magnificisse, procūl dubio allataz responsioni haudquaquam acquiescunt. Quin Galenus ipse 3. *de crisibus cap.*

II. scribit : *omnia ab Hippocrate , exceptis pulsibus , dicta sunt . Et inferius : signa ex pulsibus sumpta , Hippocrates , vel quia non noverat , vel quia non magni momenti existimavit , idcirco non est exequutus . Verum quidquid sit de hoc , sanè de viribus rationem tacitè habendam voluit superiori Aph. IX. , ubi indicia ab illis desumēda , Nos magna ex parte notavimus , ut proindè de iis denuò agere non sit opus .*



### *APHORISMUS XIII.*

*Senes facillimè jejunium ferunt : secundo loco , qui æatem consitentem habent : minùs Adolescentes : omniū minimè Pueri , præsertim , qui inter ipsos sunt vividiores .*

**N**on intè omnes Expositores convenit , nùm de sanis , an de ægrotantibus , per æratum differentias , scriptus sit hic Aphorismus . Siquidèm nonnulli existimant , Hippocratem hactenùs loquutum de ratione victus ægrorum : in posterum de victu sanorum , ad Aphorismū usquè undevigesimum , sermonem instituere . Alii verò de victu , ægrotantibus solùm per ætates præscribendo , canones hic descripsisse contendunt , cùm non omnes æquè jejunium , summamque diætam sufferant proptèr virium , & corporis , variam habitudinem ; Adolescentium enìm corpora robustissima sunt : debilissima verò Senum , & Puerorum .

At utralibet sit mens Hippocratis in hoc Aphorismo , id tamè certum erit , peculiarem ætatum-

rationem hic illum habere voluisse, in virtus administratione. Quamobrem Senes, ait, facilimè jejunium tolerare, deinde in ætate consistenti constitutos, minus Juvenes, & Adolescentes, minimè omnium Pueros, atque inter hos, qui vividiores, agilioresque sunt.

Nomine Senum intelligit, & quidem sana ratio ne, Galenus, qui sunt in principio senilis ætatis, nam de iis, qui ad extremam pervenerunt senectutem, seu decrepitam, non recte videtur pronunciatum, quod jejunium ferant: quavis enim modico cibo sustineri possint, non tamè summam inediā ferre valent, qua penitus deficerent. Tale quiddam isti patientur, (inquit Galenus in comm.) quale lucernis penè extinctis accidit, quæ continuam exigunt olei sufficiētiem, multam autem, & cumulatam nequeunt sustinere. Hinc Celsus lib. I. cap. 3. hunc Aphorismum ab Hippocrate resumentis, aliquantulum ab illius mente deflectere videtur, nam inquit: inediā facilimè sustinent media ætates, minus Juvenes, minimè Pueri, & senectute confecti, Quare pro senibus, non decrepitos, ut Celsus, sed in prima, seu viridi senectute constitutos intellexit Hippocrates, quam à septimo annorum septennio ad nonum usquè septenarium protendi communiter arbitrantur. Quod si pro jejunio intelligere velimus cum eodem Galeno, non quidem inediā summā, & omnem à cibis abstinentiam, sed tantummodo parcitatem; profectò Aphorismus de quacumquè senectute erit exponendus: cum revera etiam decrepiti, & extremo senio confecti, modico cibo sustineri debeant, quo scilicet salubriter conservantur; multo vero potius opprimuntur.

Triplici ex causa dicuntur Senes facilè jejunium ferre

ferre. Prima est , quià in illis naturalis calor elanguet , & levissimam consumptionem in partibus facit, proptèr quam communiter putatur restauratione ex alimentis corpus indigere . Secunda est , quià ipsi humoribus abundant phlegmaticis , nimirum obstantibus tenui calori concoquenti ; quamobrem nec dissolutio , nec suetio , nequè fames iis admodum molesta esse solet . Tertia demum , quià senile Corpus densum , rugosumque , distributioni , adjectionique alibilis humoris , non adeò facile patet . Verum Ego existimari , illos famem diutius pati , quià suci in ventriculum confluentes , atquè ciborum dissolutioni destinati , per ætatem hebetes evadunt , veluti à sanguine , cæterisque liquoribus effoeti , provenientes ; proindeque nec famem , nec chylosim potentè promovent . Carnes quoquè per illam ætatem constipantur , atquè Viscera universa indurantur , & obrigescunt , quinimò sensu quodammodo obtunduntur . Duo quippè videntur in universum exigi ad famem excitandam , acrior quædam vis illorum succorum , qui è tunicis , ac lenticularibus glandulis Ventriculi sensim in ejus cavum extillant ; atquè exquisitus ejusdem stomachi sensus : utrumquè autem in senio hebelcit . Nequè vero Animantium Corpora cibis idcirco egent , quià ab intrinseco diffiantur , quemadmodum opinatus est Galenus *I. de rat. vist. 44.* , & *comm. 15. 1. aphor.* , inquietus : *si nihil è nostro effueret corpore , alimento opus non esset* ; quià licet nihilum è Viventibus effueret , adhuc tamèn pro rata nutriti , & crescere deberent . Verum de hac re fusiùs infrà .

Post Senes , jçjunium ferre dicuntur , qui in ætate sunt consistenti , à trigesimo quinto nimirum anno ad quinquagesimum ; non tamèn adeò , ut illi , quemad-

quemadmodum denotant adjecta in textu verba : *se-  
cundo loco* ; & quidem pari ratione, ac de Senibus  
dictum est. Minas adhuc Adolescentes, & Juvenes,  
summum corporis robur adepti : sanguis enim in-  
natisque vegetior est , & succi digestionem , disso-  
lutionemque ciborum promoventes , atque avidita-  
tem excitantes , acriores , acutioresque sunt , ipseque  
stomachus præcellentis sensus , propterea & fame-  
scunt magis , & exactius cibos conficiunt .

Omnium minimè Pueri jejunium tolerant , quo-  
niām præ cæteris maximè augescunt , adeoque mul-  
to alimento egent , ut conveniens incrementum  
adipiscantur : quamobrem & famescunt , & avidè co-  
medunt , & assumptos cibos quammaximè conficiunt .  
Addit autem Hippocrates : *Et præsertim qui intèr ipsos  
sunt vividores* : his namquæ sanguis floridior inest ,  
& succi dissolvendis cibis necessarii , acutiores , effica-  
cioresq; sunt , atque ad Corporis motum agilior ha-  
bitudo ; quocircà præter citam alimenti digestio-  
nen , facilis quoquæ accidit distributio , atque excre-  
mentorum cujusvis generis subita , ac prompta re-  
purgatio . Porro id sonat in græco Codice *πεθυότης* ,  
( quo vocabulo usus est Hippocrates ) etatis scilicet  
vivacitatem , & promptitudinem ad agendum , quæ  
nonnisi à robore Viscerum , & sanguinis floriditate  
provenit , ex Galeno lib. *Artis medic. cap. 29.*

Non est denique prætereundum , fuisse hic solū  
ad faciliorem , difficilioremque jejunii tolerantiam ,  
comparatas intèr se invicem etates , non homines  
singulatim consideratos : nempè quod Sortes puer  
difficilius inediā patiatur , quam cum idem ad ju-  
ventutem pervenerit , & facilius in Senio , quam in  
estate consistenti . Näm si comparatio fieret intèr  
etates differentium hominum , sive individuorum , ve-

rerī plurimū liceret de veritate istius Aphorismi : quippè posset Sortes juvenis faciliū sufferre jejuniū, quām Sophroniscus senex , ex peculiari corporis cōstitutione , quæ à varietate regionum , exercitiorum, ciborum , & similium potest plurimū variari . Hinc Corpora jejunii patientiora solent esse obesa , & succiplena , sedentariam vitā ducentia , ferendis laboribus addicta , & cibis abstinere consueta , ac merobiba ; secūs verò gracilia , picrochola , exercitata , & pluriē intrā diem cibum assumere solita .



#### APHORISMUS XIV.

*Qui crescunt, plurimum babent calidi innati; plurimo igitur egent alimento, alioquin corpus absunitur; Senibus verò parum calidi innati inest, paucis propter ea fomitibus egent, quia à multis extinguuntur. Hanc etiam ob causam febres Senibus non similiter acutæ sunt: frigidum enim eorum est corpus.*

**R**Eddit in hoc Aphorismo Hippocrates præcedentis rationem : cùm enim jàm proximè scripsisset, Senes facilè inediam sustinere, Pueros autem difficulter, ejus rei ratione in nunc sub jungens, inquit : qui crescunt, nempè Pueros, plurimum habere calidi nativi, parum verò Senes. Verum difficultates tūm ex dictionibus, tūm ex ipso Aphorismi sensu exorientes singulatim enucleemus.

Primum autem ait : *Qui crescunt.* Sub his procūl dubio comprehenduntur Pueri , & Adolescentes , quod in illis dumtaxat incrementum uniuscujusque partis habeatur, juxta triplicem corporis dimensionem ,

nem, hoc est in longum, latum, & profundum; nām qui jām adulti sunt, alimentorum ope pinguiores tantūm sūnt, & carnibus magis, atquē magis repleri possunt: non autē secundūm longitudinem augescere; undē Senes, quamvis nutriantur, minimē tamē incrementum capessunt. Sic pariter pleriquē, licet in ætate consistenti obesiores sūnt, re ipsa augeri minimē dicuntur; quin & non raro obesitas illa malē parta, & morbosā esse solet, & quandoquē etiām particularis, putā solius imi Ventris.

At hīc non modica lis orta est intē Expositores. Nonnulli putant, Pueris, & Adolescentibus inesse quidēm plurimum calidi innati, quod ad substantiam, minimē verò quod ad qualitatem, cùm calor, roburq; Juvenum longē majus sit, quām Puerorum. Lycus insupēr Macedo, ut refert Galenus lib. adversus *Lycum*, & in comm. istius Aph., pluribus etiām contendit, intēsiorem esse Juvenū, quām Puerorum nativum calorem, cui consentire videtur Cæsar Cremoninus. Is autē adversus Hippocratem hoc protulit argumentum: Plurimum innati calidi, ex ejus mente, vel intelligendū secūdūm substantiā, sive, ut ajunt, extensivē: vel secūdūm qualitatem, & intensivē: vel secūdūm robur, idēst secūdūm vires, & exercitium; at verò in pueris nequē major, & extēsior est substantia calidi innati: nequē qualitas intensior: nequē robur majus, quām in juvenib; ergo perperām ab Hippocrate videtur pronuntiatum, pueros plurimum habere calidi nativi. Extensis equidēm substantia calidi innati in pueris, subdit Lycus, fingi non potest, quoniām in minori corpore, quale puerorum est, parcior procūl dubio esse debet calidi innati substantia: abundantior verò in

Corporibus juvenum, lögè, lateque grādioribus. Nèc insupèr Puerorum, quām Juvenum intensior calor esse potest, etenim Juvenes calidiores obseruantur, ad motum, cæterasque actiones obeundas agiliores, vegetioresque, & cibos adhuc duriores facilius, ci-  
tiusq; conficiunt, quām Pueri. Accedit, quòd qual-  
itatibus competit intensio, & remissio, non autem  
pluralitas, & paucitas, quæ sola debetur quantita-  
ti, ideoque perperam videtur dictum *plurimum cali-  
di innati*; quinuò, et si propria significatione usus  
Hippocrates dixisset validum, & intensum calorem,  
nequè tamèn is in pueris constitui deberet, quoniām  
operationes salubriores, perfectioresq; non à calore  
intenso, sed à moderato profiscuntur, quippè sa-  
nitas in mediocritate consistit. Nequè demùm Pue-  
ri Juvenibus robore præstant, sed omnino hi sunt  
illis robustiores; Nihil est igitur, quamobrèm Hip-  
pocrati concedendum sit, quòd Pueri ingenito ca-  
lore Juvenibus præcellant. Verum tamèn ejusmodi  
argumentationem satis diluisse visus est Galenus,  
propositâ innati, atquè ascititii caloris differentiâ.  
Siquidèm fatetur, juvenes ascititio calore præpolle-  
re pueris, atquè adeò illos & ad tactum calidio-  
res videri, & in motu agiliores, atquè itidèm ro-  
bore præstare; sed esse tamèn substantiam innati  
calidi copiosiorem in recens natis, quām longo post  
ortum tempore in adultis, & senibus. Cæterum,  
quamvis plurimum calidi innati pueris inesse scri-  
bat Hippocrates, haud tamèn immoderatum, & in-  
congruens existimandum illud est, sed eidem ætati  
omnino consentaneum: at verò dicitur, magis vige-  
re in pueris, quām in juvenibus, & adultis, com-  
paratè, quia in his sensim mutatione ætatum des-  
cit.

Præ-

Præterea valdè ambigitur apud Physiologos, quidnam sit calidum istud innatum, & unde originem sortiatur in Viventibus. Evidèm nil frequentius audias in Scholis, quām calidi innati exaggerationem, cuius præstantiam maximoperè extollunt: cùm tamèn nemo ejusdèm naturam hactenùs sit asequutus; credidit eapropter Petrus Garçias, fangi solūm illud à Medicis; & Montanus ingenuè fasus est *in bujus Apb. comm.*, se ipsum jàm senem factum nondùm illius naturam perceperisse. Galenus etiàm aneps videtur in illo describendo: siquidèm 5. de *simplici. med. fac. cap. 8.* confundit calidum innatum cum spiritu: & lib. *adversus Lycum*, atquè *in hoc comm.*, illud asserit oriri ex semine, & sanguine, menstruo in Animatibus, in cæteris verò mistis ex eorumdem principiis, semini, & sanguini æquipollentibus; atquè *in libris de usu partium*, & *de Placitis Hippocratis, & Platonis*, similaribus particulis corporum idem affingit. Insupèr 1. ad *Glaucōnem* cap. 2. vocat calidum innatum substantiam, quod confirmans *in hoc comm.*, & lib. 1. de *temper. cap. 6.* ait, calidum innatum significare nō nudam qualitatem, sed subjectum, & qualitatem simùl, putà substantiam calidam: at alibi, & præsertim *adversus Lycum*, sumit illud aliquandò sub nomine substantiæ, interdùm etiàm sub nomine qualitatis.

Si reliquos Authores tūm Veteres, tūm Recentiores consulamus, hi rem magis, magisque implicarunt. Si quidèm Hippocrates lib. *de Carnibus*, vocat illud immortale. Plato in *Timeo* quasi igneum esse putavit: sive, ut Galenus explicat *in lib. de plac. Hipp., & Plat.*, ignem refractum. Aristoteles 2. *de partib. Animal. 7.*, & 2. *de generat. eorumdem cap. 3.* elemento stellarum illud respondere docet;

undè plerique apud B. Albertum Magnum lib. 20. de *Animalib.*, Cœli substantiam in corporibus Animalium reperiri crediderunt, eamque esse calidum nativum: cui opinioni inhærens Fernelius lib. 4. *Sua physiologiae cap. 1., & 1. de abdit. rerum Causis cap. 4.*, acriter contendit, calidum innatum haud quaquām elemētaris, sed cœlestis originis esse. Dandinus lib. 1. de *Hum. corp. temper. cap. 12.*, innatum calorem non omnino elementarem, nèc tantum cœlestem ait, sed igneo multò nobiliorem, superioremque. Averroes denique mistum ex ambobus putat, 12. *metaph. comm. 18.*, ideoque non abs re dixisse Aristotelem, Hominem genitum ex Sole, & Hominc, quià calor vitalis, & insitus illius, pendet quidèm ex Terra, & Aqua, cæterisque elementis, sed præterea calorem Solis admittit admistum cum calore illiarum Stellarum.

Sed non facile foret singula recensere, quæ de calido innato à Medicis, & Physiologis sunt conficta. Minimè verò præterire decet, quod Harvey in hanc rem præclarissimis suis observationibus detexit, & in Exercitationibus de Generatione Animalium dilucidavit. Is enim, cùm iteratâ vivarum Animantium Anatomiâ ostendisset, sanguinem esse primigeniam partem in illarum conformatione, & omnem Corporis calorem à sanguine profici; tandem statuit, dotes omnes illas, quas vulgo innato calido tribuunt, reverà deberi sanguini, nèc quidquam in Animalium Corpore illo præstantius inventari.

Et quidèm aliis calor in Animantibus nullus est præter eum, qui à Cordis, & sanguinis motu proficitur. Constat siquidèm ex Anatome in primo Embryonis ortu vesiculam rubicundo liquoretur-

turgidam, micantem observari, indeque per tubulos consimilem humorem sensim adigi in corpus universum, quo statim incipiunt partes reliquæ vivere, & operari: & tandiù in vita perseverant, quandiu sanguis ipse per proprios ductus in ipsas diffunditur; cumque vividior, plurimisque sit habilitibus acri salislagine præditis, abundans in prima ætate: effœtus verò, & languidus evadat in postrem; idcirco vegetiores, agilioresque Pueri, & Adolescentes, debiliores verò, & tardi admodum Senes. Et quamvis in juventute, & in consistenti ætate sanguis adhuc vegetus observetur; ille tamèn insitus, atquè à primordiis generationis oriundus, tûm ciborum, tûm exercitiorum, aliarumque rerum externalium alteratione, plurimum immutatur, coadjuvante pariter èâ, quæ sit in textura partium per ætates, mutatione: cùm membra, & Corpus universum in pueritia laxius, molliusque, fiat in senectute rigidum, durumque adeò, ut penè in potis omnibus constipetur, ac exarescat. Hac autem membrorum firmitate, & constantia, itemque summo incremento, quod ex alimentis in prioribus ætatis Juvenes, & Viri adepti sunt, præcellunt, præstantque Pueris, & Adolescentibus: non ità verò calore innato, & primigenio.

Calidum igitùr innatum in sanguine residere Hippocratem quoquè existimasse credendum, quoniàm eo per arterias, & venas in totum Corpus diffuso, partes cunctæ vivificantur, & calent: frigescunt verò, & emoriuntur, cùm effœtus redditur, aut illius motus retardatur. Alium præterea calorem ab isto distinctum, quem influentem vocant, in Animalibus effingere opus non est, cuius nèc ipse Hippocrates unquam meminit, qui ingenitum dumtaxat tûm

tum hic, tum alibi memoravit. Eget autem primævus ille, & ingenitus sanguis assiduo pabulo, quo foveatur, suique dispendium instauretur; undè iterata alimenta, & quidem majora, frequentioraque per eas ætates, in quibus incrementum secundum triplicem dimensionem capessere contingit, naturâ exiguntur. Quod si quis primævum, & ingenitum illum sanguinem in Embryonis micâte bullula statim ab ortu conspicuum, Calidum innatum; à cibis verò perpetim suggestum, atquè juxta variam ciborum conditionem, & exercitorum, anni temporum, regionum, aliarumque rerum diversitatem, varium, Influuentem velit appellare, per me hoc illi absq[ue] controversia licebit.

Quoniām verò mutatione ætatum vividus, qui à primordiis vitæ erat, sanguis, spiritibus abundans, & vi, ac labore præcellens, sensim evanescit, & hebetatur; proindè fit, ut quo magis in senectutem tendimus, eo paucioribus alimentis indigeamus, sed melioribus, quæ nimis vivificam illius portionē reficiant, & balsamo vitali repleant, sinè ullo inutilium succorum gravamine. At verò Adolescentiū corpora copiosori alimento sunt nutrienda, quippe quæ nutriti, & augescere simūl debent; adeoque vivifica, & auctifica portione sanguis est reficendus: aliter eo nimis dissoluto, & utraq[ue] portione depauperato, illa macrescerent, & consumerentur. Hinc Aristoteles lib. de vita, & morte docet, finiri Vitam, aut resolutione, cum alimenta deficiunt, aut suffocatione, cum plus justo assumuntur, indeq[ue] excrementa cumulantur. Qua ratione Senibus servanda vita est paucis somnis, atquè alimento spiritibus vegeto, ut idemmet Hippocrates hic cōsulit. Nec abs re nomine somnis usus ille est in Seni.


Senibus; alimenti verò in Pueris: ut scilicet denotet, in adolescentia convenire cibum aptum nutritioni, accretionique, quæ per id tempus summo-  
perè exiguntur; at verò in senectute opus esse re-  
bus omnino tenuibus, quæ spiritibus, non mole  
reficere queant. Hinc experimur, Senes vino, ejusq;  
spiritu, elixire, cæterisque similibus, statim in-  
staurari: atquè in longius Vitam ducere salubriorem  
parco, & tenuiori victu, qui facile conficiatur, &  
vertatur in halitus; multis autem alimentis uten-  
tes suffocari, & perire. Sicuti enīm, inquit in comm.  
Galenus, lucernarum flamma, quarum tamē oleum  
est alimentum, & quis id totum simili superinfundat,  
extinguuntur potius, quam nutritantur; eodem modo  
& in Senibus calidum, sui fomentum quidēm habet  
alimenta; sed si multis, & confertis cumuletur, ac  
quodammodo suffocetur, periculum est, nē extinguatur;  
non aliter, ac si parva scintillæ ignis lignorum mul-  
titudinem superacerves.

Hanc postremò ob causam, concludit Hippocra-  
tes, febres Senibus non similiter acutas fieri: fri-  
gidum enīm eorum est Corpus. Unde notare videtur,  
non eodem modo febres Senibus accidere, quo Ju-  
venibus, & Adolescentibus; quippe febres Senum  
pusillæ esse solent, & vix conspicuæ; Juvenum ve-  
rò vehementes, & æstuosæ. Nē autem quis hinc sus-  
picetur, febres propter ea omnino, & per se calore  
præseferre, tametsi Hippocrates à frido corpore  
Senum acutas febres excluderit: etenim frigus con-  
sideratur ab eodem, ut signum, non ut causa, cur  
Senes febribus acutis difficultè corripiantur; quan-  
doquidēm corpora Senum frida observantur, quo-  
niā sanguis in illis effoetus est, vivida, florida-  
que portione imminutus, ut vehementem commo-

tionem, fermentat ionemq; febrilem subire nequeat; undè, quemadmo dūm oligophatum vinum, levē nimis patitur fermentationem. Sed & hac de causa febres Senibus cùm accidunt, perniciosa sunt, quia tenuis ille sanguinis spiritus fermentatione facile dissipatur. Si vero à calore febris oriretur, sanè is Senibus prodesset, foto scilicet, roboratoque pusillo eorumdem ingenito calore, qui à febrili non differt, etiā ex mente Hippocratis hoc loco, nisi solū intensione, per quam infensum illorum frigus, quo tandem ad interitum perducuntur, procul dubio retunderetur: atquī conservantur potius senilia corpora aſu vini, aquæ ardantis, aromatum, quæ calorem excitare solent intensiorem iis febribus, quas in ipliſ pusillas, frigidas, & sepultas Avicennas appellavit. Scitè igitur Galenus *comm. 34. 2. Aphor.*, febres dixit Senibus periculosas fieri, ob virium imbecillitatem, quæ vappescentem sanguinē, fugientemque vitalem spiritum, consequitur.

Sed quī sit, ut quo innato calido Animantes cūctæ vivunt, eodem perire Hippocrati dicantur; unde ex eodem *lib. de alim.*, effatum illud prodiit, quod idem calor, qui omnia generat, omnia pariter consumat; & quod principium omnium unum sit, & finis unus: Quamquam contrarium tueatur Galenus *lib. de Marcore cap. 3.*, ubi reprobat sententiam eorum, qui asserunt, nativum calorem causam esse consumptionis in Viventibus; cùm enim sit principium conservans, & augens, nequit ea ratione fieri consumens. Quamobrem censuit potius Avicenna *sen. 1. pr. doctr. 3. cap. 3.*, consumentes Viventium causas esse circumambiente Aërem, corporales, & spiritales motiones, atquè excrementorum congeriem. At Galenus ipse *lib. 2. de tem-*  
*per.*

per. cap. 2. putavit, ex inæquali deperditæ substantiæ restauratione sensim vitam imminui, ac postremò extingui. Et quidem sanguis jugiter commotus sensim rarescit, extenuatur, & consumitur, nèc unquam ex æquo potest, etiam optimorum alimento rum ope, refici, æqualitate exquisita, & exacta. Aptissimum exemplum affert ex Platone in Athlano Ficinus : Si generosum è dolio merum in singulos dies ad certam mensuram exhaustiatur, atquè in ejus locum sufficiatur pejoris notæ vinum, aliud liquor: certè diuturnitate temporis illud vapidū, nullarumq; virium evadet. Sic sanguinem ad resolutionem vergentem, quamvis accurata victus ratione fovere, ac instaurare assiduò conemur, nunquam tamèn possumus omni ex parte reficere; unde procedente ætate tandem hebescit. Sed de his alibi à Nobis est actū in par. *Medicina Theoretice*.



## APHORISMUS XV.

*Ventre Hyeme, & Vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda; etenim tunc calor innatus plurimus est, unde & pluribus egent alimentis: indicio sunt atates, & Athleta.*

**N**edum per ætates varias, varium cibum exhibendum docet Hippocrates, sed etiam propter Anni temporum diversitatem: quippe nemo est, qui nesciat, Homines potissimum ita esse à Natura comparatos, ut hyberno, & vernali tempore plius cibi appetant, & ingesta alimenta,

facilius concoquunt, quam in Aestate. Cujus rei causam examinans idem Auctor, inquit, hyemali, & verno tempore Ventres fieri calidissimos, ac præterea somnos longissimos esse, innatumque calorem plurimum vigere; quæ omnia conspirare videntur in usum uberioris alituræ.

Ventres dixit finè ulla adjectione; undè propriè intelligit Ventriculum, & Intestina, juxta morem, ut deducitur ex 6. Apb. 14., ubi dicitur: *Hydrope correpto, si aqua è venis in ventrem defluxerit, id est in cavum Ventriculi, & Intestinorum, solvit morbus*: educito nimirum humore Hydrope faciente. At verò cavum Thoracis designat 7. Apb. 38., cùm inquit: *destillationes, in ventrem superiorem decidentes, suppurrantur intrà viginti dies.*

Hyeme, & Vere calidissimos illos esse docet. Hyems autem quamvis ab Astronomis spatiū illud temporis intelligatur, quod comprehenditur intèr Solsticium Hyemale, & Vernum Aequinoctium, lustrante Sole Signa Capricorni, Aquarii, & Piscium: Atquè Vernum tempus, quod interjacet intèr illius Aequinoctium, & Solsticium æstivum, peragrante Sole reliqua tria Signa Arietis, Tauri, & Geminorum. Hippocrati tamèn (cui Annum dividere alterè arrisit, & quidèm in septèm tempora) ab occasu Vergiliarum, seu Plejadum, usquè ad adventum Hirundinum, nempè à fine Novembris, usquè ad medium Martii Hyems erat; Ver autem ab ingressu Solis in Signum Arietis, usquè ad ortum Hyadum, qui contingit circà finem Maii, & initium Junii. Voluit itaqùe sub Hyeme, & Vere is comprehendere tempora Anni æqualia, & constantia, magis, minusque calida, exclusis Aestate calidissima, & Autumno inconstanti, & inæquali.

At

At undē calidissimi tūc temporis Ventres evadant, non temerē dubitari potest. Vulgō ex Aristotele ad Antiperistasim confugiunt, sive ad contrarii circumobſistentiam: quoniām inquiunt, calorem à circumobſidente frigore magis, magisque intendi, suasque vires exferere fortiores, veluti adversus hostilem qualitatē dimicaturum. Hinc cryptas, puteos, & subterranea quæquè loca Hyeme calere testantur, Aestate verò frigere; qua etiā ratione problema illud enucleavit Aristoteles, cū Aquæ puteales hyberno tempore incalcerent, inalgerent autem Aestate.

Verūm non parūm falsi sunt, qui ejusmodi Antiperistasim vim, & efficaciam sunt commenti, ex superius memoratis experimentis: etenim cryptæ, & loca quæcumquæ subterranea haudquaquam calida sunt Hyeme, & per Aestatem frigida, sed potius frigidiora sunt Hyeme, quam Aestate, ut ope Thermoscopii est animadvertere; quin & compactior Aér iis in locis hyberno tempore observatur; undē & aqua, cæterique liquores magis ibidem attolluntur. Verumtamen decepti isti sunt à sensu ejus frigoris, quod æstivo tempore percipere solemus, cū ex externo Aère calidissimo cryptas adimus longe minus calidas, in quibus scilicet Aér à radiis solaribus æstivis remotior invenitur.

Sed etiā Antiperistasim aliquam vim haberet; procul dubio non Vere, sed potius Autumno illa intensior fieret, cum noctes longiores, & Solis remotior discessus à nostro vertice, frigidiorē aërem reddant; ut propterea frigidas quoquæ ægritudines per id tempus vagari fateatur Hippocrates, ejusq; Commentator Galenus 3. aphor. 22., & Quartanas evadere longiores 2. aphor. 25. Atqui de Autumno

hic

hic nihil meminit , sed solius Hyemis , & Veris ; igitur non à frigore obidente caloris incrementum in Ventribus , sed aliundè deducendum erit .

Et quidèm ejus incrementi ratio apertissimè traditur ab eodem Hippocrate *in hoc Aph.* , inquit enim : *quià tunc calor innatus plurimus est* . Plurimus quidèm est in Hyeme , quià sanguis , undè calor innatus provenit , minus diffatur , constipata per externum frigus Cutis : & quemadmodùm in Vino partes mobilissimæ , tenuissimæque , fivè ejusdem spiritus , per hyemem melius conservatur , & viget , qui ex calore ambientis æstivo facillimè perspirat , & dissipatur , quamobrèm eo exhalante promptè illud acescit , aut vapidum fit ; sic pariter sanguinis spiritus , ejusque portio vivida , tenuis , & mobilis facile per æstatem exhalat , & disperditur ; colligitur verò , ac plurimum viget in hyeme , undè calor internus vegetior evadit . Plurimus quoquè est in Vere , sed alia de causa : nimilum quià eo tempore non modò in hominibus , sed etiàm in stirpibus nutritius abundat humor , qui tamèn Aestate , & Autumno magna ex parte imminuitur : porro nutritius iste succus abundantior è sanguine per id tempus vegetiori , puriorique , proficiscitur , quamobrèm dicitur Ver ab Hippocrate saluberrimum , ob salubre , quam efficit in Viventibus constitucionem . Iure ergò excipiuntur Aestas , & Autumnus ; quoniàm per illam sanguis plurimus absimitur , ejusque spiritus , seu portio vivifica , per laxiores Cutis poros evaporat , & dissipatur , undè Corpus universum languet ; per hunc verò varium , & inæqualem , multifariam afficitur , ac plerisque impuritatibus inquinatur , nèc benè patent emunctoria Corporis ; quo deindè sit , ut ægritudines Autumno con-

contingentes, vel longæ, vel exitiosæ evadant. 3r  
 aphor. 9. Verumtamen comparatè solum ad cæteras  
 Anni tempestates, & in corporibus benè valenti-  
 bus, ac robustis, hæc sunt intelligenda; cum & nō  
 desint, qui melius, & robustius se habeant nedum  
 Ventriculo, sed toto Corpore, Aestate, autem Autum-  
 no, quam Hyeme, & Vere. Unde idem Hippo-  
 crates 3. aphor. 2. animadvertisit, Naturarum, alias  
 ad Aestatem, alias ad Hyemem benè, maleve se  
 habere; atque pluriæ observamus, fortitos imbecil-  
 las vires, languidosque Ventræ, in valde frigida  
 tempestate, vitali calore penè deficere, æstivis ve-  
 rò temporibus fieri vividiores: quod & iis Anima-  
 libus quoquè accidit, quæ hyemali tempore vel in  
 latibulis præ frigore immobiles jacent, vel omnino  
 emoriuntur; at verò Aestate viviscunt, & vigent,  
 summisque viribus præpollent.

Fiunt etiā in hybernis, vernisque temporibus  
 somni longissimi: Hyeme quidem, conferente plu-  
 rimū diurna noctium quiete, cum alimentaria  
 humiditate; & Vere, abundantiori succo-fanguinis  
 nutritio, cum clementiori, salubriorique Aëris con-  
 stitutio: sicut enim calor ingens, sive externus,  
 sive internus ille sit, somnum perturbat, & corpo-  
 ri molestiam affert; sic contrà frigus condensando,  
 & comprimendo, humores interius propellit, & sô-  
 num conciliat: qua: etiā ratione experimur, intè  
 initia paroxysmorum somnum ægrotantes oppime-  
 re, externis partibus non leviter refrigeratis. Cö-  
 tingit pariter sonus lōgior Hyeme, & Vere, quoniā,  
 ut dictū, sanguis per ea tēpora glutinosior evadit,  
 quo partes Corporis sensibilius nutriuntur, & hu-  
 mescunt: modò ex alibi traditis somnis sèpissimè ac-  
 cedit à Nervorum, & Cerebri madore, majoreque  
 irro-

irratione, ut potissimum à pastu licet observare.

Ab his ergò deducit Hippocrates, quòd per ea tempora sint alimenta exhibenda copiosiora, quoniàm nativus Calor plurimus tunc est, à sanguine scilicet abundantiori, vegetiorique. Quòd autem de Calore à sanguine pendente explicandus sit hic Hippocrates, suaderi potest ex eo, quià quamlibet ætatem, & unamquamque corporis constitutionem comprehendit, ex ingenito calore Hyeme, & Vere abundantiori. Modò si de eo, qui ex principiis seminalibus oriri vulgo creditur, exponatur, aptari hanc sanè posset ætati senili, quæ cum maximè omnium elongetur à primigenia semenum constitutione cum evideti carniū marcore, ideoquè pauxillo, vel minimo ejuscemodi innati calidi, quod solidis partibus inesse ponitur, freta, Ventres haudquam per ea tempora calidiores sortiretur, maximeq; hyeme, qua calor potentè infrangitur, ac habebatur à circumambiente frigore. Dixit insuper Naturâ, quoniàm de naturali calore, non autem de eo, qui præter naturam est, & aliam causam habet, quam ætatum mutationem, agit: hic namquæ indifferenter potest quocumque tempore Ventriculum alterare, & calefacere, sed ad exitium.

Quoniàm verò subinde Hippocrates inquit, alimenta copiosiora Hyeme, & Vere esse exhibenda, cum nimirum somni longissimi sunt; videtur tacite insinuare, Somnum potius, quam Vigiliam ad ciborum confectionem persolvendam proficere; opportunum fore existimavi, pauca de hac re in medium afferre. Galenus 7. meth. cap. 6. morem fortassè sequuntus Veterum, qui parcè admodum prandebant: cœcirol. i. tii. nabant verò lautiūs, somnum, & quietem summo-  
gr. perè conferre coctioni in Ventriculo peragendæ docet,

cet, cui ferè omnes antiquiores Medici consentiunt, moti potissimum ex eo, quia per somnum calor cuiusvis coctionis opifex intrò collectus robatur, qui per vigilam dissolvitur, & dissipatur. Ex adverso contendunt alii, quorum præcipius est Laurentius Ioubertus *decad. i. paradox. 8.*, vigilâ potius coctionem promoveri, quoniā ex eodē Hippocrate, *6. epidem. s. 4.*, Vigilia edax dicitur: eâ etenim calor acuitur magis, ideoque efficacius in cibos agit. At cum ciborum confection, & concoction dissolutionem ex fermentatione in Ventriculo habita, & secretionem, distributionemque in intestinis tenuibus, ex confluxu succi fellei, & pancreatici, complectatur, existimaverim Ego, & Somnum, ac Vigiliam, & Quietem, ac Motum perficiendæ coctioni omnino prodesse: Somnum quidem, ac Quietem ad eam, quæ in Ventriculo sit, persolvendam; at verò Vigiliam, ac Motum ad eam, quæ in Intestinis tenuibus peragit, utilium ab inutilibus Chyli partibus secretionem, atquè in lacteas venas protrusionem. Cum enim cibis nondum sit in chylum versus, quoisque Ventriculi cavum occupat, nisi deinceps nova dissolutione in gracilibus Intestinis subactus à recrementis nutricationi ineptis penitus, penitusque repurgetur, atquè in albicantem liquorem convertatur, ut facilius oscilla venarum lacticarum subeat, profectò chylosis utramque mutationem exposcit, & quæ in Ventriculo inchoatur sola dissolutione, & quæ in gracilibus Intestinis perficitur per integrum, absolutamque cibi in chylum transmutationem: Atqui prior melius quiete, & somno, posterior citius motu, & vigilia peragit, ut consideranti patet. Hinc modò notum fit, cur alterutrius vitio ciborum concoction s̄p̄s̄p̄iūs

O

in-

interturbetur, & alvi dejectiones accident, aut indigesti, necdum benè secreti alimenti, aut etiā corrupti, & depravati, in Lienteriis, vel Diarrhoeis, ut alibi est à Nobis explicatum. Verumtamen variant quidem non raro hæc ob variam Corporum habitudinem, itemque Regionum, Anni temporum, & assumptorum Ciborum conditionem.

Confirmat postremò aphoristicam hanc sententiā Hippocrates exemplo desumpto à Pueris, & Athletis; siquidem in his uberior exquiritur alimonia, quam in cæteris, à vegetiori, plurimoque nativo Calore, ut jàm antea demonstratum est. Ipsum autem Athletarum habitum naturā calidū esse manifestum est, nam multo, atquè optimo sanguine abundant. Adjicit quoquè Galenus exercitia, quibus nativus calor augescit, quemadmodum latius ostendit 1. *de san. tuend. cap. 14.*, & 2. *e iusd. oper. cap. 2.* At per exercitia sanguis solum temuor, & vividior fit, undè calor intensior; secùs verò qui in partibus solidis inhærescere fingitur: quippè is potius motu dissolveretur, & evanesceret.



### APHORISMUS XVI.

*Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maxime verò Pueris, & aliis, qui tali victu sui consueverunt.*

**C**ibi quantitatem in præcedentibus Aphorismis præscripsit Hippocrates variam, pro varietate Anni temporum, & Aetatum; nunc verò de ejusdem qualitate sententiam profert, potissimum

simùm in febrientibus, quibus humidum convenire docet: cui inhærens Celsus lib. 3. cap. 6., inquit: febricitantibus cibus humidus est aptissimus, aut humor certè quamproximus.

Quid autem pro victu humido intelligere voluerit, non abs te dubitari potest. Et Expositores ferè omnes cum Galeno re ipsa humidū arbitrantur, eūq; convenire febricitantibus, propterea quòd febris affectio sit calida sicca, cui per contrariam cibi qualitatem ob sistendum est. Sed cur non etiā frigidum victum commendavit? cùm febris ex eodem Galeno in *commentario istius aphor:* sit *conversio nativa caliditatis ad igneam*, nihilque febricitantibus calore molestius. Sed & quamvis hoc loco febrim calidam sicciam passionem appelleat, alibi tamē sēpius calorem dumtaxat illam p̄fere docet; Näm lib. de differ. morbor. cap. 5. intemperiem calidam simplicem totum Corpus occupantem relaturus, exemplum dat febris, quæ nimirū solo immoderato calore molestat, nulla de siccitate mentione facta: quod etiā confirmat lib. de *Causis morborum* cap. 2., & 8. *meth. in principio*, ubi febrim calorem, immodicum nuncupat, ejusque solius vi operationes vitæ lædi testatur. Id ipsum sentit etiā Avicenna pr. 4. cap. 1., definiens febrim, *calorem extraneum accensum in corde*.

Qua præterea ratione si de curandis febribus per victum humidum sermonem facere voluisset Hippocrates, commendasset illum Pueris, qui humili existimantur; ideoque conservandi potius gratiā, quam curandi? Plurimum autem hallucinantur, qui putant, fuisse hic præscriptum humidum cibum Pueris in statu sano, adeoque voluisse Hippocratem unico Aphorismo omnes simūl indicationes à victu hume-

te desumptas comprehendere, quasi verò Pueri eo cibi genere in salubri constitutione servandi, febriētes curandi, & consueti illo uti, muniendi sint, nè in calidas ægritudines labantur. Nàm ex contextu verborum clare deducitur, Pueros hìc considerari non sanos, sed febrentes: quippè victus humidus febricitantibus omnibus conferre dicitur, *maxime* verò *Pueris*; undè iis febricitantibus potissimum commendatur, itemque eo uti consuetis, si fortassè febribus laborent; quoniàm his convenit ex peculiari puerilis corporis constitutione, atquè ex veteri consuetudine; cumque mutationes in universum subitò inductæ periculose admodùm sint, ex 1. aphor. 3., & 2. aphor. 51., & lib. de *vict. rat.* in *morbis acutis*, atquè in iis præcipue graviore; propterea consuetudo ipsa servanda est; Pueris verò, nè inemendabile detrimentum in nutricione, & carnium laxitate patiantur, iidem, vel consimiles cibi, quibus per ætatum initia usi sunt, exhibendi erunt: primum autem illorum alimentum lac fuit; cibo itaque illi analogo, etiamsi febre corripientur, erunt alendi.

Verum enim verò Hippocratis mentem rectius interpretatur Heurnius ex lib. 1. de *dīæta*, undè persimilem sententiam transcribit: *cibus humidus, imbecillis, sitis expers, coctu facilis, & liquidus febricitantibus convenit*; cujusmodi erat p̄fisana, ejusque tremor. Et quidem *humidus* esse debet, idest fluidus, & potabilis; *imbecillis*, qui scilicet non sit forcis, durus, aut solidus, quique nèc acitudinem stomacho afferat, nèc vapores ad caput attollat, nèc Ventriculum plurimum fatiget: *sitis expers*, putata qui sitim potius minuat: *coctu facilis*, ut citò in chylum commutari possit, atquè in aliti substantiam con-

converti: postremò sit *liquidus*, facilisque distributio-  
nis, nām hoc pāsto promptē diluitur, & celerrimē  
in venas lacteas trajicitur. Quare idem Hippocra-  
tes inquit 2. *aphor.* 11. *facilius est refici potu*, idest  
alimento liquido, quām cibo: sēu alimento du-  
ro, solidoque. Rectē igitūr à Galeno *lib. de opt. sect.*  
*ad Trasibul. cap. 4.*, & 1. *de rat. vīct. comm. 18.* scri-  
ptum est, Hippocratem pro humido vīctu, liquidum  
intelligere, qui potest esse cujusvis conditionis, &  
qualitatis; ut proptereā idemmet Galenus *cod. lib.*  
*1. de rat. vīctus c. his*, qui imbecilliorem sortiti  
sunt *Ventriculi concoctionem*, præscribit cibum li-  
quidum, quoniām ejusmodi alimenta faciliūs pera-  
guntur; quippē illud videtur esse præcipuum *Ven-*  
*triculi concoquentis opus*, ingesta scilicet dissolvere,  
colliquare, & in substantiam fluidam redigere; quo-  
circā cibus liquidus promptissimus est, ac itā præ-  
paratus ad concoctionem, ut nullo penē negotio  
conficiatur; cumque in febricitantibus vis *Ventri-*  
*culi ad ciborum digestionem plerumquē elangueat*,  
exhibenda proindē erunt, quāe facile concoquan-  
tur, qualia profectō sunt liquida, & in puluis ve-  
luti formam dissoluta: ut hac ratione promptissi-  
mē confecta faciliūs in venas, & arterias distri-  
buantur.

Atquē hīc etiām deducere licet, cūr non frigi-  
dum cibum commendaverit Hippocrates: quoniām  
non ab indicatione curandi febreī per contrarias  
qualitates, sed à viribus reficiendis, & à facilita-  
te, ac promptitudine coctionis, & distributionis,  
vīctus humidus præscribitur, veluti conducibilior fe-  
brientibus; eoque magis quā superiūs dixerat, in  
accessionibus abstinere à cibo oportere, & præser-  
tūm si per iteratos paroxysmos febres redeant, ut  
sub-

subditur quoquè *Aphorisma XIX.*

Qua ergò ratione victus humidus febricitantibus omnibus convenit, longè graviori videtur commendandus Pueris, si fortasse in febrem incident: si quidem non aliundè probatum est, humidum victum febrientibus convenire, quām ex eo quiā facilius hic digeritur, citiusque distribuitur, Ventriculum non fatigat, nēc sitim præ cæteris molestissimam auget; atquī hæc in Pueris majus sanè negotium facessunt, quoniām tenerrimæ illorum carnes facile per febrim extenuantur, & gluten sanguinis nutritioni, qua cæteroquī suminè egent, omnino necessarium, diluitur, & liquatur, nēc alioquī inediam sustinent, & alimenta duriora vix conficere queunt, quorum usū cruditates cumulantur; quamobrèm humidus, liquidusque victus his videtur convenientissimus.

Similiter qui longo usū liquidis cibis fuerunt assueti, ægrè duriores conficient, qui suapte natura laboriosius concoquuntur: vis autem Consuetudinis tanta est, ut etiām deteriora, si consueta sint, minùs mala evadant, inndò facilius ferantur, quām insueta, ut dicitur 2. *aphor.* 50., & 2. *de rat.-vict. in acut.* 33., 8. *meth. cap.* 9., & 6. *de loc. off. cap.* 4.

Hinc modò patet, quām malè sentiant, qui de victu omnino humido, frigidoque aphoristicam hanc doctrinam interpretantur, quippè qui generale hoc Hippocratis documentum omnibus febricitantibus conveniens, non admittunt, putà in febribus Ephemeris à cruditate, in Quotidianis, Quartanis, & Epialis, aliisque, cum ulceribus, tumoribus, alvi profluviis, catarrhis, & sopore copulatis; cùm tamè ille indiscriminatim cibum humidum omnibus febricitantibus commendet, & quidem prudentissime

mē, præsertim si pro humido, cibum liquidum, fluidum, facilisque coctionis, ac distributionis, intelligamus.

*APHORISMUS XVI.*

*Et quibus semel, aut bis, & quibus pluram, an pauciora, & particulatim oporteat offerre, considerandū. Condonandum autem aliquid Tempori, Regioni, Actiū, & Consuetudini.*

**A** Quantitate, & Qualitate ciborum, pergit Hippocrates ad tempus, partitionemque eorumdem, cum non sati s sit, ad rectam Viētus rationem præscribendam, nosse quid, & quantum cibi sit exhibendum, ni etiam, semel, an bis in die, & num parūm, ac s̄pē, an verò multūm, & raro cibare oporteat, prospiciatur. Quamobrèm Medicos admonet, ut & id pariter advertant, nè in recta ciborum administratione fallantur.

Quoniām verò prima iudicatio sempè à Viribus sumenda est, pro illarum propterea ratione, cibi erunt offerendi. Et quidem parūm alimenti, sed s̄p̄ius exhibendum, consulit Galenus in comm., cum ægrotantis Vires imbecillæ fuerint, & ea, quæ in corpore est affectio, sit ex humorum corruptione, vel defectu: quippè languidæ vires, etsi restauratio ne egeant, multum tamèn alimēti sufferre nequeunt, à quo potiūs obrutæ succumberent, quām increscerent: alimentum autem parūm, & s̄pē exhibitum æquivalet multo. Parūm, & raro cibandum subdit, si vires debiles sint, nullus tamèn defectus adsit, nequè


nequè corruptio; sed & humores naturales moderati fuerint, vel etiā superabundaverint, ut propterea conjicere possimus comprimi potius vires ab humorum copia, quām re ipsa deficere. Præterea multū, ac sēpius vult alendum, si cum humorum defectu, aut corruptione vires fuerint validæ; etenim multis cibos exigit ejusmodi dispositio, nē vigorem amittat, & hi benè confici possunt à constanti robore. Multū denique, & raro cibandum docet, cū vires robustæ sunt, & plethorica adest dispositio; nām etsi hæc Corporis constitutio potentēr cibos confidere valeat, quia tamē multis, & frequentioribus non eget, rationabile est, ut ratiūs alatur, nē ex plethorica dispositione in Athletarum discrimina incidat, si liberalius nutriatur.

At quamvis hæc in recta vietū ratione à viribus, & à morbo desumpta, specialius considerare necesse sit, adjicit nihilominus Hippocrates, indulgendum aliquid semp̄r esse Tempori, Regioni, Aetati, & Consuetudini. Et quidē Hyeme uberiori utendum cibo, sed ratiūs: quoniā tūc ex dictis Ventres sunt validiores; undē homines magis appetunt, meliusque digerunt; at quoniā multam ciborum copiam nonnisi post longius tempus confidere possunt, propterea ratiūs alendi sunt. Aestate verò ob Virium, & Ventriculi languorem ciborum multitudo minūs toleratur; idcirco parcīus, sed sēpius alendum, nē vires alimenti paucitate deficiāt. Sic non dissimilit̄r Vere, ac in Hyeme, & Autūno, ac in Aestate cibi erunt assumendi; eo tamē discrimine, ut quo magis Ver ad Aestatem accesserit, frugaliūs; & quo magis Autumnus ad Hyemē inclinaverit, liberalius offerantur: sēpius autē, aut ratiūs pro varia Corporum habitudine, & cōditio-

ditione. In Regionibus quoquè variis, Aëris, aut  
Aquarum ratione, cibi facilius, citiusque conco-  
quuntur; vel contrà tardè admodùm, & difficultè;  
undè homines alicubi, vel multùm, atquè avidius  
appetunt, vel, modico licet cibo, gravantur: quâ-  
quam, & esculenta, ac potulenta magis, minusque  
nutricatiui conferentia, plurimùm in hoc valeant. Præ-  
tereà qui adolescent, sèpius, uberiorisque sunt refi-  
ciendi; sicut etiàm consueti frequentiores, abundâ-  
tioresve cibos sumere; seriùs verò, & parciùs Senes,  
quique contrariæ consuetudini se addixerunt.

Sed & de Corporibus quoquè; eorumque consti-  
tutionibus, peculiaris ratio habenda est: quippè  
Gracilia copiosioribus, & humentibus alimentis:  
Obesa tenuioribus, ac extenuantibus: & Carnosa,  
solidioribus, ac moderatis nutrienda sunt; atquè  
pro Virium, & Ventris robore, rariùs etiàm, ac  
frequentius, his, aliisque ciborum generibus, prout  
humores, & fermenta viscerum multigena conditio-  
ne variaverint.

Hinc deducere licebit, quòd tametsi Vires ægro-  
tantis, Morbi, & Causæ morbificæ, itemque illorū  
tempora, circuitus, incrementa, symptomata, &  
proprietas, statutam quamdam cibandi rationem  
exposcant, juxtà regulas superiùs traditas; illam  
tamèn quodammodo laxare expediet Anni Tempor-  
is, Regionis, Aetatis, Corporis constitutionis,  
& Consuetudinis ergò; adeoque paululùm indè in  
hanc, vel aliam declinandum, & semel, aut bis,  
& parciùs, aut uberiorius, & seriùs, aut citius, &  
sèpius, aut rariùs cibandum, prout ipsa expostula-  
verint.



## APHORISMUS XVIII.

*Aestate, & Autumno cibos difficillimè ferunt, Hyeme facillimè, secundum locum Ver habet.*

**C**um dixerit Hippocrates, condonandum aliquid esse Anni temporis, Regioni, Aetati, & Consuetudini, nunc docet quibus in Anni Temporibus sit hoc agendum in usu ciborum. Nihil autem praeterea de Regionibus, Aetatibus, & Consuetudine meminit; quoniām facile erat de his decernere, ubi ratio ab Anni tempore deductum constitisset. Inquit ergo, Aestate, & Autumno, cibos difficillimè ferri; facillimè vero Hyeme, cuius causam Aphorismo XV. prodidit. Viger enim nativus, seu vitalis animalium Calor hyperno tempore; quamobrem tunc cibus plurimus exhibendus est: at vero Aestate, & Autumno, is languet; ideoque multo cibo abstinentur. Quare si in statu sano pluri alimenta homines per ea tempora gravandi non sunt, languescente nimis ingenito, & naturali calore; profecto in statu morbo longè magis offenduntur, si multo cibo repleantur.

Verum quamvis in Aestate, & Autumno indiscriminatim ab Hippocrate sit prolatum, multos cibos minimè sufferri, forte quia, ex superius explicatis, Vitalis calor diffatur, & Ventriculi Animalium tum maximè in concoctione fatiscunt; adhuc aliæ per Autumnum vigent Causæ, quibus Corpora specialius afficiantur. Et quidem inæqualis ambientis Aëris habitudo Viventia plurimum turbat, & vcluti

ut ad motus oppositos repente exagitat; non sine gravi vitae incommodo; unde Hippocrates 3. aphor. 4. notavit, Autumnales morbos expectare oportere, quandò eādem die modò calor, modò frigus vigeat, illosque præterea acutissimos, & exitiales dixit t. 9. ejusdem libri, eoque magis quiā halituum perspiratio per Cutim, tantoper Viventibus necessaria, plurimum per id tēpus interturbatur, quo circā sanguis non leviter inficitur; quin & detenti sudores, & cumulata ex intemperanti victu, & fructuum esu, excrementa, majora propemodū damna visceribus afferunt, ut etiām advertit Galenus in comm. illius Aphorismi.

Medium locum Ver habere inquit, intè difficilimam in Aestate, & Autumno, ac facillimam ciborum in Hyeme tolerantiam, atquè hanc ab illo disjunxit Hippocrates, quamvis Aphorismo XV. per ea tempora scripsisset, alimenta exigi æquè copiofiora; quiā Ventris robur, & ingeniti caloris vis, atq; efficacia, in utroquè tempore, etsi non eādem ex causa, uberioris alimentum exquirunt, & speciatim in sanis. Sed & ciborum gravamen facilius, vel difficilius tolerabile in diversis Anni temporibus cōsiderans, ægrè admodū illos sustineri inquit Aestate, & Autumno; Hyeme verò nullo penè labore. Nequè præterea in Medicina novum est, quòd medicamentum, sive alimentum alicui indicatum, aliundè non toleretur. Atqui non æquè ferendus videtur cibus Vere, & Hyeme: siquidèm verno tēpore turgent abundantiori sanguine Vasa, proindeq; disruptioni, pressuræque facilius subjiciuntur, ex humorum, & carnium laxitate, ac plenitudine, ut de Athletis, qui ad summum bonitatis pervenere, jām antea est demonstratum. Jure ergò medium locum.

verno tempori concessit Hippocrates , illudque ab hyberno disjunxit , comparata nimis rūm facillima tolerantia ciborum in Hyeme cum ea , quæ minùs tuta videtur in Vere . Sed & hac de causa cibum partiri expedit , ut qui non sustinetur semel exhibitus , iteratò resumatur distributus , sæpiùs , & parcè ; quod edocere visus planè est Hippocrates hoc loco , intentus partitioni ciborum potius , quām quantitati .



### APHORISMUS XIX.

*Iis , qui per circuitus accessiones habent , nihil dare oportet , nequè cogere ; sed subtrahere adjectiōni ante iudicationes .*

**V**Idetur hic Aphorismus omnino coincidere cū undecimo , in quo consimilis fermè sententia repetitur . Sunt verò , qui putant hunc esse epilogum præcedentium . Sed penitus falluntur ; quia sententiæ aphoristicæ epilogum non admittunt , nequè hic quidpiam eorum continetur , quæ superioribus Aphorismis memorata sunt , nisi solùm , quòd videantur resumpta documenta - undecimi . Neq; licet opinari , fuisse illum incautè repetitum , vel ab aliis imprudentè adjectum : Näm pleraquè hic notantur , quæ ibi nullatenus sunt recensita , ut est , quod speciatim dicitur de subtractione cibi antè iudicationes . Satius igitur erit ità cum Sclano , & Sanctorio hunc Aphorismum interpretari , ut etiā cū præcedenti congruentè neci possit . Nupèr scripsérat Hippocrates , Aestate , & Autumno difficillimè cibos

elbos ferri, adeoque partiendos esse; excipit nunc Accessiones, & tempus paulò antè Judicationes morborum, ita ut in ipsis Accessionibus, etiam si Hyems vigeat, nihil cibi exhibeatur, sicut pariter paulò antè Judicationes: quamobrem quod condonandum est Tempori, Regioni, Aetati, & Consuetudini, locum haudquam habebit in Accessione ipsa, & imminente Crisi.

Quamvis attem indefinite scribat Hippocrates: *Iis, qui per circuitus accessiones habent, adeoque videatur quamcumque morbi accessionem periodicam complecti, specialius tamè intelligit recurrentes febrium invasiones, quas Galenus lib. de tempor. morbor. cap. 6., divisit in Accessiones, ac Remissiones; & rursùs Accessiones in Principium, Inæqualitatem, Augmentum, & Statum: Remissiones verò in Declinationem, & Intervallum.* Modò cām Hippocrates inquit, nil dandum in accessionibus, intelligendus in Principio, Inæqualitate, Augmento, & Statu; Sed tamè posse tutò exhiberi cibum in Declinatione, vel Intervallo. Et quidèm non in Principio, nè distrahatur, aut gravetur Natura, cibo interea nihil proficiente, immò potius lèden-te, ut contigit ægrotō innominato, & filiæ Philonis, qui cùm febre calentes cœnassent, obierunt. Nequè in Inæqualitate, cùm scilicet inæqualibus motibus caloris, & frigoris, Corpus ægrotantis afficitur, & pulsus varii in systole, & diastole observatur: tunc enī gravius lacefitti febricitantes rem quamlibet fastidiunt. Nèc in Augmento, in quo Cerebrum, & Cor increbrescentibus symptomatis afficta, magis, magisque à cibo lèderentur, non parùm promotâ febrilium fermentorum tumultuariâ commotione. Nihil postremò exhibendum in Sta-

tu,

tu, quo tempore particulares Crises disponuntur, præsertim verò Sudores, qui à cibo impediti procul dubio nocumento forent. Hinc sana ratione Galenus ex documento Hippocratis 1. *de rat. vict.* *in ac. 46.*, inculcat, cibum nullatenus præbendum, nisi calor thoracem dimiserit, & descéderit ad pedes: quod solùm in Declinatione accidit, aut in Intervallo, cùm symptomata desunt, vel magna ex parte remittuntur. At verò si Stomachi languor urgeat, vel syncope immineat, nonnihil pro viribus offerendum, instante adhuc paroxysmo, ut jà anteà notavimus.

Addit Hippocrates, nèc cogendos esse ægrotantes ad sumendum cibum antè judicationem, seu crisis, nè impediatur; siquidem ex Galeno 3. *de Crisibus*, plerumque perturbantur motus Critici, vel cum interitu ægrotantis accidunt, ob errores in victu: cumque ex eodem Hippocrate 2. *Aphor.* 13. *Quibuscumque Crisis fit, iis nox gravis antè accessionem*, ideoque nèc cibus appetitur; nulla planè ratione cogendi sunt, ut cibum sumant; quemadmodum imprudentè plerisque fieri solet, qui ægros vel invitos compellunt epulari, ut pugnam cum morbo, ut ipsi dicunt, strenuè possint sustinere. Porrò Hippocrates nedum cogendos non esse ait, sed detractioni potius incumbendum, ita ut ex priori, & consueto cibo aliquid demendum sit, proxime accedendo victui tenuissimo, nè futura Crisis impediatur, aut interturbetur.

Tempus hoc antè Judicationes, in quo cogere non oportet ægrotantes, ut cibum sumant, Galenus exponit antè Accessiones. Verùm reprehenditur à Triverio, & Montano, quòd Hippocratem nugatorium faciat, quippè qui superiùs cibum in accessio-

bonibus non dissimiliter inhibuerit; unde concludit Triverius, Judicationem hic revera intelligi Crisim, quā morbus in suo statu judicatur. Hinc autem sit, ut per id tempus subtrahere adjectiones ille consulat; & quidē sive Crises sint universales, totique morbo finem imponant, sive sine particulares, & accessiones tantummodo singulatim removeant, ut dicitur 4. Aphor. 63., nē scilicet Natura à suo munere distrahat, & causa morbifica per Crisim expellenda, ciborum multitudine, retardetur, recrudescat, ac evicto morbo suppetias ferat.

Attamen adnotare decet, non dixisse Hippocrate nihil cibi his dandum esse antē judicationes, præser-tim universales, sed subtrahendum adjectioni; id est demendum esse aliquid ex cibo anteā exhiberi solito; aliter si de integra subtractione, & inedia intellegeretur, maximum vitæ periculū ægrotantes subirent, essetque hoc Hippocratis documentum ad perniciem potius, quam ad salutem indictum.

### APHORISMUS XX.

*Qua judicantur, & judicata sunt integræ, nequæ morvere, nequæ novare aliquid, frvè medicamentis, sive aliter irritando; sed finere oportet.*

**Q**uoniā tribus præsidiorum generibus universa Medicina fulcitur, Diæterico, Pharmaceutico, & Chirurgico; Hippocrates postquam de priori superioribus Aphorismis fusè differuit, pergit nūnc canones quosdam generales tradere, summoperè coaferentes ad usum Chi-

**Chirurgicum, & Pharmaceuticum: atquè primū.**  
**Medicos monet, nè quid eo tempore agant, quo**  
**Crises perfectè accidunt, & Morbi omnino judican-**  
**tur, ac desinunt; undè nihil omnino tentare, aut**  
**aliqua ratione movere expedit, tūm medicamentis**  
**evacuationes promoventibus, tūm irritantibus, ac**  
**perturbantibus Crisis motum, sed inchoatum opus,**  
**vel absolutum à Natura, Naturæ ipsi omnino com-**  
**mittere.**

Principiò inquit, *Quæ judicantur*: id est, quæ sa-  
 lubritè à Victrice Natura, convenientè morbificam  
 causam expellente, peraguntur. Judicium enim, scù  
 Crisis à Galeo *comm. 13. 2. lib. Aphor.*, definitur  
 subita in morbo, vel ad salutem, vel ad mortem,  
 mutatio; ac sit Naturâ separante à bonis mala,  
 atquè ad evacuationem disponente. Subita quippè  
 debet esse mutatio, nām mutationes in morbis sen-  
 sim factæ solutiones potius ab eodem Galeno ap-  
 pellauntur: At verò Crisis accidunt, totâ simili ex-  
 pulsâ causâ morbificâ, vel saltē ad ignobiles  
 Corporis partes translatâ. Cùm itaque ægritudines  
 judicantur, vel etiām judicatæ, & finitæ sunt, Me-  
 dicus tamquām Naturæ minister aliud quid tenta-  
 re, aut innovare non debet; etenim non minoris  
 prudentiæ erit, tūm cessare, & ab omni opera  
 quiescere, cùm Natura satis perfectè suum opus ex-  
 plet, & morbum, morbique causam profligat, quām  
 subsidiarias eidem manus porrigit, quotiès ope-  
 medica, atquè externo auxilio indigere videtur.  
 Quare Galenus comparat Medicum perito Nau-  
 clero, qui opportunis temporibus vela aptat, ac de-  
 mittit: præposterus enim illorum usus profectò nau-  
 fragium parceret. Hinc patet, quām longissimè à Ra-  
 tione, & recta Methodo medendi juxta præscriptum

Hyp.

Hippocratis , & Galeni deflectant , qui , quo tempore Natura Crisis aggreditur , & labores ingentes subit in ipso morbi vigore , ægrum importuna remediorum multitudine , ac varietate , obruunt , & nè parùm solliciti , aut diligentes videantur , ipsam vexant , atquè à proprio , salutarique munere distrahunt ; nèc ideò meminerunt , illam esse morborū medicatricem , nequè indigere remediis , Medicique operā , nisi cùm impedita nequit opus absolvere ; quamobrèm idem Galenus 9. de plac. Hipp. , & Plat. cap. 8. ex mente ejusdem Hippocratis hæc habet : erudita Natura est , licet rectè facere non didicerit : & alibi : Naturæ morborum Medici sunt . Eodem modo se habet & illud : Naturæ sufficiet prorsùs , &c. Prudentè itaqùe consulit Hippocrates , nihil penitus movendum esse , ullo medicamentorum genere , quotiescumquè morbus integrè judicari videtur , sed opus omne committendum Naturæ .

Nèc solum Hippocrates movendum inhibuit , verum etiàm nullatenus innovandum ; ut propterea velit , non modò abstinere oportere ab his , quæ evacuandi , & quocumquè modo alterandi , atquè naturæ motum concitandi vim habent , sed etiàm à cuiusvis alterius generis medicamentis novam , atquè ab inchoata differentem motionem induentibus . Quare nèc quæ promoveant , nèc quæ turbent : nèc quæ distrahant , aut impedian , adhibenda sunt : sed & nèc ægrotantes ambienti frigido exponantur , si per sudorem Crisis immineat ; nèc cibos constipantes assumant , si dejectiones futuræ conjiciantur ; nèc plurimis integumétis cooperiatur , ut æstuent , si per vias urinæ speretur exitus causæ morbosæ ; nèc gelidam nimis potent aquam , si hæmorrhagia è naribus prænoscatur ; ideoque vitentur ea omnia ,

Q

quæ

quæ salutarem Naturæ motum remorari , aut prævertere possunt ; unde non abs re addidit Hippocrates : *sed sinere oportet* .

Integrè autem ægritudines judicari , ac desinere debent , adeoque omnino causæ morbificæ depelli , ut opus universum soli Naturæ absolvendum relinquatur . At secùs si imperfectæ motiones , evacuationesque contingerent ; tunc enim , quia Naturæ quoquo modo deficit , auxiliis egebit , & ope medica , ut inchoatum opus perficiat , & compleat . Fiunt autem ejusmodi imperfectæ judicationes , scù crises , vel ob virium languorem , vel ob morbificæ Causæ repugnantiam , aut ob viarum , per quas motiones , evacuationesque tentantur , impedimenta ; præter ea , quæ ex erroribus Medici , vel ægroti proficiuntur . Unde prout hoc , vel illud noverit Naturæ impedimento esse , totis viribus per congruentia , & opportuna remedia prudens Medicus removere conetur .

Quoniā verò specialiū Crises distrahi , aut impediiri possunt usu medicamentorum vel evacuantū , vel irritantium saltēm , propterea dicitur in Aph. sive medicamentis , sive aliter irritando : atquè hæc duo dumtaxat medicamentorum genera notantur . Excipiuntur autem , quæ Naturam non turbant , sed roborant , ut efficaciū inchoatum opus perficiat . Sic in ipsa etiā Crisis ad reficiendas vires tutissimè exhibentur tinctura AlKermes , julapium vitale , omne genus Elixiris , aqua Cinnamomi , Ambra grisea , & his similia .

Verū huic sententiæ obstat videtur sequens Aphorismus , quo admonet Hippocrates , eò ducere oportere vitiosos humores , quo Natura vergit per lucu conferentia ; Unde quis inferre posset , licet

Me-

Medico congrua adhibere remedia, quæ crisi per loca conferentia adjuvent, ac promoveant. At nullam in Hippocrate contradictionem inveniet, qui cumquè consideraverit hic Crisi integrum, perfectamque memorari, ut patet ex dictione illa integrè, quæ licet in græco Codice exprimatur per *απρίας*, quod plura solc significare, 2. tamèn de *Humoribus* t. 13., undè transcriptus est hic Aphorismus, vice *ἀγριας* scribitur *ἀπαγρι*, quod perfectè, & integrè sonat, ut notat etiàm Galenus in *comm.* In sequenti autèm Aphoris. agitur de Crisi imperfetta, qua non ex integro morbifica Causa depellitur, ut propterea opus medicum exquiratur. Quare Avicenna *prima* 4. in unum recolligens ambas has Hippocratis sententias dixit; *si Natura non moveat, move tu motu ejus; at si ipsa moveat, & actu moveat, dimitte eam, & operationem ejus.*

Conditiones autèm perfectæ Crisis refert Galenus 1. *de diebus decret. cap. 2.*, & *in comm.* hujus aph., easque ad sex revocat: primùm exigit, ut per evacuationem fiat potius, quam per Abscessum, & per partes infernas melius, quam per supernas: tunc ut noxious tantum humor, isque omnino excernatur, minimè verò quivis alias servetur deinde locoru necessitudo, ut per vasa consentientia, ac recto tramine, ejusmodi evacuatio fiat: post has, quæ facile toleretur: & postremò, prævia coctione, atquè in die decretorio. Cum his enim conditionibus Crisis contingens denotat, devictam fuisse causam morbificam, atquè omnino extrâ corpus eductam absquè periculo Recidivæ, & sinè ullo virium detimento. Ex defectu primæ conditionis. licet Abscessus intèr Crises referantur, quia tamèn viciosus humor non evacuatur, nec extrâ Corpus depellitur, facile re-

crudescere potest, & denuò sanguinē, ac principalia viscera inquinare, ut accidit Critoni: sic pariter cùm fiunt per partes superas, inopinatè Cor, Pulmones, Cerebrum, & alia membra nobiliora infici possunt; undè ex Crisis per vomitum non raro accidit Cardialgia. Ex defectu secundæ conditionis perniciosæ sunt evacuationes diminutæ, vel immobidæ: etenim ob illas relabuntur ægrotantes; nàm quæ relinquntur in morbis post iudicationem, redivas facere consueverunt 2. Aph. 12.; ob has verò vitæ periculum imminet ex Virium languore. Cùm insupèr alii humores, quām vitiosi evacuantur, contingit planè ex unâ vires infirmari, & ex alterâ morbificam causam increscere, ac vehementius adoriri Naturam, quæ procùl dubio ex iniutili egestione languidior redditæ tandem succumbet: atqui oportet post coctionem fieri discretionem, & posteà evacuationem, ut bona sit Crisis 4. Aphor. comm. 22. Ex defectu tertiarie conditionis damnantur evacuationes per eas partes habitæ, quæ cum affecto viscere non consentiunt, per meatus sibi mutuò respondentes: sic in affectibus pectoris, vomitus, vel alvi profluvium, malum est. Ex defectu quartæ conditionis pessimæ sunt Crises vitale robur dissolventes, quippè ab his unâ simul morbus definit, & Vita; undè dicebat Hippocrates in Coacis prænotionibus: aliquandò in optimis Crisisbus ægri perirent; cùm scilicet Vires illas non sufferunt. Ex defectu quintæ conditionis malæ sunt egestiones humorum intèr morborum initia, nondùm concocta, nec secreta causa materiali coruindem; quamobrèm Galenus c. comm. 22. 4. Aph. inquit: *Quandò aliquis incipit Morbus, si quid excernitur, nihil tunc excernitur Naturæ ratione, sed sunt omnia symptomata ea-*  
*rūm,*

rum, quæ præter Naturam sunt in corpore dispositio-  
num: quo enīm in tempore à causis morborum facien-  
tibus Natura gravatur, & adest cruditas humorum,  
tūc aliquid utiliter evacuari est impossibile: siquidēm  
oportet coctionem praire, subsequi verò discretionem, &  
postea evacuationem, ut bona sit Cris̄is, sive Judi-  
cium. Et comm. 13. 2. aphor.: *Fit autem iudica-  
tio, Natura separante à bonis mala, & ad excernen-  
dum preparante.* Ex defectu demùm sextæ conditio-  
nis suspectæ sunt Galeno Crises in diebus paribus  
contingentes; ut proptereā miretur, cùr citrā reci-  
divam judicata fuerit Virgo Larissæa in sexta die,  
quādoquidēm ex eodem 1. de diebus decretor. c. 7.  
nullum signum futuræ recidivæ fortius est, quām  
dùm Crisis fit in dic non critico. Et Hippocrates  
4. aph. 36. *Sudores, docet, febricitanti si incœperint,  
boni, tertia die, quinta, septima, octava, nona, un-  
decima, decimaquarta, decimaseptima, vigesimaprima,  
vigesimal septima, trigesimaprima, & trigesimaquarta.* Hi  
enīm sudores judicat morbos. Qui verò non ita fiunt,  
laborem significant, & morbi longitudinem, ac recidivā.

Verūm adversūs hanc ultimam bonæ Crisis con-  
ditionem pugnare videntur plurima exempla ægrot-  
antiū, qui in libris Epidemiorum ab Hippocrate  
memorantur judicati aliis, quām in diebus decreto-  
riis; ut proptereā Averroes 4. collect. 4., has eas-  
dem perfectæ Crisis conditiones referens, pro die  
critico habeat illum, in quo bona Crisis accidit,  
ex præcedente coctione, & succedente evacuatione  
conferente. Et Celsus lib. 3. c. 4., inhærens Ascle-  
piadi hæc habet: *Id Asclepiades jure, ut vanum,  
repudiavit, nequè in ullo die, quia par, imparve, es-  
set, bis, vel majus, vel minus periculum esse dixis.*  
*Interdūm enīm pejores dies pares fiunt, nonnumquām*  
*etiam*

etiam in ipso morbo dierum ratio mutatur, fitque gravior, qui remissior esse consueverat, atque ipse quartusdecimus par est, in quo esse magnam vim Antiqui fatebantur, qui cum octavum primi Naturam babere contenderent, ut ab eo secundus septenarius numerus inciperet, ipsi sibi repugnabant, non octavum, neque decimum, neque duodecimum diem sumendum quasi potentiores; plus enim tribuebant nono, & undecimo: quod cum fecissent sine ulla probabili ratione, ab undecimo non ad tertiumdecimum, sed ad quartumdecimum transibant. Est etiam apud Hippocratem, ei, quem septimus dies liberatus sit, quartum esse gravissimum, ita, illo quoque Authore, in die pari, & gravior febris esse potest, & certa futuri nota; atque idem alio loco quartum quemque diem, ut in utrumque efficacissimum apprebendit, id est, quartum, septimum, undecimum, quartumdecimum, decimumseptimum, in quo & ab impari ad paris rationem transit, & ne hoc quidem propositum conservavit, cum a septimo die undecimus, non quartus, sed quintus sit: adeo apparet, quacumque ratione ad numerum respxerimus, nihil rationis sub illo quidem Authore reperi. Hactenus Celsus.

Hæc igitur cum ita se habeant, facile prudens Medicus conjicere poterit, quandonam operantem Naturam sinere debeat, & contraria quando ejusdem diminutos motus adjuvare, vel excedentes cohíbere oporteat. Et quidem in perfecta Crisi nil aliud tentandum præter id, quod Viribus instaurandis inservit; In Crisi vero imperfecta, cum scilicet Naturæ inchoataam evacuationem absolvere nequit, Medicus illius adjutor sit, & inchoatum motum perficiat, Viribus interea resectis. Symptomaticæ demum egestiones non impediendæ, si ferantur & cau-

& causam morbificam quaqua ratione diminuant ; at si Vires infirment , & ad morbum , morbique causam nihilum conferant , cohibendæ sunt . Porrò in omnibus peculiaris ratio de Aegrotantis virtute habenda sempèr est .

*APHORISMUS XXI.*

*Quæ ducere oportet , quò maximè Natura vergit per loca conferentia , eò ducere convenit .*

**S**icuti quæ judicantur , & judicata sunt integrè ; nequè movere , nequè novare oportet , sed sine re ; ità cùm imperfectè moventur , aut mota sunt , toto conatu adjuvare expediet , ut propterea hic Aphorismus sit veluti appendix antecedentis . Cumque imperfectè judicata à Natura , sint Arte perficienda , ut omnino causa morbi depellatur , & morbus ipse planè desinat , docet nūnc Hippocrates per eadem loca , quæ Natura ipsa indicaverit , esse promovendam totius causæ morbificæ eva cuationem . Hinc tria potissimum videntur hoc Aphorismo comprehensa : primum oportere Medicū Arte perficere , quod Natura explere non potuit : tūm ut per loca conferentia , & quæ Natura ipsa in Crisi jām inchoata indigitaverit : deindè ut ex variis fortassè illius motionibus , ea speciatim feligatur , ad quam maximè vergere videtur , & humor ipse depoñendus promptior , parator , magisq; dispositus est .

Quænam sint ista , quæ ducere oportet , explicat Galenus in comm. : quæ v3. nequè judicantur , ne quæ

quæ sunt integrè judicata, nempè causæ materiales ægritudinum, quoniām Crises non accidunt, nisi morbis pendentibus è materia, sive humoribus, qui degenerarunt: & nisi sensibili evacuatione hi tollantur, illi non desinunt: modò si imperfectè contingat ejusmodi vitiosos humores morborum causas repurgari ope Naturæ, beneficio Artis oportebit diminutam eorumdem evacuationem absolvere, ut Aeger in pristinum salutis statum reducatur, & non recidat.

At quoniām, quæ educenda sunt, per quas vias educi debeant, sèpissimè ignoramus, admonet Hippocrates, ut per ea loca promoveatur evacuation, per quæ Naturæ illam inchoaverat; proindè subdit: *Quò Natura maxime vergit.* Naturæ verò nomine intelligitur hic ab Hippocrate vis illa, internusque motus tamen partium fluidarum, quam solidarum restringam Corporis œconomiam constituentium, undè fermentationibus, dissolutionibus, secretionibusque, coctiones, nutrificationes, mutationes, atquè salubrium ab insalubribus humoribus repurgationes absolvuntur, indeque Cordis, & Arteriarum motus, ac totius Animalis Vita persistit. Hunc ergò partium omnium mutuò cohærentium, atquè in unum consentientium complexum, & structuram, meditatus aliquandò idem Hippocrates, dixit, esse in homine, ejusq; partibus consensum unum, conspirationem unam, per quam sibi vicissim auxiliantur, diversis fermentorum proprietatibus, atquè excedentium humorum propensityibus, viscerum secerniculis, mutuisque succorum actionibus, ac fermentationibus, ut exindè huc, aut illuc ferantur subiecta, inversa, & mutata quæcumquè morbosam fortasse Corporis constitutionem reddiderant, pro varia

tia partium affectarum habitudine, & vitiosorū succorum inclinatione; Undē observamus tenues, acres, sulphureos, sēu biliosos appellatos humores, sponte sua Stomachum, & partes supernas petere; crassos verò, sēu phlegmaticos, potius alvum, & intestina, ex 4. *Aph.* 4., & 6.; quamobrē eodem 4. *Aph.* 2. utile dicitur talia in medicationibus ē corpore educere, qualia spontē prodeunt, putā humores vitiōsi, cūm ultrō per Corporis emissaria defluunt. Hinc non semel etiā expertum in Cadaveribus, humores sponte sua per os, nares, vel per alvum prodiisse, nulla intereā vi illos intrinsecus adi- gente.

Cūm aliquandō Sudores, Vomitus, & Dejectio-nes, aliæque evacuationes unā simūl promoteantur, illa potissimū ex ipsis adjuvanda, quæ convenien-tior, facilior, & securior visa fuerit. Si verò loca, per quæ humorum expulsiones inchoantur, idonea non sint; præsertim si gravia symptomata socien-tur, ut cūm per vomitum vitiōsi humores educun-tur, qui Cardialgiam, Singultum, aut Lipothymiam afferunt; vel cūm à Cerebro deponuntur in aures, cum periculo surditatis; vel cūm per vias urinæ, dolorem, ardorem, ulcerationemve inducunt, eas sagax Medicus avertere, atquè in alias ductus deducere poterit, præcavendo intereā mala subindē im-minētia. Sic sudores diaphoreticos dictos, & frigidos, passim comprimere conamur, & sistere hæmorrhagias narium, ac hæmorrhoidum, si modum illæ nō servent. Cūm igitur Natura per poros cutis morbi causā expellere nititur, apparentq; signa sudoris im-minentis, omni conatu stubebit Medicus illum promovere; si verò alterius evacuationis signa præ-luceant, in illam, prout occasio feret, specialius in-

R

cum-

cumbet, per pensis interea propriis, peculiaribusque ægrotantium Corporum constitutionibus, dispositiōnibus humorum, partium affectarum, & ductuum ea- rumdem conditionibus, aliisque, quæ sanè plurima esse possunt, cùm non omnibus æquè contingat pa- ri evacuationis genere ab iisdem ægritudinibus vin- dicari. Hinc perperam agunt, qui morbos omnes, omnemque noxium humorē, per alvum dumtaxat conantur educere, putantes se hac sola ratio- ne omnem medelam cunctis ægrotis afferre pos- se.

Loca insuper congruentia, per quæ noxii humo- res ducendi sint, recenset Galenus *in comm.*; sci- licet illa sunt Os, Nares, Aures, Ventriculus, In- testina, Uterus, Vesica, & Cutis universa, undè fit perspiratio, & sudor; itemque meatus omnes corporis insensibiles, quos idem Galenus *comm. 54.* *7. lib. aphor.* Naturā, ad depellendos vitiosos humo- res, sibi parare, & invenire dixit. Excipiuntur au- tēm loca affecta, seu partes lœsæ Corporis, per quas nullo modo educere convenit, nè humores ad illas magis confluant, ex Galeno *f. 2. in 6. epidem. 29.* Hinc in Dysenteria per alvum evaca- re, & per vias urinæ in Nephritide, & Diabe- te, nulla ratione expedit.

Ut autēm convenientia illa existimetur, sex- videntur exigere conditiones. Primò, ut sint illæsa, ex *13. meth. cap. 11.*, ubi inflammatis Intestinis, vel aliter affectis, Galenus præcipit per alvum non esse evacuandum, sed per ductus urinæ; & lœsis Renibus, non per urinam, sed per alvum purgan- dum esse: quod pariter confirmat *2. epidem. comm. 7.*, & antè ipsum edocuit Hippocrates *6. epidem. 2. 29.*, inquiens: *Revellere oportet, si non quæ oportet,*

re-

repunt; si verò quā oportet, his oscula aperire oportet, qualiter singula repunt. Secundò, ut nullum incommodum, ex evacuatione promovenda, loca ipsa patiātur, quemadmodū rectè monet in comm. bujus aphor. Galenus. Advertit tamè idem Auctor i. ad Glauc. c. de Quartana., cùm per vomitum omnino ducendus humor est, nè ab illius acritudine, ac pravitate Stomachus offendatur, cibum, vel juscum pingue, aut aliud quid, quod retundere queat mordentis humoris acritatem, præsumere oportere. Quamobrèm in urinæ vitiis exhibere solennas diuretica, illius acritudinem unà simùl temperantia. Tertiò, ut nedum damna partium affectarum, sed etiā coherentium, & consentientium evitentur, nè scilicet à promota per has egestione illæ quodammodo coafficiantur, & doleant. Hinc Vomitus prohibetur in affectibus Oculorum, & Cerebri, quiā hæ partes plurimū compatiuntur à vomitu. Sic pariter affecto Utero, alvus proritanda non est, nè ab intestinorum irritatione ille concutiat, & furat. Quartò, loca, per quæ ducere expedit, proxima sint Visceribus, undè humores sunt deducendi: hac enim ratione citò, tutò, & jucundè assumpta medicamenta conferent, quod summum est in Medicina facienda, documento Asclepiadi summoperè à Galeno hac de re commēdati; undè idem Galenus 7. meth. cap. ult. affecta parte cava Hepatis, educit per alvum; laborante verò gibba, per Renes. Hippocrates etiā 2. epidem. f. 2. 27. urinæ profluvio Lienis tumorem in Bione curatum refert, proptèr consensum Renum cum Liene per arterias splenicas, & emulgentes dictas. Quintò, ut tramite, quo fieri potest, comprehendiosiori, humoris egerantur: nimirūm, citius

*vomitum, quām dejectione Vētriculus inanit, & Pe-*  
*Ex Gal. 13. me-  
tb. cap. 11. tūs faciliūs per tuſſim, quām per urinam. Sexto*  
*demūm, ut loca, per quæ promovenda est evacua-*  
*tio, communicent cum partibus affectis, & consue-*  
*ta emissaria illa sint, undē aliās corpus fuerit re-*  
*purgatum. Sivè autēm ductus isti patentes sint, &*  
*Anatome cogniti, sivè prorsus ignoti, & inconsipi-*  
*cui, parūm referet, modò in similibus contulerint:*  
*dicitur enim 4. aphor. 28. Quibus biliōſa sunt deje-*  
*ctiones, b&e;, ſuperveniente ſurditate, ceſſant; & quibus*  
*Surditas adēſt, ſupervenientibus biliōſis dejectionibus,*  
*ceſſat. Et 7. aphor. 54. Quibus inter Ventriculum, &*  
*Septum transversum pituita reponita eſt, & dolorem af-*  
*fert, non habens viam ad alterutrum ventrem, iis per*  
*venas in Vesicam pituita verſa, ſolvitur morbus. Et*  
*lib. de humoribus refertur hæmorrhoidas pleuriticis*  
*prodeſſe; atquè aliis alia: cùm tamēn conſensus per*  
*vafa nullus in hiſ pateat.*

Sed & non raro conferre ſolent evacuationes  
 promotæ per ſpeciales quosdam ductus, & magis  
 uni, quām alteri, ex habitu, & peculiari Cor-  
 poris conſtitutione, itemque à varia anni tem-  
 peſtate, & humorum copia. De habitu corporis  
 ſcribit Hippocrates 4. aph. 6., & 7., Graciles per  
 vomitum facile purgari, Carnofos verò, & Pinguis  
 potiūs per alvum. Sunt insupèr, qui ex peculiari  
 habitudine respuunt cujuſvis generis cathartica, at-  
 què ab illis perquām malè ſe habent: alii ægrè  
 nimis ferunt clyſteria, ut etiām aliquandò in ani-  
 mi deliquia incident: Nonnulli certa quædam re-  
 mediorum genera, quibus humores in particulares  
 meatus feruntur, abhorrent; aliis verò ſuaviūs dele-  
 ſtantur. Quare in hiſ oportebit ea dumtaxat pre-  
 ſcribere medicamenta, quæ experimentis confeſſa-  
 tiora

tiora probata sunt; quin immò per eas solùm vias præstabit evacuare, undè nullum incommodum sit probabilius consequeturum, perquisita prius propriā cuiusvis patientis constitutione, cui magis ferendo sit, & per quos ductus. Quòd ad anni tempora, inquit idem Hippocrates 4. aph. 4., Aestate per superiora, Hyeme verò per inferiora potius esse evacuandum. In humorum denique copia, & multitudine, potius dejectoria, quam vomitoria commendantur, & hæc magis, quam diuretica, vel sudorifica.

Quoniàm verò anteà dictum est, oportere aliquādò Medicum aliò commotos humores divertere, monendi propterea illi sunt, qui indiscriminatim in Morbis, Naturæ motum prosequi adnituntur: nimirum quia aberrat non raro illa, & vergit, quod ducere salutare non est. Oportet itaque, ex Galeno, Medicum Natura motum animadvertere, & si quidem idoneus fuerit, ei convenit adminiculari, & cooperari, si verò contrarius, & noxius, bunc prohibere, transferre, atquè divertere oportet. Atqui idoneus, & utilis tūm maximè existimabitur, cūm citrā virium dispendium, & viscerum incommodum evenit, ac morbum vel tollit, vel magna ex parte diminuit.



APHO-



## APHORISMUS XXII.

*Concocta medicari, atque movere, non cruda, nequè  
in principiis, modò non turgeant: plurimum  
verò non turgent.*

**Q**UAMVIS in quibusdam exemplaribus Aphorismus hic scriptus non sit, ut notat *in commentario Galenus*, ipso tamèn auctore, negari non potest, quòd Hippocratis non sit, quippè qui passim notatus inveniatur *in libro de humoribus*. Et lib. 4. de san. quend. cap. 5. nedum Hippocratis esse, idem subdit, verùm etiàm totius Medicinæ Oraculum: id quod speciatim præmohendum duxi ad redarguendos eos, qui vim istius præcepti effugere tentarunt.

Proponitur autèm in illo opportuna occasio purgandi, & tempus aptum egestioni viciorum humorum, ut tuta, & cōveniens morbificæ Causæ propulsio succedat, absq; ulla innoxii humoris evacuatione: equidèm non sempèr humores nocui evacuante medicamento utilitèr educuntur, cùm primùm concoqui, deinde secerni, ac postremò debeant evacuari. At verò de purgatione ope medica promovēda hic agitur; etenim cùm anteà sermo fuerit institutus de evacuatione sponte Naturæ inducta, sed imperfectè, quæque à Medico foret adjuvanda per loca contentia, quòd scilicet humores ipsi vergerent, propter è hoc Aphorismo ea solùm objicitur examinanda, quæ omnino Medici ministerio peragitur. Nè autèm quis putaret quocumquè morbi tempore licere Medico Morbos purgante medicamento aggredi, præcipit

cipit Hippocrates, nonnisi concocta convenire medicari, non autem cruda, nec in principiis, modo non turgent. Quare generalem regulam purgare dumtaxat medicamento utendi, cum concoctio humorum praecesserit, excipit solum in crudis turgentibus, quos tamen & raro turgere dicit.

Arabes, aliique Barbari, coctionem, in hominibus potissimum, contemplantur duplarem, pro duplici eorumdem statu. Primam fieri ajunt, mutatione alimenti in alibiles humores, atque in Corporis nutricatum, ut cum ex cibo chylus, & ex chylo sanguis conficitur, ut is in aliti substantiam transeat. Alteram, mutatione noxiorum humorum, non tamen ut nutrit, sed ut subacti, ac dominati, immo etiam a salubribus secreti, facilius possint per consueta emissaria expurgari: quod spectat effatum illud Medicorum ex Galeno ante memoratum: oportere primum preire coctionem, subsequi vetusto discretionem, & postea evacuationem. Et sane haec, quae in nocentibus, & inutilibus humoribus saepissime observatur, haudquam a Calore, qui universalis opifex Coctionum statuitur, perfici potest, quippe qui in statu Corporis morbo evadit excedens, vel deficiens, adeoque ineptus coctioni noxiorum humorum peragendae, quae tamen patentior plerumque est potissimum in febribus, in quibus non raro sponte sua morbos humores concoquuntur, atque ab utilibus secreti per convenientia emissaria sensim repurgantur. Subolevit fortasse hoc Vallesio, qui propterea super quartum Meteor. Aristotelis arbitratus est, coctiones perfici potius intrinseco calore, ac vi propria mistorum, vel succorum, quam alieno, nempè Ventriculi, aut alterius Visceris: quod pariter existimarunt Horatius Augenius 2. epistol. lib.

10. cap. 1., & Argenterius 3. *Artis Med. comm.* 38., eo præsertim argumento ducti, quod fructus ex arboreis decerpti, sponte sua concoquantur, ac maturantur, itemque interna vi Mustum in perfectum, generosumque Vinum commutetur. Atquè hinc iure optimo melioris notæ Philosophi, quam coctionem Veteres appellarunt, maluerunt Dissolutionem ex Fermentatione nuncupare, voce planè congruentiori; quin & Galenus ipse coctionem cum secretione sèpè confundere non est veritus, & alteram finè altera inveniri minimè posse testatus est 3. de *naturalibus facult.*, & alibi.

Hanc ergò coctionem ad opportunam purgantis medicamenti exhibitionem exquirit in hoc Aphorismo Hippocrates, ut exindè inutilium, & noxiorum dumtaxat humorum sequatur evacuatio, quiue utiles sunt, & salutares Corpori, in suis vasis cōsistant ad Vitæ sustentationem. Illi propterea promovendæ sedulò vacandum, nèc unquam aggredi licere Morbos purgantibus medicamentis, nisi prius humores evacuandi dispositi, & ad exitum parati fuerint, pluriès animadvertisit idem Auctor, sed præsertim 2. aphor. 9., inquiens: *Corpora cùm quispiā purgare voluerit, oportet fluida facere: quem textum exponens Galenus, ait: Erit autem fluidum Corpus, omnibus meatibus quidèm referatis, humoribus verò incisis, absterfis, atquè extenuatis, si quis fuerit humor in Corpore crassus, ac glutinosus.* Hinc duo videtur in universum exigere ad coctionem, promptamque humorum purgationem, viarum scilicet laxitatem, & humorum extenuationem. Idipsum etiàm edocet lib. quos, quibus, & quandò purgare oportet, inquiens: oportet autem priusquam purgans exhibeamus medicamentū, crassos humores attenuare, tenacesque difficare, & mea-

*meatus recludere.* At alii plura in humoribus considerantes, plura quoquè in præparationibus, coctionibusque desiderant, pro varia eorumdem conditio-  
ne. Et quidem humores crassos esse attenuandos, tenaces incidendos, calidos refrigerandos, frigidos calefaciendos, & pari ratione alios ad naturalem constitutionem reducendos esse affirmant. Sed tamè de tenuibus humoribus controvertunt, quo pa-  
cto præparandi, atquè ad coctionem disponendi  
sint. Et Avicenna *fen. I. 4. tract. I. cap. 7.* illos, ca-  
dem lege, vult crassiores efficiendos, documento Galeni *lib. de constit. Artis c. 19,*, qui jubet crassum,  
& lentum humorem esse attenuandum, tenuem ve-  
rò densandum. At cōtrarius est Averroës, qui acri-  
tè Avicennam reprehendit, afferentem tenuia con-  
coqui, cùm crassescunt: & ratio videtur, quoniām  
quò tenuior humor est, eò faciliùs purgante medi-  
camento educitur: quippè propria tenuitate facilè  
quosque ductus subire, & pervadere potest, undè  
suapte natura purgabitur; atquè hinc Galenus ipse  
*lib. 14. meth. cap. 17.* flavæ bilis evacuationem faci-  
lem esse scripsit, pituitæ verò, & melancholiæ dif-  
ficilem; quod pariter confirmans *lib. quos, quibus,*  
& quandò purgare conveniat, subdit: *inter initia morbi*  
*tenues, & aquosos humores evacuabis: ubi crassi,* &  
*tenaces fuerint, quales suapte natura sunt pituita,* &  
*nigra bilis, concoctionem expectabis.* Undè tenues, &  
aquosos humores ad catharsim præparatione, co-  
ctioneque non egere, manifestè videtur insinuare;  
Experimenta nihilominus contraria suadent.

Ex his itaque deducere fas est, aliam hic intel-  
ligi ab Hippocrate coctionem, quām ut vulgo so-  
lent interpretari, per mutuam qualitatum attempe-  
rationem, & quemadmodū ex Galeno *3. de natu-*  
*veriām lib. de*  
*differ. sympt.*

*Sal. facult. cap. 7.* definiendam putant: Alterationem in propriam ejus , quod nutritur , qualitatem . Ibi enim coctionem naturalem in statu salutis , per quam alimentum in nutricionem vertitur , sibi tantummodo examinandam proposuit ; non verò quæ in statu morboso in humores evacuandos peragitur: de ea equidem specialius agēs 1. *epidem. comm.* 2. t. 44. & 2. *de rat. vīct. in acut. comm.* 44., inquit , Concoctionem haberī, Naturā morbosas Causas evincente, atquè ad expulsionem disponente ; cumque id calorificis , & dissolventibus tantummodo perfici possit , *v. Gal 5.* jure optimo proinde Alexander Trallianus *lib. 1. c. de simpl.* 10. etiā biliosum humorem per mediocritē calefacientia , non verò per frigorifica concoquendum *epidem.* esse docet : quod & Galenus ipse *lib. 2. de compos. f. 2. cōf.* 3. *comm. medic. per loca cap. 11.* admonet; etenim coctio à cā 41. *Ari.* lorificis tantum , sed temperatis , non autem à frigorifice. 4. gorificis perficitur. Et licet ab his quoquè aliquādō emolumentum consequatur in affectibus biliosis dictis , ea tamē non conferunt , quod coctionem promoveant , sed quia fervorem , ac sitim sedant , symptomata planè ægris molestissima ; undē postmodum Natura melius possit morbosam Causam concoquere , & superare : quemadmodum notavit etiā Actuarius *lib. de compos. medicam.* agens *de usu syrporum infrigidantium in febribus.*

Concoctio igitur ab Hippocrate hic memorata erit solum Dissolutio , ac Secretio inutilium humorū ab utilibus , & præsertim à sanguine , eo prorsus modo , quo in Musto , cùm in Vinum perfectum prævia fermentatione transit , experimur: sepositis etenim partibus inutilibus , & fæculentis , veluti Naturæ dissentaneis , Causa Morbi evicta dicitur , & cōcotta . Jubet autem Hippocrates concocta esse medican-

dicanda; non cruda, quoniām si antē ejusmodi dissolutionem, secretionemque, purgatio institueretur, tūm boni, tūm mali humores à Cathartico indiscriminatim educerentur, vel boni solum, magisque fluētes, magna cum virium jactura; Quod idem Hippocrates 4. de rat. vīct. 44. nedūm exp̄ressè insinuat, sed etiā rationem addens, subdit: *nemp̄ s̄e ventrē moveris, urina non maturabitur, febrisque citrā tūm sudorem, tūm iudicationem in longum tempus protractabetur.* Cui Galenus inhærens in comm., in eamdem planè sententiam concedit. Ut igitūr evacuatio accidat talis, qualis exigitur, quæ nimirūm conferat, & toleretur, expectanda erit concoctio, idest dissolutio, & secretio morbosorum humorum à salutari- bus, ut his relictis, illi solummodo educantur, & æger absquè ulla virium noxa in pristinum sanitatis statum citissimè redeat.

Advertit autēm Galenus in *hoc comm.*, & *comm. 37. 2. lib. Aphor.*, non cujuscumque medicamenti assumptionē solere Hippocratem medicationem nominare, sed tali vocabulo in sola uti purgatione. Atquì ille humor à purganti pharmaco commodè potest educi, qui cōcoctus, atquè ab aliis secretus fuerit, non autēm crudus, & cum utilibus, ac salubribus commixtus, At cūr addidit, atquè movere non cruda? Satis enim esse videbatur affirmando dixisse, *concocta medicari.* Ut quid igitūr opus fuit negantem adjicere dictio- nem? Ansam proindè præbuit Expositoribus dubitandi quid per *movere*, quidque per *non cruda*, is intelligere voluerit.

Sanctorius existimat dictiones has superflias esse in Aphorismo latinè reddito; fuisse autēm opportu- nè adjectas in græco Codice ad tollendam ambi- guitatem, & æquivocationem, quæ continebatur in

verbo *natura*, quod potest significare *cotta*, & *matura*; ideoque vult ita legendum esse Aphorismum: *Matura medicari, & movere*, deleta dictione, *non cruda*, tanquam superflua: Montanus *non cruda* putat esse nomen indefinitum, comprehensendis quidquid crudum non est; undè opinatur voluisse Hippocratem movenda esse *non cruda*, idest omnia prætèr ea, quæ cruda sunt. Arbitrantur alii idem prorsùs significare, *movere non cruda*, ac *medicari concocta*: fuisse autem bis idem ab Hippocrate repetitum sub diversa phrasí, veluti eisatum, ac documentum magni in Medicina momenti. Aliis cum Zecchio sic legere placuit: *concocta medicari, atque non movere cruda expedit*: cruda autem interpretantur quæcumquæ concoctione transmutari possunt in substantiam alibilem, ut fertur esse pituita in venis contineri credita. Sed & visum est Marsilio Cagnaco universam hanc sententiam invertere, ut sensus fiat, minimè convenire *concocta medicari*, atq; *movere*, sed *cruda solum*, quia *concocta*, uti evicta à Natura, sponte sua difflantur, & egeruntur, sinè ultra Medici opera. Sunt qui verbum *movere* exponunt pro *minuere*, seù uti medicamentis blandè subducentibus, & lenientibus dictis, adeoque Aphorismum interpretantur: *medicanda*, seù *purganda* esse medicamentis eradicatis, quæ *concocta* sunt, *movenda* verò, seù *diminuenda*, quæ adhuc *cruda* persistunt: Nequè desunt, qui pro non crudis intelligunt *semicocta*, ut propterea sententiam aphoristicam explicent de purgandis perfectè *concoctis*, *movendis* verò, seù *diminuendis* crudis, seù *semicoctis*; Quin & Fuchsius de crassis, & frigidis humoribus dumtaxat interpretatur. Nonnulli apud Argenterium *non crudos intelligendos existimant humores*

mores infrà sanguinem, qui nimis per ulteriore*re* coctionem in sanguinem ipsum commutari possunt; sub verbo autem *moveare* comprehendunt quodcumque genus medicamenti motum in Corpore efficientis, etiam perfrictiones, & cucurbitulas. Denique alii *moveare* exponunt, sanguinem mittere, ut proinde sicuti concocta purgante medicamento educenda sunt, ita cruda moveri possint sanguinis detractione per venæ sectionem.

Sed tam variae, ac multæ sunt hujus Aphorismi expositiones, ut mirum sit, quam mente Hippocratis in alienos, differentesque sensus extorqueant anxii isti Commentatores; cum tamè facillimè patet, voluisse illum concocta, idest ab utilibus humoribus secreta, catharticis medicamentis licere, dumtaxat evacuari, minimè vero cruda, nondum dissoluta, nec sejuncta, sed simili cum salutaribus commista, ut propterea Aphorismus legendus sit: Concocta medicari, atque movere convenit, non autem cruda: Quæ expositio nedum genuina Hippocratis est, ut deducitur ex 4. de rat. victus 44., verum etiam expressissima Galeni 4. de sanit. tuend. cap. 5. *Quando corpora (is inquit) abundans crudis humoribus, his nec sanguis mittendus, nec alvi dejectio, aut exercitatio, aut omnino motus, aut balneum adhibendum, quippe incisa vena bonum sanguinem emittit, malum, qui in primis maximè venis circa Jecur, & quod Mesenterium vocant, colligitur, in totum attrahit corpus; dejectio vero in talibus, termina, & erosiones creat, animique deliquia, cum eo, quod nec notatu quidpiam dignum educit, quando crudi omnes succi pigri, atque ad motum inepti propter crassitudinem, frigiditatemque sunt; quo fit, ut etiam omnes angustas vias obstruant, per quas id, quod*

quod medicamentum dejicit, ferri ad alvum debeat; atque ita nec ipsi educantur, & aliis sint impedimento: id quod sane Hippocrates illo oraculo precavit; quo brevissime precipit, concocta medicamento tentanda esse, non cruda. Eadem de causa nec exercitare, nec omnino movere, sed nec lavare expedit eos, qui in primis venis crudorum copiam habent, siquidem omnes id genus motus succos illos in totum corpus agunt. Servandi igitur hi sunt in omni quiete, dandaque ipsis cibus, potio, medicamentaque sunt, singula ejus generis, quae attenuent, dissecant, & conficiant succorum crassitudinem, idque citra manifestum calorem. Et lib. quos, quibus, & quandò purgare convenit: Qui humores jam aliqua in parte corporis considerint, nequè ullo alio auxilio, nequè purganti medicamento prius movendi sunt, quam concocti fuerint; tunc enim & Naturam evacuationi adjutricem habebimus: quod etiam repetit in hujus Aphorismi commentario. Ex his itaque manifestè colligitur quid pro movere intelligendū sit: Quippè non solum voluit Hippocrates purgandum non esse cruda, sed nec aliud omnino medicamentum quomodolibet movens, aut agitans corpus, & humores, exhibendum; idcirco dixit, concoctione persistente, & medicari, idest purgare, & movere, hoc est balneis, sudorificis, exercitiis, aliisque similibus uti posse; in crudis verò humoribus nil horum movendum, aut tentandum: nāque verbum, ut acutè observat Fuchsius, generaliter omnia jam dicta auxilia excludit, quippè singula aliqua ratione corpus commovent. Atquè hinc perperam nonnulli exponunt verbum movere referendum esse ad non cruda, adeoque intelligendum de medicamento, non quidem (ut ipsi dicunt) eradicante sub verbo medicari designato, sed de minuen-

te;

se; tūm quia notaretur Hippocrates manifesta Tautologia; nām medicari concocta, & movere non cruda, in idem fermē recidunt; tūm etiām quia Gal. 2. de humor. comm. 21. verbum *movere* interpretatur evacuare per sudores, urinas, & similia, non verò per purgantia diminuere. Et comm. 29.

2. Aphor. venæ sectionem exposuit, &, nonnumquām v. Fuch.  
solūm, purgationem. Accedit, non benè intèr se annot.  
cōvenire sententias hoc, & Aphorismo 29. 2. prolatas, si in com.  
*movere* pro diminuere, sūl levitèr purgare intelliga- Gal.  
29. 2.  
lib. A-  
tur: quod enīm hic in morborum principiis peni- phor.  
tūs inhibitetur, ibi suadetur, & commendatur.

At quoniām ferè communiter in praxi existimāt, Hippocratem damnasse solūm purgantia medicamenta intèr morborum initia, quæ suo tempore vehementiora erant, ut Colocynthis, Scammonium, Helleborus, quibus reipsa uti non licet, nisi postquam concocti fuerint humores; neutiquām verò leviora, Casiam, Rosam, Manna, Rhabarbarum, si forte illa novisset: operæ pretium propterea existimavi brevitèr hīc etiām examinare, an tutò liceat crudos humores ejusmodi medicamentorum purgantium generibus aggredi, & evacuare, eosque spēciatim, qui cum sanguine committi indebitam fermentationem excitant, ac per eam coctioni, secretionique subjiciuntur, ut plerumquè in febribus evenit; quippè illos, qui alicubi restagnant, & à sanguine sunt sejuncti, nequè coctionem, secretionemque admittere possunt, ut Aqua in Hydropicis, acre Serum in Arthriticis, retentæ fæces in Colicis, procul dubio omni tempore educere expedit, & quo-cumquè medicamenti genere.

Et quidem juxta Hippocratis, & Galeni documēta non convenire dicendum. Ille enim concocta-

solum medicari, scù purgare oportere hoc loco docet, cruda verò minimè: Modò hæc purgarentur usu horū catharticorū lenientium, quæ nedum leviter solent evacuare, sed etiā non rarò hypercatharsim inducere, cùm præsertim dosi majori exhibetur; Quare si intèr initia morborum prohibentur Diuretica, Sudorifica, & alio quocumquè modo moventia medicamenta, longè magis inhibita censenda erunt minuentia ista cathartica. Præterea 4. de rat. vīct. in acut. 43., & 44., in principiis morborum, & materiæ morbificæ cruditate, licere dumtaxat uti clystere, & non pharmaco docet; nam si ventrem moveris, urina non maturabitur, febrisque citrà tūm sudorem, tūm iudicationem in longum tempus protrahetur. Ubi Galenus subdit: non quidem pharmaco, quia impediretur concoctio; igitur de leviori cathartico id pronunciatum fateri oportet, eo quod integrè, & omnino morbosā causā nō educat: Si enī de evellēte, & penitus expurgante cathartico solummodo meminisset, concoctio haud per ipsum videretur posse impediri, cùm subinde totus humor vitiosus ejus ope expulsum iri speraretur, ut rectè etiā notat Sanctorius hoc loco.

Galenus insupèr 2. aphor. comm. 9. commendans Hippocratis documentum de præparandis corporibus ad humorum evacuationem, hæc habet: si quis extenuet, atquè incidat crassos, & tenaces humores, qui in corpore sunt, & meatus aperiat, per quos isti trāfmittuntur, atquè strabuntur ( sit venia verbo ) à medicamentis, quæ vim purgatoriam habent, tunc purgatio in omnibus rectè procedit: qui verò istud neglexerint, & vomitus, atquè alvi subductionem procuraverint, in difficiles veniunt purgationes, non sinè terminibus aliquando, & quadam vertigine, fastidio mul-

to, & malo pulsu, imbecillitate, & difficultate. Quoniam ex eodem 2. de humorib. comm. 14., quae sunt incocta, sunt stabilia, & infixa, ita ut maxima cum difficultate educi possint; quocircum ob medicamenti violentiam colliquationes exoriuntur, mali pulsus, vertigines, febres, & alia graviora symptomata. Amplius 4. aphor. comm. 22. docet: quo tempore a Causis morbum facientibus Natura gravatur, & adeat cruditas humorum, tunc aliquid utiliter evacuari est impossibile. Ubi speciatim notanda sunt verba illa, *Natura gravatur, idest a multitudine, & adeat cruditas humorum*, scilicet in principio, tunc aliquid evacuari, hoc est leviter, sive diminutè purgari, est impossibile. Et 4. de rat. viet. in acut. 44. Sic ut quies juvat coctionem, ita qualibet commotio coctionem impedit: pharmaca autem maximam faciunt agitationem; unde & coctionibus adversantur, & vires quammaxime atterunt. Et comm. 2. prorrh. 58. Alveus in quovis morbo profluens, sine signis coctionis, nihil juvat, & si implacidius adhuc promoteatur, praeter id, quod nihil juvat, noxam etiam affert. Si igitur non prodest, etiamsi sponte profluat, cur est, quod juverit ab agitante medicamento? Denique comm. 24. bujus libri fusa oratione prosequitur, quam cautos esse oporteat medicos in exhibendis purgatis medicamentis, ut proinde Hippocratem recte adjecisse animadvertis, multa cum cautione, & premeditatione licere iacet uti inter aegritudinum initia, & quam se circumspectum manifestet in ejusmodi purgationibus peragendis: Neque enim, ait, periculum minimum in morbo acuto est male uti purgante medicamento. Quare majorem oportet ex noxiis humorum evacuatione fieri utilitatem, quam (id quod necessario consequitur) ex purgantibus medi-

camentis detrimentum. Est autem major utilitas, si absque molestia omnis infestans, ac molestans humor sit evacuatus; ut verò hoc fiat, primò oportet considerare, nunquid ager idoneè se habeat ad bujusmodi purgationem, nam quicumque multa cruditate laborant, vel qui teraces, & crassos cibos assumpserunt, sicuti etiam quibus hypochondria dissentia, atquè inflata sunt, aut suprà modum calida, atquè ignea existunt, & hoc ipso in loco aliqua est viscerum inflammatio, omnes ii haud quaquam sunt apti ad purgationes. Hæc itaque abesse oportet, & humores, quammaxime fieri potest, esse fluvii paratus, hoc est tenues, & nullum lentorem, participantes, & aperta esse foramina, per quæ debet purgatio fieri, & nullam habere obstructionem; nam & Nos ista anteà paramus, cum quempiam sumus purgaturi. Haec tenus Galenus.

His auctoritatibus non levia accedunt argumenta. Evidèm importuna hæc, etiā blanda purgantia, in principiis morborum exhibita, tenuiores solummodo humores, eosque non vitiosos, sed utiles, & plerumque etiā alibiles educunt, corpus exigitant, coctionem interturbant, Naturam ab incoepio opere secretionis distrahunt, Vires infringunt, Stomacho refragantur, febrim, & sitim augent, obstrukções, & quandoquè etiā inflammationes pariunt, &, quod gravius, talem nota raro fermentis viscerum, & sanguini commotionem, inversionemq; afferunt, ut dissolutionem is omnino subeat, aut exsolutis tenuioribus particulis, per reliquas crassiores, concretioni subjiciatur, summo cum Vitæ periculo.

Sed & experimenta quoquè attestantur nulla esse medicamenta, quæ diminuant solum, aut quæ detergant, integreque expurgent, scilicetque peculiares

res humores; cùm omnia indifferentè unumquemque  
educere, & parciùs, & affluentius evacuare apta-  
sint, si præsertim dosi deficiant, vel excedant, &  
hoc, vel alio artificio fuerint præparata, aut corre-  
cta. Constat siquidem, quæ leviora creduntur, ut  
Rhabarbarum, Manna, Rosa, dosi adusta, non-  
nunquam hypercatharsim inducere, & cathartica  
vehementiora Scammonium, Helleborum, Colocyn-  
thidē Artis Chimiæ industria tam exactè castigata,  
levem, & blandam alvi subductionem promovere;  
Quin & idem medicamentum pro varia corporum  
constitutione modò copiosiores, modò pauciores de-  
jectiones excitat, & nunc per superiora, nunc ve-  
rò per inferiora movet; undè scitè Hippocrates lib.  
de medicamentis purgantibus admonet, Medicamentorum  
purgantium res non ita se habere, quemadmodum  
vulgò putatur: eodem enim medicamento purgantur, &  
non purgantur; quandoque vero alia purgat, quæ  
qua purgare solet; aliquando nimium purgat; aliquando  
ea, qua debet, facit; quare fieri non potest, ut quis  
medicamentis confusis ea temere exhibeat. Et lib. de  
Natura Hominis: Si eidem homini idem pharmacum  
quater in anno exhibueris; Hyeme quidem pituitosissi-  
ma, Vere autem liquidissima, Aestate biliofissima, &  
Autumno nigerrima evacuabit. Quamobrem non vi-  
deo, undè isti habeant, quædam cathartica medi-  
camenta sibi proprios, & peculiares humores edu-  
cere, alia evellere, & radicium extirpare, & non  
nulla alia mitiùs purgare, ac leviter solùm ventrē  
solvere, sive, ut ipsi dicunt, primos ductus corpo-  
ris detergere, & inanire: Porro hac ratione nun-  
quam à purgantibus fallerentur: nunquam sana cor-  
pora ab his lacerentur: nunquam hypercatharsis ac-  
cideret: & tunc illorum usu cunctos morbos expel-  
lere liceret.

Sed, qui purgandi legem statim ab initio planam, certamque sibi constituerunt per cathartica dumtaxat leviora, quod vehementiora nocua sint inter initia, cum concoctio in humoribus nulla apparet, & ex eodem Hippocrate, materia morbifica omnino cruda est, adeoque infixa, & impacta, nec dum ab utilibus humoribus secreta, non vident, si crudi succi haerentes, & infixi nequeunt medicamentis vehementioribus expurgari, qui fieri possit, ut debilitibus educantur? Certè vitiosos humores ne quidem attingent, sed alios ab his exagitabunt, & corruptent, non sine Ventriculi, & Intestinorum noxa; unde postmodum nausea, sitis, pulsus concitator, astuosior febris, cæteraque graviora mala exoriuntur. Sic pluri<sup>e</sup>s vidimus febrientes ab ejusmodi purgatiunculis, potissimum ex Manna, aut Casia, in maximum vitae discrimen deductos, cum ramen crederent nil unquam damni ex hujusmodi catharticorum generibus sibi accidere potuisse.

In summo præterea errore, atque in maxima rerum ignoratione versantur, quicumque putant, blâde subducentium medicamentorum usum Hippocratem, & Galenum latuisse. Siquidem luculentè percipiet, qui istorum Auctorum libros evolvere non gravabitur, eos habuisse in usu Betam, Fumariam, Mercurialem, Serum Lactis, Epithymum, Aloëm, idq; genus alia, quorum beneficio ventrem solvere, & molliter humores, atque excrementa dejicere consueverunt. Hac ratione Cydis Filius usu Mercurialis purgatus fertur *7. epidem.*, sicut etiam ibidem Filius Nicolai, & Andreas, atque uxor Polemarchi à Betæ succo. Et lib. de *internis affectionibus* commendetatur ad subpurationem lac Asinimum coctum, Bululum

bulum, vel Caprinum: itemque succus Betæ, & Brassicæ; necnon Serum caprinum cum melle, & sale, aut lac etiam Equinū decoctum. Plurimis etiam sparsim is memorat, & prescribit Fumariam, Aloëm, Epithymum, & gummi Ammoniacum, quæ leniter alvum solvete observantur. Non dissimiliter Galenus leviora istiusmodi purgantia recenset, atque a catharticis vehementioribus. sejungit: ut 3. meth. cap. 7., & lib. 4. cap. 5., & 6., & lib. 7. cap. 11., & lib. 11. cap. 19., & lib. 13. cap. 20., & clarius lib. 14. cap. 9.; & alibi.

Nequè verò prætereundum videtur, quod Hippocrates 4. de rat. vici. in acut. 64. vel ad deplendā humorum multitudinem, vel ad juvandum Naturæ motum vergentis in alvum, antè quintum Morbi diē purgandum suadet cathartico ex Scammonio; ut vel hinc saltē discant, qui solum Manna, Casiam, Rosam, Violas adhibendas intè ægritudinum initia contendunt, licere etiam Morbos aggredi Scammonio, Helleboro, Antimonio, Mercurio convenienter præparatis, & justa dosi exhibitis: cùm revera nihilum differant in educendis, aut seligendis humoribus; Et non rarò damnum, quod à Manna, aut Casia, quæ facile corrumpuntur, & ventrem instant, inducitur, neutiquam à Scammonio ritè, recteque correcto timere est: quinimò Chimiæ opere res in conficiendis medicamentis delata videtur, ut longè tutiora, & mitiora observentur Extracta, Resinæ, Magisteria, quam sint ista, quæ vulgo appellantur benedicta medicamenta.

Verum, ut revertamur undè digressi sumus: adiicit Hippocrates in Aphorismo: Nequè in principiis, ut nimis ostenderet, non solum purgantia medicamenta exhibenda non esse in augmendo, & sta-

tu morborū, in quibus ex eodem 2. aphor. 29. melius est quietem habere, nempè ab omni medicamento abstinere; sed nequè in principiis: principia autèm complectuntur totum tempus cruditatis ex 1. de crīsibus cap. 9., cùm scilicet nullum coctionis vestigium compareret. Et quamvis cit. 2. aphor. 29. dicatur, inchoantibus morbis si quid videtur movendum, move: de evacuationibus solum per cæteros corporis ductus intelligendum, si necessitas urgeat, minime verò de purgatione per alvum ope catharticonrum, quæ omnino coctionem, secretionemque in humoribus evacuandis exigunt, ut felicitè operentur.

At hanc generalem purgandi normam, excipit idem Hippocrates in turgentibus humoribus, quos statim à principio sìc illa prævia coctione evakuari oportere animadvertis. Quamobrèm quinam illi sint, & qua conditione prædicti, internosse necessum erit.

Galenus tūm hic, tūm comm. 10. 4. aphor., & aliibi, verbum *turgere* exponit, loco moveri, & vagari, atque esse translatum ab Animalibus turgentibus ad humores: nām sicuti illa stare loco non possunt quodammodo titillata, atquè impulsa, concitaque à passione; sic & humores plerumque in motu vehementiore, atquè transfluxu, ab una parte ad aliam in morbi principio hominem infestant, moventes, titillantes, & quiescere non permittentes; sed cùm ipsi partè moveantur, & transfluant, tanto motu de loco ad locum, ægrum molestant. Hinc subditur aphor. 4. t. 10., illicò medicari oportere, etenim tardare malum est; nè scilicet (ut commentatur ibidem Galenus) robur Corporis dissolvatur, nè febris augeatur, & nè in aliquod principale membrum decumbant ii, qui per corpus vagantur humores.

At

At quam communem, & ratam jām fecerunt Scho-læ hanc Galeni expositionem, evertere videtur de-tecta nupèr sanguinis, aliorumque humorum Circu-latio, per quam satis, superque constat, eos pe-renni motu per sua vasa circumire, cunctaque mébra Corporis pervadere. Quamobrèm turgentes hu-mores potius exponendi sunt, qui moventur qui-dèm, sed impetuosiùs, quām par est, per venas, & arterias excurrunt, atquè illas inæqualitèr agi-tant, & in tumorem attollunt, simulque multitudi-ne, & pravitate concitant, irritant, gravant visce-ra, per quæ transfeunt; undè periculum suffocatio-nis minantur, nisi citò evacuentur. Quam sanè së-tentiam clariùs videtur explicasse idem Galenus, si-vè ejus compilator Oribasius, lib. *quos*, *quibus*, & quandò purgare conveniat, dūm ait: *Concitari, & turgere humores dicuntur, cùm motu vehementi agi-tantur, ac ab uno loco ad aliud confluentes, intèr principia morbi bominem vexant, doloresque, ac ti-illationes afferendo, agrum quiescere non permittunt.* Quò sit, ut ægrotantes in turgentibus humoribus percipient dolores per viscera vagantes, cum qua-dam oppressione, & anxietudine. Evidèm Orga-simus hic provenit ab humoribus, multitudine, & pravitate molestantibus, sed magis pertinere vide-tur ad Viscera, quæ lacefita propellunt, & illos veluti infensos extrudere, atquè exterminare adni-tuntur: nisi enīm à seipfis removerent, quod affa-tim irrueret, procul dubio in tumorem elata immi-nens Vitæ periculum afferrent.

Quoniām verò ejusmodi Orgasmus, sivè impetēs, & fluctuosus humorum motus raro accidit, quia ráro sanguis cum adjunctis humoribus adeò multitu-dine turget, & gravat, ut venas, & arterias disté-dendo,

dendo, & tumefaciendo, irruat in Viscera Corporis, propterea subdit Hippocrates, plurimum vero non turgent, et si in motu perpetuo sint, ne quis inde temerè, atquè inconsideratè statim à principio sub specie turgentis humoris ad purgans pharmacum deveniat. Rarò etiā ita turgent, ut cathartico educi debeant, quippe qui non sempèr ad alvum vergunt. Quamobrèm et si humores turgerent in Critone, Herophonte, & Larissa calvo, non tamèn fuere ab Hippocrate purgante medicamento educiti; quoniā, ut colligitur ex Galeno 4. de rat. vīct. comm. 64., illi solūm dejectione purgari possunt, qui ad Mesenterium, & Intestina impetum faciunt, adeoque in alvum vergunt, ut ex coniuncto murmure conjici potest. Hinc prudentè monēt Sanctorius, non esse exhibendum medicamentum purgans in turgente materia, nisi ea inclinationem habeat ad intestina, quō scilicet ferri videatur, juxta doctrinam ab eodem Hippocrate traditam Aphorismo superiori, ubi duo præcipiuntur obser-vanda, pro recto medicamentorum usu; quorum alterum spectat ad noxii humoris inclinationem, alterum ad loca convenientia. At nostris temporibus vagantes humores illicò evacuare adnituntur, satis ad deplendam multitudinem, priusquam par-ticularia viscera impetant, & alicubi decumbant cum vitæ discrimine. Quod si fortassè vergere viserentur in vias urinæ, aut in articulis, aliisque externis partibus, cùm abscesserint, immorari, proucul dubio in alvum ducere, & aliorsum distrahere non licet.

Deniquè animadvertisendum, aliquandò ægrotan-tes summa inquietudine, & molestia affici, absque eo quod humores turgeant, & cum impetu vagen-tur:

tur; cùm nimirùm præcordia æstuant, & phlogōsi, aut̄ inflammatione corripiuntur; undē gravis anxietas, ingens sitis, ardens febris, pervigilium, & aliqua in parte dolor exoriuntur. In his planè purgans medicamentum mortiferum omnino est. Idipsū s̄p̄es̄p̄iūs hypochondriacis accidere solet, cùm in febres incidunt, quæ illis sunt præ cæteris molestissimæ.

*APHORISMUS XXIII.*

*Dejectiones non multitudine sunt estimandæ, sed si tabia dejiciantur, qualia conveniunt, & ægri facilè tolerant. Atquè ubi usquè ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare.*

**V**Idetur hic Aphorismus, quod ad primam sui partem, plurimùm convenire cum secundo, in quo dejectiones pariter commendavit Hippocrates eorum dumtaxat humorum, quos convenit evacuari, & ægri facilè ferunt. Verùm ibi de egestionibus meminit sponte Naturæ habitis; hic verò de Arte promotis: quoniām superiori Aphorismo dixerat concocta solùm esse medicanda, & quidèm ope medica, atquè medicamenti purgantis adminiculo. Quamvis autem multum ex eo humoris excernatur, non tamè sempè ejusmodi evacuatio, ut decet, erit; quandoquidè excretorum non quantitas, sed qualitas, & natura inspicienda est, si ea sit, quæ morbo respondeat, ut subindè conferre possit. Tacitè ergò reprehendit, ut observat Fuchsius, stultam Vulgi, & imperitorum Medicorum opinionem,

qui in evacuationibus copiam dumtaxat eorum, quæ excernuntur, expendunt, parum de aliis folliciti: Sunt enim quedam medicamenta, quæ & noxios, & innoxios simili humores plerumque educunt, & aliquando etiam alibilem substantiam extenuant, & carnes eliquant. Igitur irrisione digni sunt, qui magnoperè admirantur, quamobrem quis ægrotet, postquam oppidò multa dejecerit; quasi verò ita fuerit natura comparatum, ut aliud quid, nisi vitiosus humor, per cathartica educi nequeat.

Prætereundum autem non est, quod in græco Codice habetur *Tæχτέοντα*, quod non significat dejectiones, sed quamcumque evacuationem, ut præceteris advertunt Fuchsius, & Cenomanus; Unde congruentius legendum foret juxta interpretationem Jani Cornarii: *Quæ prodeunt, seu excernuntur, non multitudine affimare oportet, sed quandiu prodeant, qualia oportet, & facile æger ferat.* Quamvis specialius dejectiones, sive per alvum egestiones sub hoc nomine comprehendantur, veluti illæ, quæ frequentius eveniunt, atque vulgo plausibilius commendari solent.

Erunt igitur quæcumque evacuationes, ac cuiuslibet medicamenti ope, commendabiles, si ejusmodi sint, ut per eas peccantes humores egerantur, recuperandæ salutis ergo. Et licet in vulgata latina traductione legatur: *Si talia dejiciantur, qualia convenient, ut videantur qualitates solummodo humorum designari; nihilominus juxta ea, quæ in commentario Aphorismi secundi allata sunt, denotantur præcipue illorum species, conditio, & natura.* Quin in græco Codice scribitur *στα*, quod *convenienter* exponitur à Sanctorio, ut indè modus, locus, & tempus opportunum, cum aliis conditio-

nibus ad bonam, salutaremque evacuationem requisitatis, designentur, quemadmodum etiam adnotarunt Cardanus, & à Veiga. Hinc perinde est dicere, si talia ejiciantur, qualia convenient, ac si illi humores, qui morbum faciunt, egerantur, & insuper tempore opportuno, prævia coctione, per loca conferentia, atquè citrè ullam Symptomatum supervenientium molestiam. Ab his etenim evacuationibus præsto erit salutaris eventus, undè Morbus desinat, & consistentibus viribus æger sufferat.

Sed quamvis, cogente necessitate, ut omnino causa morbi educatur, usque ad animi defectionem evacuandum consulere videatur Hippocrates, atquè illi adhæreat Galenus; prudentius tamè utriquè adversatur Averroës 2. collect. cap: 8., atquè tribus argumentis evacuationem quamcumquè, & præsertim Sanguinis, ad lipothymiam usque, vituperat. Medicus, is inquit, Naturam rectè operantem debet imitari: at hæc rectè operans nunquam ad animi defectionem educit; quare nec Medicus eamdem tentare audebit. Medici præterea intentio in Curationibus esse solum debet, superfluum, atquè inutile evacuare: modò per evacuationem ad lipothymiam usque, nedum superfluum, & inutile, sed utile, & necessarium inanitur; undè omnino nocuacensenda est. Postremò Medicum oportet, ut nedum ægrorum saluti, verùm etiam vita tutioni prospiciat; atqui evacuatio usque ad animi defectionem non est cum vita custodia, quin potius illam in grave discrimen adducit, igitur prorsus evitanda. Hinc communiter Arabes, cum ipsorum principe Avicenna, contendunt, meliorem, tutiorremque esse parcam, sed iteratam, quam semel acutam, & immoderatam quamcumquè evacuationem.

Sunt qui pro Galeno dicant, neutiquam ab eodem commendari sanguinis detractionem ad lipothymiam usque in quacumque indiscriminatim agitudo; sed solùm in febris ardentissimis, in vehementissimis doloribus, & in maximis inflammationibus, ut ideinmet Auctor memorat in *commentario* *bujus Aphorismi*: quibus addidit Montanus febrem synochiam: quamquam hæc ad ardentes quoque referatur, 2. de differ. febr. cap. 2., & 2. de Crisib. cap. 6. At non ideo isti Averrois argumentis satisfaciunt. Cautius ergo se gerunt nostris temporibus, qui ad tantam evacuationem nunquam deveniunt, excusantque Hippocratem, quippe qui faciendam tantum dixit, si æger toleraverit; minimè verò illam vires sustinent, quæ facile concidunt, nostra præfertim ætate, proptèr Corporum, & Regionum laxitatem. Quòd si idem Hippocrates *Aphorismo secundo bujus inspicere oportere* dixit Regiones, Anni tempus, & Actates in evacuationibus, sanè & hic æquè horum, atquè status Corporum habendum esse rationem voluisse credendum, ut luculentè edocuit 4. de ratione vñct. 19.

Sed & Cardanus, nèc de evacuatione per venæ sectionem quacumque de causa præscribendam, sed per alvum solùm; nèc insupèr de vera animi defectione loquutum Hippocratem, arbitratur: Quamobrèm in his omnibus Galenum reprehendit mentem Hippocratis perperam interpretatum. Quòd non loquatur de missione Sanguinis, deducit ex priori parte Aphorismi, ubi de dejectionibus primùm age-re est aggressas: Quare rationi consentaneum videtur de illis quoque continuasse sermonem, cùm & evacuationes per alvum, imò per reliquos etiam Corporis ductus, accident non raro usque ad animi

mi defectionem; undē in Coacis prænitionibus dixerat: *liquida alvi egestio seu sensim, seu simili, si contingat, mala est: altera enim vigilias, altera exsolutionem facit.* Quod insuper nēc de syncope, aut lipothymia strictim sumpta, sed de vulgari illo animi deliquio, quod superpurgati ægri sinè magno periculo incurrere solent, intelligendus sit, colligit ex adjunctis verbis: *Si æger posse ferre: Quomodo enim (ipse subdit) si ad virium defectū æger deducatur, ferre potuisse dici debebit?* Quod denique tres casus à Galeno recēsiti de mittēdo sanguine ad lipothymiam usquæ falsi quoquè sint, probat: & primò de missione fanguinis in febribus ardentissimis, inquit: *si intelligat Galenus ardentissimam febrem, id est à flava-  
bile factam, aberrat toto, ut ajunt, cælo: hoc enim v. avic.  
effet scelerata manu hominem interficere. Sin autem cur. fa-  
de ea, quæ fit à sanguine, adhuc generale præceptum br. p. u-  
non est, vel ipso teste, q. Art. Cur., ubi de duobus cap. de  
agris narrat, quibus secta vena, ab aliis Medicis ex-phlebo-  
soluti nunquam amplius revixerunt. In secundo casu comm.  
phlegmonis, vel ipso teste, multo minus convenit se-  
tio vena, cum dicat tantum esse relinquendum san-  
guinis, & virium, ut abscessus concoqui possit. In tertio  
casu, in dolore Coli, vel Renum lapiatis, si ad ex-  
solutionem sanguinem mittat, fereturum iubeat afferri  
Medicus, & Carnifex se missum testetur. Nēc ex-  
cusant verba illa: *adhibita distinctione: Nam in do-  
lore Coli sāpē purgatio talis eadem die occidit. Sed*  
*ut ut sit, melius est, ut expositione bac Aphorismo-  
rum à Galeno facta relicta, ad illius libros de Arte  
curandi te conferas, hic enim aut toties aberrat, aut  
si nolis hoc verbum admittere, tot præbet aberrandi  
causas, ut omnino latronis sit propter paucula verba;  
seu ab illo male scripta, seu posterius temporum vitio-**

cor-

*corrupta, seu à nobis perperam intellecta, tot insontium vitam in manifestum periculum vocare. Hæc de Galeni expositione Cardanus.*

Hinc cōcludere nobis licebit, voluisse hoc Aphorismo Hippocratem in evacuationibus arte promovendis Medicos admonere, nè illas ab humorum multitudine æstiment conducibiles, sed si talia educantur, qualia pro salute ægrotantis prodire debent, facileque ab ægro feruntur; scilicet, ut qui morbus facit humor, excernatur, & vires ejusmodi evacuationem facilè tolerent. Quòd si vires tam validæ non sint, ut humores multitudine quoquè peccantes semel educendos non sufferant, potius ad illarum tolerantiam expediet sensim, & iteratò purgare, quam ad animi defectionem ægrum deducere; nisi verò usquæ ad anxietatem, labefactionem que illam, quæ post ingentes evacuationes subse-  
v. Gal.  
I. ad  
Glauc.  
14. qui solet, Hippocratem exponamus.



### APHORISMUS XXIV.

*In acutis morbis raro, & in principiis, medicinis purgantibus uti convenit, & hoc cum præditatione faciendum.*

**Q**Uandoquidem turgens humor præcedenti Aphorismo expurgari permittitur, etsi coctio nulla appareat, atquæ acutæ plerūquæ ægritudines ejusmodi molesta anxietudine stipantur; de his propterea speciatim nunc admonet Hippocrates, qua ratione, quo tempore, & quibus cum cautionibus purgantia medicamenta sint exhibenda.

De

De chronicis autem ægritudinibus non meminit, vel quia Aph. XXII. illas cōprehēsas voluit, si tortuose ab humorum multitudine, & copia sint progenitæ; vel quia sub illarum initia peccans materia nequè concocta, & secreta esse potest, nequè tam facile turgere solet; ideoque minime ad evanescationem est prompta: Unde in illis sempèr ( ut habet Galenus, ) op̄ortet expectare coctionem; In acutis autem solummodo int̄er initia convenire saepius videtur catharticum, ob majus, quod exinde imminet, vitæ periculum; proindè de his specialiis sententiam protulit, sed adeò angustis finibus coercitam, ut nonnisi raro, & maxima cum circumspetione, ac præmeditatione illud exhibendum esse decreverit. Cæterū adhuc in chronicis, si cum multitudine humorum, atquè veluti orgasmo conjungantur, ut non raro Quartanis febribus accidit, etiā sub initia illas catharticas aggredi licebit; sin minus per inferiora, per superiora saltē, prout humor facilius per unam, quam per alteram viam educi posse videbitur, juxta illius impetum, & inclinationem, aut etiā patientis promptitudinem.

Quinam autem sint morbi acuti, cunctis liquet, & alibi explicatum est. At quodnam illorum principium hic sumendum sit, quæri potest: etenim Galenus i. de Crisibus cap. 9, & i. Aphor. comm. 12., Morbi principium tripliciter sumi posse testatur, vel pro primo insultu, vel pro primis tribus diebus, vel quoquisque cruditas in humoribus perseverat, sine ullo coctionis signo. Cum autem ratio purgandi in principiis morborum, citra coctionem, desumatur ex imminenti vitæ periculo, quod ab humoribus impetentibus timetur; sane quod citius catharticum exhibebitur, eò conducibilius erit,

erit, juxta documentum ejusdem Hippocratis 4.  
*Aphor.* 10. Quare Galenus hic exponit, principium  
 sumendum pro primo die, vel non ultrà secundum,  
 nè scilicet agendi occasio, quæ in his præceps ad-  
 modum esse solet, prætermittatur.

Sed quid est, quod cum præmeditatione facien-  
 dum esse dicat? Nempè quia ex medicamentis pur-  
 gantibus plurimum Natura divexatur, distrahitur  
 que ab opere coctionis, quod summoperè necessa-  
 rium est ad expulsionem causæ morbificæ, undè  
 spes salutis affulget. Porro quæ magni momenti  
 sunt, magna quoquè circumspectione egent, & non  
 nisi maturo judicio examinanda: atqui in morbis  
Cof. ad  
Heliu.  
v. val.  
les. 5. et  
pud. 34. nihil est periculosura magis, inquit Seneca, quam  
 immatura medicina: Et antè ipsum Plato, tūm so-  
 lū permittendam censuit, cùm summa necessitas  
 urgeret; aliter autem nullo modo.

Quæ verò oporteat Medicum præmeditari, ante-  
 quām purgans medicamentum exhibeat, licet hic  
 non memorentur, colliguntur tamèn ex aliis tūm  
 Hippocratis, tūm Galeni monumentis, quæ redu-  
 cuntur ad quinque capita generaliora, spectantia  
 Aegrotum, Morbum, Medicamentum, Humorem  
 turgentem purgandum, & Vires.

Aegrotus nèc Puer, nèc Senex sit: uterquè enim  
v. 9. me.  
sh. 17.  
Apbor.  
16.  
in cōm. facile ab evacuationibus concidit: ille quidem ob-  
 rium languorem. Non sit insuper obnoxius Car-  
 dialgia, Leipothymia, cæterisque similibus affec-  
 tionibus, in quas planè ex purgante medicamen-  
 to laberetur. Excipit quoquè Galenus eos, qui  
 multa cruditate laborant; qui tenaces, ac crassos  
 cibos asumpserunt; & quibus hypochondria disten-  
 ta, atque inflata sunt, aut supra modum calida,

&amp;

& æstuosa ; & hoc ipso in loco aliqua est viscerū inflammatio : hi siquidēm haudquaque purgationes ferunt. Quod etiām confirmat 1. de humor.cōm.  
2., & 12. Alibi etiām cavet his, quibus alvus adstricta nimis est, aut Venter languet, pravnsque  
victus in usu fuit. Hūc etiām pertinent utero ge-  
rentes, stomacho imbecilles, nupér à cibo repleti,  
lubriciorem alvum, & cruda dejiciētem sortiti, atrophia  
affecti, Insueti, Rauciloqui, Lienosi, Asthmatici,  
Isterici, sicca Tusci laborantes, Stranguria vexati,  
atquè hæmorrhagiis obnoxii, aliique similes, quos  
omnino purgandos verat idem Hippocrates, ejus-  
que interpres Galenus pluribus in locis.

V.4.apb  
1.3.apb  
35. de-  
rat.vict  
in acut.  
in epif.

Morbus non sit cum inflammatione viscerum ;  
præsertim īmi Ventris ex Gal. 13. Meth.cap.11., ne-  
què cum febre copulatus, ex eodem in comm. bu-  
jus Apb.; nequè cum obstructione, aut dolore vehe-  
menti ; nec in tempore æstivo, aut nimis algido.

4.apb.5  
Libr.  
quo,  
quibus,  
G. quo.  
do.

Medicamentum Morbo, & Causæ morbificæ re-  
spondeat oportet, sitque convenienter correctum,  
& præparatum, gratum, ac jucundum tūm Stoma-  
macho, tūm Palato ; itemque experimentis com-  
probatum, atquè decenti dosi exhibitum.

Humor turgens, ut citrā molestiam educatur,  
in alvum vergat, atquè ductus expeditos inveniat.  
Si namquè humores aliorsūm inclinent, quām ad  
Intestina, pharmacum anceps erit: Undē Hippocra-  
tes 4. de rat. vict. 64. turgentes humores purgan-  
dos consulit cum ventris murmure; sin secūs, in-  
quit, impurgatos finito, ut in Pericle, Metone,  
Muliere morosa, Virgine Larissæa, aliisque, in  
quibus licet turgerent humores, quiā tamē ad al-  
vum non vergebant, medicamento purgante pro-  
trudere non est ausus: quippè Medicum oportet Na-

turæ motum consecari , & adjuvare ; minimè vero distrahere , aut impedire . Si præterea Corpus crudis , crassisque humoribus abundet , à cathartico abstinentum , ut monet hic Galenus : nam & Nos , inquit , ista anteà paramus , cùm quempiam sumus purgaturi . Et quamvis cùm turgent , non datur facultas ista præparandi ; tamèn quis fortè arripiat occasionem propinandi melicratum , in quo decoctum sit aliquid hyssopi , vel origani , vel tragorigani , vel thyimi , vel pulegii , sive quid bujusmodi , vim habens humores extenuandi .

Denique viribus debilibus , purgans medicamentum inhibetur 7. meth. cap. 4. : Sicùt pariter languente aliquo viscere , præsertim imi ventris : etenim commoti à cathartico humores in debilem illam partem potius fermentur , quàm in alvum , non sinè periculo ingentis alicujus tumoris . Hæc itaque omnia præmeditari , & circumspicere oportebit , antequàm pharmacum præscribatur . Sed & tempus quoquè opportunum , & modus , & habitudo , ac forma Medicamenti similitèr erunt consideranda , ut tutior , & jucundior , quò fieri possit , illius exhibitiio succedat .

At undè est , quòd tām accurata , & diligens inquisitio præcipiatur ab Hippocrate pro usu medicamenti purgantis , in acutis ægritudinibus sub initia , etiam si materia turgeat ? Galenus in comm. circumspectum fuisse Hippocratem ait , in ejusmodi purgationibus , quoniam non minimum imminet periculum in morbo acuto male uti purgante medicamento ; cùm omnia id generis sint potentia calida . Aliibi etiā , dubium inquit esse eventum Medicamenti purgantis : nām alii difficultè purgari solent , alii , modica potionē ebibita , copiosè evacuantur ;

undè

undè comparatur lapillo in mare projecto . Alibi L. quos,  
 etiam universum Corpus turbare , agitareque ait : quibus,  
 Et alibi naturam sapere veneni ; quippè infensum , & quāz  
 molestus inque est partibus ejusdem universis ; ete-  
 nī sanguinem attenuat , carnes eliquat , fermenta omnia depravat , Ventriculum subvertit , & nau-  
 seam movet , Intestina proritat , tormina , & ero-  
 siones creat , sitim , & æstum affert , viscera dela-  
 zat , spiritus dissipat , motum Cordis , & arteriarū  
 perturbat , & alia plurima incommoda excitat ; ut  
 propterea dixerit Celsus lib.8. cap.10. , omnem me-  
 dicinam solutivam mali succi esse , & Ventriculo ini-  
 micam ; cui assentitur Serapio , rationem addens :  
 cum enim , inquit , non aliter alvus subducatur ,  
 nisi prius ad Ventriculum , contractis humoribus , ac  
 demū expressis ; necesse est ipsum , & humorum  
 qualitate , & motuum diversitate , non parum laedi ,  
 ac etiā temperamentū solvi ; cuius etiā signa  
 sunt fastidium subsequens , antecedens plerisque  
 nausea , malus sapor in ore , quem tandem extre-  
 ma comitatur sitis . Galenus pariter , qui omnium  
 laxantium innocentissimum Serum esse dixit , mellis  
 tamē , & salis societate corrigit 5. Aph. 64. , &  
 nequè ab his , flatus , quos excitat , discutiuntur .  
 Si igitūr innocentissimum medicamentum non om-  
 nino vitio caret , quid de aliis vehementioribus di-  
 cendū erit ? Sanè concludere oportebit cum codem  
 Galeno 5. de simplic. medic. facult. , paria esse in-  
 purgantibus detrimenta adjumentis , immò aliquan-  
 dō majora , veluti ex adversis inficta . Jure opti-  
 mō ergo Hippocrates hic docet , raro medicinis v. 2. de  
 purgantibus uti oportere , & nonnisi maxima cum rat. viet  
 præmeditatione : & Galenus in commentario subdit : in acut.  
 Quare majorem oportet ex noxiorum humorum cōm. 12.  
 eva-

*cuatione fieri utilitatem, quam(id quod necessariò consequitur) ex purgantibus medicamentis detrimentum: habebitur autem major utilitas, si absque molestia omnis infestans, ac molestans humor sit evacuatus.*

Animadversione quoquè dignum videtur, quod adnotat idem Galenus lib. quos, quibus, & quandò purgare conveniat, in malum cedere purgans medicamentum, cum suum evacuandi opus ritè non exerit: & quidèm vel ob peculiarem ægri naturam, vel quià tenuc nimis, & exiguum fuit: Fæces etiàm obduratae, & in aliquo intestino detentæ, atquè exiccatæ, quæ propterea clystere priùs erant emolliendæ, ac subducendæ, evacuationem prohibent, & non raro interturbant; itemque comoti antea humores, in ductus urinarios vergentes, undè catharticum medicamentum in alvum ducere nequeat: interdùm quoquè, quod id in nutrimentum abeat, vel invertatur, atquè in alienam degeneret naturam; immò quandoquè transeat in perniciem, & commutetur in venenum.

Ob peculiarem ægrotantium constitutionem non raro accidit, ut assumpta medicamenta nihil evacuent: fortè quià succi dissolutionibus destinati diluunt, & infringunt eorum vim, atquè efficaciam; cumque medicamenta purgantia irritando plerumq; subducant, si fortassè à fermentis Ventriculi, & intestinorum redundantur, atquè extenuentur, votis non respondent. Hac ratione experimur cathartica, cæteroqui violentissima, quibusdam liquoribus chimicè præparatis immersa, vim omnem purgandi amittere. Pari modo Spiritus, & Olea, aliaque hujus generis magisteria, Arte Chimica è medicamentis solventibus elicita, movendæ alvo penitus sunt ineffacia: Constat autem assumpta quævis me-

medicamenta dissolvi quidem in Ventriculo , ibi primam actionem cum fermento ejusdem inire , unde anxietas , fitis , nausea , & quandoque etiam vomitus exoritur ; sed evacuationem potissimum humorum in intestinis gracilibus moliri , ex fermentatione habita cum succo Pancreatico , & Feli- leo , aliisque e glandulis intestinalibus extillantibus . Ejusmodi autem constitutionis plerosque novi , qui certa medicamentorum purgantium genera sic innoxie assumunt , & citra ullam ventris molestiam , aut evacuationem , ut penè dixeris illos aquam simplicem ebibisse .

Quoties assumptum Catharticum , dosi , aut vi exiguum est relate ad Corpus , & habitudinem assumentis , certè nihil , vel modice nimis operatur : quippe vincitur potius à præfatis succis Ventriculi , & Intestinalium , atque adeò præcipitatione quadam , statim ad inferiora intestina deturbatur , & cum fæcibus commiscetur , ac prorumpit in flatus , vel etiam per vias urinæ præversus abigitur .

Ab obduratis , densatisque fæcibus non raro purgantis medicamenti actio impeditur ; quinimò gravia incommoda suboriuntur , inflationis , doloris , vertiginis , & vomitus . Quamobrem recte monet Galenus , in his emolliendam anteà alvum , subducendasq; fæces esse , & postea Catharticum exhibendum . Atqui ex his nonnulli Volvulo modo corrupti periere ; alii ab inflammatione suborta , & alii à præcipiti virium casu maxima vitæ discrimina passi sunt .

Qui præterea humores in urinæ meatus sunt deducti , purgationi obice særissimè ponunt , vel quod jā excreti exuccum ferè ventrem reliquerint ; vel quod Naturam aliò intentam ostendant ; vel quod com-

commotos à medicamento humores per easdem urinæ vias conferant. Hinc solent vicissim hæ duę evacuationum species sibi mutuò refragari , & altera alteram vel removet, vel diminuit.

Sed & non rarò epotum purgans medicamentum in nutrimentum abit , si præcipuè ejus sit conditionis ; ut alimentariam participet substantiam , quemadmodùm sunt Pruna , Casia , Manna , Uvæ passæ , Tamarindi . Còpertum enim habemus , qui per æstatem Manna colligunt , principiò quidèm alvo turbari , deindè verò , atquè in posterū nullā percipere ventris commotionem , et si illius libras integras assumant . Alia verò genera Catharticorum in quibusdam saltē corporibus solent inverti , & in alienam naturam transire , ex mutua cōmiftione , actioneque , quam ineunt cum succis Intestinorum : debet enim assumptū Catharticum ejus esse virtutis , & efficaciz , ut per actionem , fermentationemque initam cum succis Ventriculi , & Intestinorum , prævalentiùs consistat , quinimodo cù in sui naturam commutatos succos felleum , & pancreaticum , acriùs , & præcellentius adoriatur , ac laceſſat partes intestinorum sensibiliores , quæ subindè irritatæ , quadam veluti corrugatione , cōtraktioneque , utrosq; protrudant , & reliquos omnes in iisdem ductibus stagnantes sínè ullo discrimine depellant . At verò si inertes succi isti sint , ut fermentationem nequeant ingentem excitare , aut contrà præpotentes admodùm vincant , præcipitent , debellent particulas Catharticorum acriores , & mobiliores insupèr retundant , aut figant , aliterve prævertant , nulla , vel levis indè purgatio suborietur . Fieri etiàm potest , ut ex vi , impetu , atquè energia tūm assumpti Cathartici , tūm dis-

fo-

solventium succorum, utriquè infracti consistant, in præcipitationem adacti, sicuti in quibusdam artifcialibus liquoribus experimur. Acidum quoquè, quod in succis prædictis sæpesæpiùs exorbitat, in causa est, ut nonnunquam solutivæ Medicinæ inefficaces evadant: ab illo enim statim demittuntur aciores, mobilioresq; partes, undè inertes, & effectæ istæ subsistunt. Qua ratione crediderim difficultè purgari, etiam à vehementissimis catharticis, Hypochondriacos, & Scorbuticos, quibus acidum, & multum, & præcellens inest, & sæpè etiam à naturali constitutione devium; ideoque sicuti innumerā illis accidunt symptomata propemodùm admiranda, ita in usu medicamentorum purgantium rara admodùm obtingunt.

Deniquè venenum aliquandò evadit, & transit in perniciem; cum nimis ex malo succorum apparatus evertitur, & corruptitur in Ventriculo, tametsi sua natura lene illud sit, & innocuum: quemadmodùm enim cibi, ex mala Corporis habitudine, quandoquè vertuntur in exitiosos humores, planè longè pejus degenerare solent cathartica in deleteriam, & mortiferam conditionem; quini immò existimavit Asclepiades, ab assumptis purgantibus medicamentis, perpetuò corrupti humores Corporis, commutarique in eos, qui sèpissimè nedùm olent excreti, sed referunt pessimam, venenatamq; naturam. Hinc autem sæpenumerò evenit evomi nupèr assumpta medicamenta, adeò immutata, & corrupta, ut præter stomachi dolorem, anxietatem, subversionem, deliquium, afferant, cum egerintur, œsophagi ardorem, faucium, & gutturis attritum, redoleantque multigenas saporum, & colorum species. Si verò deorsum deposita in tenuibus intin-

Lib. I.  
de nat.  
fac. ca.  
13.

14.

stiniis cum fermentis eorumdem malam subeant fermentationem, atquè per corruptionem degenerent in extraneam, dissimilantiamque naturam, tunc inverso rerum ordine, inficiunt necdum succos ipsos, & intestina divariant, verum etiam per partes saltē tenuiores, magisque volantes, circumgyrantem coquinant sanguinem, undē damna fermē incendabilia, veluti à venenis illata exorūtur. At qua ratione, operæ pretium erit hic etiam breviter explicare.

Varia Venenorum genera commodè ad duas classes in universum revocari possunt. Aut enim partibus solidis corporis infensa sunt, illasque vel ulcerant, vel mortificant; aut liquidis, hoc est humoribus, adversantur, & potissimum sanguini vitæ vomiti. Prioris generis multa sunt, prout diversæ sunt partes, quæ speciatim ab illis lœdi solent; & quidem in Hominibus, (cum & pleraquæ certis quibusdam solum Animalibus obesse videantur; cæteris vero vel innocua sint, vel etiam utilia: unde cicuta, quæ hominibus venenum est, cedit in alimentum Sturnis, & Asinis, sicuti Coturnicibus helleborum) stupescit Cerebrum ab opio; coarctantur Fauces, & Guttur solano; lepori marino Pulmones. Colocynthis nocua potissimum est Intestinis, & Veratrum Nervis. Cantharides sive assumptæ, sive admotæ, Vesicam speciatim cruciant, & mihi Sanguinis provocant; atquè id genus alia plurima sunt, quæ aliquibus partibus, iisque solidis potissimum adversantur. Ad hanc quoquæ classem sunt referenda Arsenicum, Sublimatum, Auripigmentum, Sandaracha, Aerugo, & Caustica quæcumquæ, quibus Fauces, & Ventriculum contingit ulcerari, ac inflammari, & quod pejus, gangrenam incur-

currere. Posterioris verò generis sunt, quæ sanguinem contagione labefactant, illumque vel dissolvunt, & in halitus extenuant, vel coagulant, & in grumos vertunt; sed utraqùè motui ineptum, & vitæ inutilem reddunt. Ejusmodi planè sunt morsus ab Animalibus venenatis inficti, Viperâ, Scorpio, Phalangio, Stellione, Cane rabido. Plerique infusi liquores per venas, aut arterias idipsum efficiunt, ut de Aqua Stygia, de Oleo Tartari, de Spiritu Vitrioli, cæterisque, periculum fecere Viri undequaque celeberrimi, atquè de Re Medica optimè meriti. Constat autem ab ejusmodi Venenis, vel inflictis, vel assumptis, infectum sanguinem, aut plus justo fluidiorem evadere, aut con crescere in grumos, adeoque extincto, vel resoluto spiritu, inhabilēm reddi motui Cordis, & Vitæ tuendæ.

Atq; hinc non omnia venena pari modo inficiunt, & enecant. Quædam enim, ut maleficam suam vim exferant, cum sanguine omnino misceri debent, & si fortassè ore sumatur, ac ventriculum petant, qualiacumquæ illa sint, nullum damnum inferunt. Hoc pacto venena viperarum, & scorpionum si bibantur, vel ingerantur, non interimunt; at verò inficta fure, & sanguini immista, statim exitiales excitant affectus. Non semel etiā animalcula venenosa forte fortunā deglutita nil mali attulerunt: de qua re multa referuntur exempla ab Auctoribus, sed præcipue ab Ephemeridu[m] Germanicarum Collectoribus.

At undè sit, ut à certis venenis, certæ solum, & peculiares partes afficiantur, reliquæ non item? ut de cantharidibus præsertim, sive exteriū admotis, sive intrinsecus assumptis, experimur, quod Vesicæ solum officiant. Sanè aliundè congruentior ratio peti non potest, quam à consentanea, & dissentanea,

actione , quam excitant cum fermentis , & poris partium , quas pervadunt . Porro Cantharides magnam ineunt fermentationem cum sero , & sale urinario , cuius causâ tantam id contrahit acritudinem , ut Vesicam nedum vellicet , & compungat , sed etiam corrodat , & mictum sanguinis inducat , qui deinde usu lactis sedatur . Ita pariter solanum suo succo adeò salivam crassam reddit , & tonsillas constipat , ac tumefacit , ut veluti strangulationem afferat , que aceto mox dissolvitur .

Non tamè hinc inficiabor , venena illa , quæ inflammationem , ulcerationemque in Ventriculo pariunt , si interiora vasa , & sanguinem pertingant , vitiare quoquè illum , & vel exsolvere , vel coagulare . Observatum quippè est in venenatis Cadaveribus ab Arsenico , & Sublimato , non semel venam Cavam ascendentem , & auriculam Cordis dexterā , cum adjunctis valvulis , erosas apparuisse , à circulante veneno , unâ cum infecto chylo , & sanguine . A Cicuta autem , Nappello , Mandragora , Hyoscyamo adeò infringuntur succi Ventriculi dissolventes , & Intestinorum , ut etiam adjacentes partes hebetent , ac mortifcent , indeque pariter præterfluentem sanguinem inficiant , & tandem congelet .

Clarè nunc ergò ex his liquere potest , cur ab aliquibus venenis febris , ardor , sitis , inquietudo ; ab aliis verò frigus , languor , sopor exoriantur , atquè etiam magis in uno , quam in alio viscere : quoniā non æquè ab illis sanguis inficitur , neq; parem fermenta Corporis depravationem , perturbationemque subeunt . Habitudo quoquè , & textura membrorum plurimùm sanè in his valere potest : Namobrem Cerebrum , suapte natura debilius , magis affici , & gravari ab Opio videmus , quo crassescens

fescens sanguis oneri partibus esse solet. Alibi autem à Nobis est ostensum, succos Ventriculi, & Intestinorum, quamplurima, vel nullatenus, vel non benè dissolvere posse, adeoque infringi, turbari, & quandoquæ etiā corrumpi.

Cum itaque cathartica medicamenta ejusmodi plerumque sint constitutionis, ut, saltē in aliquibus Corporibus, Ventriculo, & dissolventibus liquoribus obsint, ob indebitam fermentationem, commotione ingenti excitata, totius Corporis œconomiam turbant, & sanguinis motum pervertunt, unde postmodum naturam yenenorum, quibus quām proximè accedunt, induca, Vitæ exitium parant.

*APHORISMUS XXV.*

*Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facile ferunt; si contraria, difficulter.*

**M**irum quām anxiè studeant Interpretes hunc Aphorismū præcedentibus adnectere, eumq; non fuisse inutiliter repetitum; quemadmodum deduci videtur ex Galeno, qui illum existimat omnino contineri in Secundo, in quo hæc ipsa verba leguntur. At ipse crediderim, aliâ ex causâ fuisse ab Hippocrate denuò pronunciatum, quippè qui laconica dicendi methodo summè præcellens, nonnisi premente necessitate, plusquām semel idem repetere nunquam consuevit. Id hoc autem illum fecisse, sive quod ibi de sponte habitis, hic de arte promotis tantum evacuationibus; sive quod de evacuatione in communī eo loci, in hoc autem de

purgationibus ; quæ fieri solent in principiis Morborum solum turgente materia ; sive quod hoc ultimo Aphorismo generaliter comprehensas omnes simil conditiones ad bonam evacuationem per quascumque vias Artis auxilio promovendam requisitas , atque adeo epidemiologî loco hic tandem relatas voluerit , non diutius morabor , cùm non multum inter sit , longius examinare . Atq;  
 hic esto  
 finis  
 Primi Libri .



LU-



# LUCAE TOZZI

In Secundum librum Aphorismorum

## HIPPOCRATIS COMMENTARIA



### APHORISMUS I.

*In quo morbo Somnus laborem facit, mortale: Si vero juvat, non mortale.*



Unctis liquet, Somnum, seu quietem illum, qua sensus omnes ligati, & consopiti jacent, Animantibus fuisse concessam, ut membra Corporis defatigata restarentur, & vires per vigiliam, atque laborem efficiantur. Sic enim providâ Naturâ comparatum est, ut alternatim Vigilæ Somnus succedat, & quod Somno torpidum, emortuumque ferè Corpus evaserat

rat, Vigiliâ veluti revivisceret, atquè vicissim hac quodammodo extenuatum, exsolutumque, opportuno Somno reficeretur. Unde Ovidius.

*Quod caret alterna requie, durabile non est.*

Verum ubi Somnus ita se habet, ut inde Vivens magis debilitetur, atquè infirmetur, tunc lethale signum cendum est: quo enī tempore id, quod suapte Natura prodesse aptum est, officit, luditque, procūl dubio pessimi signi testimonium est, idcoque inversam naturalis œconomiae rationem, atquè insupèr vitæ dissolutionem prænunciat. Si igitur præter id, quod nihil prodest, noccat etiam somnus ægrotanti, qui omnino restauratione eget, ut morbo obsistat, morteni non sine ratione significat.

Dicitur autem Somnus in morbis laborem facere, & nocere, ex Galeno, cum febres exacerbat, difficultem anhelitum, & inflammationem affert, deliria, aut somnia perturbata inducit, dolores, inquietudines, & defluxiones suscitat, quibus ægri plurimum divexati vires amittunt. Sed & quandoquā tam gravis Somnus ægrotantes invadit, ut vix ab illo expurgescantur, quamobrem exinde eos opprimenti potius, quam levare contingit; unde merito timetur, nē ob longa quiescendi tempora fato cedant, & in interitum delabantur.

At verò si somnus, ut par est, vires instauret, febrem deprimat, moderatum, & conferentem sudorem promoveat, dolores, & deliria sedet, atquè adeò undequaquam ægrotantibus confusat, melius exinde sperandum, sed non propterea certa salutis spes expectanda: Unde Hippocrates non dixit, signum esse salutare, sed non mortale; siquidem somnus suapte natura ægritudinem lenire potest, at ve-

rò

rò delere, nequaquam. Quare nihil mali profectò portendit, si laborem in morbis non afferat, sed potius proft, verùm non idcirco salutare signum erit, cùm possit æger ex alia causa perire.

Undè autem hæc mala ægris ex Somno proveniant, inquisitione dignum videtur. Et sanè credere licet, juxta ea, quæ alibi à Nobis explicata sunt, roridam illam substantiam, qua Cerebrum in ejusmodi ægrotantibus perfunditur, suggeri à sanguine depravatam, maleque affectam, ut proindè nervorum fibræ, ubi à blanda, & consentanea suavitè irrorantur in statu naturali, ab illa gravenatur, obtundantur, vel etiàm vellicentur, & doleant in morboso: ejus enī conditionis ros ille è Cerebro in nervos defluens esse debet, ut leni quadam, aptaque irratione demulceat, & flexiles illos faciat; quamobrè cùm ab hac naturali constitutione recesserit, potius conturbat, extorquet, exasperat, adeoque animalibus operationibus obeundis ineptos eos reddit, undè postmodùm dolores, lassitudines, distillationes, aliaque graviora mala exoriuntur. Porro roridus hic humor plurimè per Vigiliam extenuatur, & dissolvitur, qui propterea ex Somno potius reficitur, quadam veluti ex Arteriis per Cerebrum trâscolatione ejus potissimum liquoris, qui in ipsis albicat, & à concoctioni chyli portione procedit, perenni planè suggestu. Quare si per id tempus nocuus omnino sufficiatur, procùl dubio Cerebro, Nervis, cunctisq; partibus infensus, molestusque accedet.

Quoniām verò non satis est laborem ex somno exitialem præfigire, nisi etiām solerti industria imminens exindè vitæ periculum, infâustumque exitū, quoad sicer poterit, prudens Medicus præcavere nitratur

tatur, operæ pretium duxi, ea hīc in medium afferre, quæ valeant ejusmodi infortunato omni occurrere, & sanguinem, liquoremque nervorum ab inquinamentis mortiferis repurgare. Et quidem quæ sudorem blandum, atquè urinam movere valent, optima sunt, uti omnia Bezoardica appellata, sulphur auratum Antimonii, Antimonium diaphoreticum, Tinctura Zuclferiana, panacea duplicata Mynsichti, Sal volatile succini, Viperarum, & Cornu Cervi, Sales volatiles plātarū ab Helmōtio memorati, atquè descripti à Vwolfango, peculiari libello *de Sale volatili plantarum*. Per vias urinæ verò speciales conferent spiritus urinæ volatilis, necnon Salis Ammoniaci falsus, ad aliquot guttas in aqua Juniperi, itemque balsamum Salis marini verum, idque genus alia, quæ sanguini, cæterisque humoribus Corporis repurgandis non semel contulisse observata sunt.



## *APHORISMUS II.*

*Ubi Somnus delirium sedat, bonum.*

**Q**uamvis Somnus in morbis prodesse solitus non mortale signum dicatur Hippocrati; attamen, si deliriū sedet, non modò mortem non indicare, sed omnino utilem esse hīc statuitur. Est autem Delirium aberratio à recta Rationis semita, ut cum ægrotantes absurdæ, & vana loquuntur, aut imaginantur: Nequæ solùm delirant, cum vigilant, sed etiā ubi somno detinentur, quo circà non immerito inquit Hippocrates:

tes: ubi Somnus delirium sedat; nām non semp̄er per Somnum delirium sedatur, imo & dormientes aliquandō obloquuntur, & delirant.

Fit autēm delirium, cūm sanguis per Arterias Carotidas in plexus Cerebri delatus, nimiaque fermentatione subactus, extillat in vaporem acrē, & exardescētem, qui deindē per Cerebri substantiam diffusus, continua, & inæquali agitatione, internam, & medullarem ipsius substantiam percellit, atquē quaquaversūm ejus poros pervadens, ad delirium, & vigiliam lacescit; quin & roridam substantiam, qua ipsum, & nervorum fibræ irrorantur, adeò exagitat, & perturbat, ut subindē omnes propemodūm operationes animales depraventur, & va-

cillent.

Colligit Cardanus ex Hippocrate septem deliramentorum genera, nimirū Phrenitidem, Insaniam, Delirium, Mentis motionem, Stuporem, Melancholiā, & Furorem. Phrenitidem vocat continentem mentis alienationem; interruptam verò delirium; & Mentis motionem, levem solūm, ac inconspicuum ejusdem perturbationem. Furorem autēm appellat, delirium cum ira, & impetu; atquē Insaniam, in cogitationibus, & apprehensionibus læsionem; at verò Melancholiā, delirium timore, & mōrōe conjunctum; Stuporem, deniquē cum oblivious. Sed & videtur insupēr idem Hippocrates duas alias Deliriorum species considerasse 6. Aphor. 53., quæ videlicet cum Risu fiunt, & quæ cum Studio, inquiens: *Desipientiae, quæ cum risu fiunt, securiores; quæ verò cum studio, pericolosiores,* eo quod illæ leviorem in sanguine mutationem, & minorem Cerebri læsionem designent; hæ verò graviore, majorēq; à statu naturali utriusq; recessu ar-

Z

At

*In lib.  
epidem.*

At ex memoratis his omnibus Deliriorum speciebus advertit Heurnius, eam solum hic ab Hippocrate Somno sedari posse intelligendam, quæ propriè Delirium dicitur, & interrupta mentis lassio est, ut præsertim evenit in vigore febrium Ardentium, à pravis halitibus, atquè exspirationibus ex Ventriculo, Mesenterio, aut præcordiis, in Cerebrum sublatis; secùs verò cùm per idiopathiam accidit, quoniām tunc Somno Delirium increbrescit magis, cùm causa in Cerebro hæret.

Verūm quamvis hæc Heurnii expositio Hippocratici menti valdè consentanea videatur, non tamèn est, cùr etiām Somnus summoperè utilis dicendus non sit in reliquis deliriorum generibus: Etenim cùm unumquodquè Delirium Pervigilio plerumquè consocietur, & vigilantibus quibuscumquè Somnus prospicit; procùl dubio & hic delirantibus conferat, modò profundus sopor, & Veternus non sit. Neq; indè timeri debet, humorem in Cerebro collectū, ac Delirii causam, magis per Somnum infigi, & adhærescere: siquidem Delirium à sanguine solito acriori excitatur, ut propterea acritudine vellicans, & extimulans, Cerebrum, ejusque fibras percellat ad depravatas functiones obcundas; Somnus autèm sit ab humida potiùs, mollique irroratione per Cerebri substantiam diffusa, quæ agitationem illam acrum particularum lenire, & compescere valet, atquè adeò si ejusmodi Somnus fiat, qualis naturā fieri consuevit, indicio est, fervidos halitus, acreque evaporationes, quæ delirandi causa fuerant, jām esse edomitas, aut etiām resolutas. Quod si ex Somno Delirium nequaquam sedetur, signum erit altiores, consistentioresque esse delirii Causas, putat mordaces humores in Cerebrum delatos, quo-  
rum

rum vim, effrenatamque potestatem Somnus demulcere nequeat. Atquè hinc putaverim differre Delirium interruptum in Paraphrenitide, à perpetuo in Phrenitide, quia vitium hoc in sanguine inductum, & Cerebro per rotidum ejus liquorem communicatum nō sempè intrarium est, & persistens, ut etiam quamdam in Cerebro veluti phlogosim pariat; sed plerūq; in febribus ab indebita, & vehemēti sanguinis fermentatione promotum, qua deindē mite-scente sedatur. Quod autem inquiunt interruptum Delirium Diaphragmatis inflammationem sequi, Rationi, & Experimento non cohæret: etenim par modo Stomachus, Pleura, Intestina, dūm inflammantur, ob nervorum communionem cum Cerebro, Delirium inferrent, atquè in Peripneumonia nulla mentis motio continget, cùm Pulmo nervis cœreat, quinimmò nihil verat, quin continens Diaphragmatis inflammatio continuum quoquè Deliriū non inducat, & omnino exitiosum, cùm inflammations illius periculofissimæ sint, atquè curatu difficillimæ. Sed & nequè experimento constat Paraphrenitide affectos fuisse unquam dolentes, ac tumidos in illius regione; nequè præterea purulentam, aut cruentam materiam excrevisse, ut Pleuriticis accidit, cùm convaluerint: Atqui compertum non semel ex adverso est, ab inflammato Septo transverso nullam mentis motionem prodiisse, cùm tamè Hepatide, & Peripneumonia laborantes deliri səpissimè observati sint.

In omni igitur Delirio Somnus ex Hippocrate prodeesse poterit, quamvis potior juvandi causa videatur in his, quæ in vigore febrium ardentium accidunt, cùm scilicet præter acres evaporations nulla phlogosis Cerebrum occupat. Sed enim plu-

rīmas sanè utilitates affert Somnus ægrotantibus quibuscumquè, sed delirantibus potissimum, quippè placida quiete, & molli irroratione acritatem sanguinis, & roridæ Cerebri substantiæ retundit, vaporesque illud, & fibras nervorū pervadentes, lenes admodum, & blandos reddit, qui proindè nequeat percellere, & extimulare; vires quoquè ex vigilia immoderata fatiscentes commodè instaurat, coctionem quamcumquè adjuvat, perspirationē adeò vitæ necessariam, & sudorem sæpè etiā promovet, ut propterea nil magis exoptandum deliris, & vigiliis ægrotis, quam blando sopore affici, quo nimurūm sensus omnes, neditūm conquiescunt, & reficiuntur, verūm etiā morbosis molestiis vacant. Jure ergò optimo Paracelsus Somnum existimavit maximum in Medicina Arcanum, quod in omnibus morbis præsentaneum sit auxilium, superans omnia Arcana gemmarum, & lapillorum pretiosorum, ut propterea non solum ubi delirium sedaverit, sed etiā si alias ægritudines cohibeat, & moderetur, bonum. Unde meritò Seneca cecinit:

*H. v.  
F. n.*

— *Tu, o Domitor,  
Somne malorum, requies animi,  
Pars humana melior vita.*

Hinc itaqùe edocemur, oportere in Deliriis, atqùe vigiliis immoderatis, Somnum conciliantibus remediis uti, cautè tamèn, & opportunè, nè scilicet pro Delirio Lethargus, & pro Vigilia Carus inducatur. Quamobrèm & Dosis, & Tempus, & Modus in Somniferis maximoperè erit attendendus.

Et quidem feligenda erunt ea ad hunc usum medicamenta, quæ sensim, & blandè tranquillam quietem inducant, neutiquam verd subitam, violentiam, & immoderatam; atqùe ex his primū Ex-

ter-

terna per balneationes , & lituras , ut præ cæteris est Epithema somniferum Penoti , cuius etiā me- minit Riverius ; mòx verò , si ista non sint satis , Interna , quæ nimis ex Opio conficiuntur , adhi- beantur . Oportet autem , illud rite , recteque esse pa- ratum ; etenim nisi fuerit à Sulphure suo narcoticō , ac stupefaciente vindicatum , non innoxie intrà Cor- pus assumetur . At verò intèr plurimas Opii præpa- rationes , compositionesque , præstare videtur illa , quam descriptit idem Paracellus in suo Anodyno specifico , lib. 7. Archidox. Quamquā & facilius cū spiritu Vini paratur , corrigiturque hac ratione . Opium purum , & pūleratum in septupla , vel o-ctupla quantitate spiritus Vini probè depurati , at- què ab omni phlegmate separati , tandiu digeratur , quoadusquè tinctura per quam bene fuerit elicita ; mòx hæc per filtrum trajecta , atquè deinde spiri- tu Vini exuta , abibit in extractum ad formam cō- sistentioris mellis , cui , si lubet , adjici poterit sub- dupla extracti Croci portio , non tam corrigendi gratiā , quam juvandi vim Opii soporiferam . Cæ- terū Margaritæ , Corallia , Hyacinthus , Bezoar , Unicornu , nihil planè conferunt . Commandant alii cum Glasero , & Hamelio præparationem , corre- ctionemque Opii per rorem mense Majo collectum , & distillatum , illamque reliquis omnibus præferūt . In Ephemeridibus quoquè Germanicis Anni 1672. alia memoratur ex Joële Langelotto per succum Cydoniorum , & salem Tartari . Sed & quæ affer- tur ab Angelo Sala optima est , & usū frequentissimo mihi probata .

Dosis Opii quamvis variet penes diversos Aucto- res , pro varia ejusdem præparatione , frequentius tamèn vix unum , aut alterum granum excedit .

Quæ


Quæ verò præscribuntur Opiata ad grana xx., & ultra, ad quam dosim visus est Avicenna, & Serapio illud commendare, Opium licet admittant, sunt tamen ex pluribus aliis medicamentorum generibus commissa, quinimodo ex his sunt, quæ minimam sanè Opii partem excipiunt, quemadmodum Theria-  
ca, Mitridatum, Philonium, Diascordium, Triphera magna, & similia. Verumtamen & in hoc pluri-  
mum valet consuetudo: nàm apùd Turcas, Persas,  
Aegyptios, etiàm ad drachmas integras sumitur, imò  
his tam familiaris est opii usus, ut eo abstinerent  
diutius nequeant, sínè evidenti vitæ discriminę, ut  
testantur Garcias ab Horto, & Prosper Alpinus.

In omnibus ferè ægritudinibus laudatum hoc me-  
dicamentum utile esse consuevit, ut propterea ad  
Catarrhos, ad Hæmorrhagias, ad Febres, initian-  
tem Pleuritidem, sanguinis sputum, Palpitationem,  
Cardialgiam, Dysenteriam, Diarrhoeam, Ileum,  
Renum dolores, Podagram, Hystericas passiones,  
affectiones Hypochondriacas, & Scorbuticas, aliasq;  
hujus generis ægritudines, ferè communiter, & cū  
utilitate, præscribatur. Meritò proindè à quibusdam  
comparatur Nepenthes Homericō, quo fertur, He-  
lenam tristes convivas reddidisse hilares, omnemq;  
luctum ex animo non semel abstulisse, sedato ni-  
mirum Cordis dolore. Nèc defunt qui de Re Me-  
dica optimè meriti Scriptores, in omni ferè Medi-  
camentorum compositione, illud admiscere non ve-  
reantur.

Ut autem omni culpa vacet, & nonnisi magno  
cum emolumento perpetuò exhibeat, Vires ægrotan-  
tis erunt primùm perpendendæ: etenim summè  
debilibus, & quibus sanguis nupèr detractus, aut  
proximè detrahendus est, exhibere nefas; sicùt &

In-

Infantibus, ac Puerulis, quique facilè in somnum prolabuntur, ex peculiari corporis constitutione. Præterea Cachecticis, Hydropicis, Empyicis, Crudis, Pituitosis, Stypticis, periculosa sunt Opio cōmista; vel quià crudos, crassosque succos magis si-stunt, effœtumque sanguinem figunt, & coagulant; vel quià excrementorum expulsionem impediunt, ac retardant. Cæterū præstabit sempèr dilutum aliquo liquore Opium exhibere, ut facilius somnum cōciliet; quippè evaporationibus potissimum, Cerebri poros opplentibus, soporem inferre videtur, veluti experimur ex Mero, spiritu Vini, Croco, aliisque plurimum effumantibus, Calce, Musto, Cerevisia, Moscho, & similibus, idipsum paritè evenire. Nequè solùm suas vires exerit Opium, cùm Stomachū subierit, verùm etiām ore detentum, aut aliquo li-quore dissolutum, & vix linguâ degustatum; quam-obrèm credere licet per istius porulos, & pàpillas facillimè Nervos, & Cerebrum tenui evaporatione pertingere, ac soporare; undè etiām compertum habémus extrinsecùs adinotum, vel manibus diu-tiùs detentum, somnum allicere consueuisse.

*APHORISMUS III.*

*Somnus, atquè Vigilia, utrumquè si modum  
excesserit, malum.*


**Q**uoniām Sanitas in Moderatione sita est, idè quæ mediocria sunt, valetudini conservan-dæ, atquè Naturæ ipsi sunt valdè consen-tanea. Hanc ergò mediocritatem in Vi-gilia


gilia quoquè , & Somno veluti necessariam tacitè hic Hippocrates videtur commendare , præsertim quia nedum ad salutem , sed etiam ad vitam , debent Somnus , atquè Vigilia sibi invicem succedere , & productam utriusque continuitatem vicissim interrumpere ; undè exuberantes somnos , diutinasq; vigilias meritò nocuas existimat ; nām profectò ubi quis vel immodicè dormiat , vel nimium plusquam oporteat , vigilet , contrà valetudinis præscripta operabitur : sicùt enim moderato somno nil utilins , quo nimium membra omnia instaurantur , & vires per motum , atquè vigiliam fatigentes , reficiuntur , ità nihil deterius eodem , cùm extrà limites mediocritatis excurrat , atquè in longius tempus , quam par sit , protrahitur ; quoniā exinde Cerebrum gravatur , torpent membra , sanguis hecscit , & Cor quodammodo in suo motu desidet . Vigilia pariter conveniens , & opportuna , sensus omnes vivificat , sanguinem floridiorem , vividioremque reddit , excrementorum secretionem , expulsionemque promovet ; diuturnior verò vires infringit , membra delaxat , & Corpus universum extenuat . Hinc jure optimo pronunciavit Hippocrates , utrumquè si modum excesserit , malum : omne enim nimium Naturæ inimicum est .

Sed quamvis in determinanda Somni , atquè Vigiliæ mensura , certam , statutamque rationem assignare difficultimum planè sit , si nihilominus ætati , cōsuetudini , propriæque Corporis , aut Regionis constitutioni prospiciatur , poterit magna ex parte de longioris , aut brevioris somni usu determinari . Pueri enim , & qui humidiorem nocti sunt temperaturam , longiori indigent somno , ut & illi , qui frigidiores plagas inhabitant , & crassioribus vescuntur ali-

alimentis. Contrà verò alii, ità naturâ sunt comparati, ut breviorem Somnū exposcant, veluti Scnes, & habitu graciliores. Sed & quidam morbi nonnisi prolixiori Somno curantur, in aliis verò quibusdam potius longior Vigilia prodest, pro humorum scilicet peccantium varia conditione. Quisquis autem omnes ejusmodi circumstantias consideraverit, poterit ex probabili conjectura decernere quantus cuiquè Somnus debeatur, ut de immoderato possit probabilitè judicare.

At verò nūm deterius sit plus æquo soporari, quam vigilare, curiosè quis exquireret. Et sanè si Experimēta, & Rationem consulamus, facilè conjiciemus longè deteriorem esse Somnum immoderatum Pervigilio; Etenim Lethargici, & Comatosi, perverusta Medicorum observatione, infrà septem dies pereunt; & Apoplectici vix quartū pertingunt, immo sæpius uno, aut altero die moriuntur: At verò Vigiles plures dies, & menses vivere visi sunt. Fernelius delirum quendam menses quatuordecim insomnes duxisse memorat: & Heurnius de Nizolio sibi relatum narrat, quod per decēnium Somno caruerit. Seneca etiā Mecœnatem refert integrō triennio exsommē permanisse, atq; vix tandem placida, lenique harmonia per Symphoniarū cantum redormiisse, quod testatur quoquè Plinius lib.7.cap.5.1. Porro Somnus Morti comparatur, Vigilia Vitæ, quippe per Somnum hebetantur Sensus, & motus Cordis, ac Sanguinis cunctatur; per Vigiliam verò illi acuuntur, hic incitatur, & viget.





## APHORISMUS IV.

*Non Satietas, non Fames, nequè aliud quidquam,  
quod modum Naturæ excescerit, bonum.*

**N**ON solùm Somnus, atquè Vigilia immoderata, sed etiàm Satietas, & Fames, aut aliud quidpiam, si Naturæ modum excescerit, nocua sunt: Näm profectò, quod ad valetudinem conservandam, vitamque prorogandam conferre videtur, id quidèm in mediocritate versatur. Quemadmodùm autèm in structura, & constitutione Corporis, omnia membra, partesque, certain exigunt mensuram, atquè extensionem, quam si excescerint, vitiosa fiunt; ità pariter quæcumquè nutricationi, atquè conservationi eorumdem usui esse possunt, certum modum, & æquabilem quañdam mensuram, quæ ipsis cōgruat, exposcunt. Et quidèm à Satietate, scù ciborū plenitudine, gravatur Vetriculus, Diaphragmatis motus impeditur, adcoque Respiratio offenditur, Viscera circumiacentia comprimuntur, & Succi dissolventes infringuntur; undè mala digestio, & cruditas exoritur, atq; subiunctè innatam propemodùm detimenta. A Fame verò, scù nimia à cibis abstinentia, prèter morbū illum, quem Bulimon Græci vocant, macies, languor, Stomachi morsus, leipothymia, & similes ægritudines proficiscuntur.

Quoniàm aurèm videtur hic Hippocrates Famem considerasse naturalem, præter rem haud erit, quo pacto illa in Animantibus excitetur, quam brevissimè

simē explicare. Creditum est Galeno, Famem oriri in orificio superiori Ventriculi à prævia suctione universalis partium corporis, traheñtiū à venis sanguinem, atquè harum à Jecore, hujus autem per venas mesaraicas ab Intestinis tenuibus, & à Vetriculo, ejusque Stomacho, qui cùm non habeat undè ulteriùs sugat, in seipso coarctatus sensum quaqua ratione molestū subeat, qui Fames dicitur.

Verūm faciliūs se expediunt, qui Famem oriri ajunt titillatione quadam inducta in tunicis Ventriculi, ea potissimum in parte, quæ nervosior est, & Stomachus appellatur, à Succis quibusdam accido-acribus illuc confluentibus, vel è Liene, ut plauuit Helmontio, & Petro Castello, vel, ut aliis visum est, ab Arteriis gastricis, & cœliacis, vel probabiliūs à glandulis in cavum, plicaturasque ejusdem Ventriculi desinentibus, ut alias quoquè meminimus. Etsi autem isti Succi in statu salutis perpetū exindè extillent pro ciborum dissolutione, si tamè contingat Ventriculū vacuum inveniri, proritatione quadam Stomachum vellicant, & ad alimenta exquirienda sollicitant; quin & non raro acritate, atquè acore plurimum excedente, nèc cibis ipsis infringuntur, sed eos veluti momento extenuant, & colliquant, ac mòx iterū, iterumque ad nova alimēta ingurgitanda laceſſunt, inexplebili ſanè appetitu, quem Caninum, aut Lupinum appellant. Quare ab hac etiām Fame, quam non improbabilitè quis dixerit Hippocratē hic commorasse, plurimum corpus affici contingit, cùm in confinia ægritudinum per ipsam tranfeatur. Hinc ſicut Horatius cecinit.

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,  
Quos ultra, citraque, nequit confondere rectum.*

A a 2

At-

Lib. I.  
Satyr.  
I.

Atquè Hippocrates quoquè in Epidemias scribit : Cibus , Motus , Somnus , Venus , omnia mediocria: quippè Sanitas ipsa in mediocritate cōsilit , à qua si fortassè recedatur , statim ægrotare cōtingit . Verumtamen minus peccare videntur illi , qui sensim inodum , mediocritatemque excedere assuescunt ; longè gravius verò qui , cùm jām diū se à repletione cibi , & potus , vel à Venere , exercitiisque , abstinuerint , aut plus justo cauti omnem Aëris inclem tam vitaverint , quandoq; tamē cibis copiosius implentur , vel nimio coitu exsolvuntur , vel laboribus relaxantur : tunc enim æquabilitas destruitur cùm ex indigētia Corporis , tūm etiā ratione consuetudinis . Sed & his non raro accidit , ut si aliquandò subdiò morentur , vel tantillūm à consueto declinent , statim in morbos incident , & miserrimam planè ducant vitam .



### APHORISMUS V.

#### *Spontanea Lassitudines Morbos pranunciant.*

**A**D prognosim pertinet hic Aphorismus , cùm per eum præfigire doceamur imminentes ex spontaneis lassitudinibus ægritudines . Sunt autem spontaneæ lassitudines , quæ citrā causam manifestam exercitii , ac laboris , eveniunt ; nam quod ex labore , motuque vehementiori , Corpus lassescere contingat , etiamsi Sanitate fruatur , res est manifesta , at verò si artus , membraq; Corporis citrā ejusmodi patentes causas lassitudinem persentiant , ac impotentia ad motum evadant , spon-

spontē lassari dicuntur, atquē itā instantem morbū præsignant: ejusmodi enim lassitudo, cùm ex causis manifestis, & naturalibus non fiat, procūl dubio ab occultis, & morbosis exoritur.

Galenus tūm in *commentario hujus Apb.*, tūm 4. de *Sanit. tuenda cap. 2.* tres enumerat Spontaneæ lassitudinis species, à triplici molestia, sensuq; Corporis desumptas. Primam Ulcerosam vocat, quæ nimis cum sensu ulceris fit; Alteram, quæ cum sensu tensionis; Tertiam cum sensu Inflammationis, cùm scilicet partes veluti inflammatae percipiuntur, & æstu quodam interiūs conflagrant. Ulcerosam à cacochymia, sive à vitiosis humoribus membracalcentibus; Secundam à plethora, seu humorum inflantium, & distendentium nimia plenitudine; Phlegmonosam denique ab utraq; Causa, superfluitate scilicet, & vitio humorū, qui repleant simūl, distendantque, & vellicent, proritentque partes, & artus Corporis, oriri ait.

Quandoquidem à Sanguine præter naturam vietato spontaneæ istæ lassitudines oriuntur, qui diversimodè affectus, diversas infert partibus molestias, proindè fit, ut ægritudines portendantur. Et quidem ab illius plenitudine Vasa Corporis tumeſſiunt, & inflantur, undē sensus ponderis, atquē ad motū ineptitudo, imminentque mala 1. *Apbor. 3.* memorata; cùm verò acritatem, falsedinem, aliamve pravam conditionem contraxerit, pruritus, febres, inflammationes, ulcera, aliasque similes ægritudines excitare potest. At verò oportet musculos potissimum, & artus, ejusmodi vitiis humorum affici, ut lassitudines habeantur, quippè per has motus speciatim offenditur, & Corpus ad se regendum, & exercendum impotens evadit.

Sed

Sed nèc à sanguine solum vitiato ; sed à lympha quoquè , & Nervorū liquore , imò à reliquis etiàm succis præter naturā affectis , possunt lassitudines oriri , quamobrèm Catarrhos , Arthritides , Hystericas affectiones , Cardialgias , Epilepsias , Apoplexias , sæpespiùs illæ præcedunt , & comitantur . Peculiaris etiàm quarumdam ægritudinum natura est , ut , antequam invadant , & sensibilitè affligant , veluti prodromos , lassitudines præmittant , quæadmodùm de Renum dolore à calculo Experiētia testatur ; ejuscemodi enī morbi genere laborantes multos antè dies accidit lassescere , quām dolore afficiantur . Quarumdam pariter Regionum incolatus idipsum præferre consuevit , ut citrà quamcumquè aliam causam , ex sola Aëris mutatio-ne , aut sub certo Ventorum afflato , lassitudines afferat : Ut sæpissimè Nos Parthenopæi , flâtibus Austris , experimur . Hinc reetè notavit Hippocrates 3. Aphor. 5. Austri auditum bebetant , caligine visum offendunt , caput gravant , fluxiones movent , tarditatem , & languorem inducunt .

Cùm igitùr à Sanguine , cæterisque humoribus , veluti à Causis internis vitiatis , lassitudines sunt , & ægritudines vel instantes ; vel etiàm præsentes denunciant , oportebit , iis edomitis , correctis , ac repurgatis , morbos ipsos adventantes avertere , & impedire , prout species lassitudinis designaverit . In primis autem perpetuò cōferent omnia alkalia tūm fixa , tūm volatilia , & quæ diaphoresim , ac diuresim promovere apta sunt ; undè Hippocrates 2. prædict̄ adnotavit , Sanguinis mihi solvi lassitudines , si præsertim absquè dolore , & febre contingat . Ita etiàm , si cacochymia vigeat , & Corpus excremētis abundet , adhuc cathartica convenientiora prodesse

se possunt; instituta interea diæta, quæ præfatis causis, & patientis constitutioni, ac ætati, melius congruere videbitur.



### *APHORISMUS VI.*

*Quicumquè dolentes aliqua parte Corporis omnino dolorem non sentiunt, iis Mens agrotat.*

**P**ugnantia, atquè omnino absurdum videtur hic loquutus Hippocrates, quippe qui dolentem asserat posse dolorem non sentire. Qui enim fieri potest, ut quis dolorem non sentiat, cum revera doleat? Quamobrem Celsus, & Galenus de causa doloris potius, quam de dolore ipso sententiam hanc interpretatur. Sed profectò sic exponendus erat Aphorismus: *Quicumquè in aliqua Corporis parte doloris causam habentes, omnino dolorem non sentiunt, iis Mens agrotat.* Fortasse Heurnius id ipsum meditatus, præ reliquis Interpretibus, è græco Codice vertit: *Quicumquè ex parte aliqua Corporis laborant, & nullo modo eam lesionem percipiunt, iis Mens laborat.*

Nequè verò pro dolore quamcumquè morbosam affectionem quis hic intelligat, ut malè plerique arbitrantur; sed eam solum læsionem, quæ cum molesto sensu affectæ partis à re vehementer tactu percellente, ac divexeante fit, ut clare deducitur ex contextu ejusdem Aphorismi; itaùt sensus fit, eos, qui à re dolorem, sive molestam sensionem in tactu inferre valente, afficiuntur, si fortasse dolorem illum non percipient, mente laborare. At verò si

de

de quacumquè læsione sermonem hunc protulisset Hippocrates , procùl dubio maligna febre affecti , Hectici , & Tabidi , qui se febrire non sentiunt , mente quoquè laborarent . Itaque de dolore propriè sumpto exponendus ipse est , putà cù quis inflammationē , vulnus , ulcus , vel quid simile , quod dolorem inferre aptum est , reipsa non persentit , is planè mente læsus est .

Mirari autèm subit , quām sicco transeant pede Interpretes causam ejuscemodi læsionis in mente à partis laborantis indolentia , cùm hæc non sempè illam ægrotantem arguat , ut in gangrænis . Verum qui noverit sensiones omnes in Cerebro fieri , ut aliàs à Nobis est ostensum , facile difficultatem diluet : quippè sensiones omnes excitantur quidèm in membris Corporis , sed percipiuntur à Mente in Cerebro : hac autèm distracta , ecstasi abducta , minimeq; advertente , licet partes reliquæ acriter affiantur , sensio nihilominus nulla sit : qua ratione Lethargici , Apoplectici , Phrenetici , Cataleptici , ligaturas , ustiones , aliaque id genus tormenta , si adhibeantur , minimè persentiunt . Sæpè etiàm evenit , ut sani licet homines aliò intenti , & cogitabundi , adstantes nèc videant , nèc audiant , licet in oculos , & aures , color , & sonus appulerit . Mēs igitùr advertere debet in ea , quæ est perceptura ; quippè , ut Epicharmus ajebat : Sola Mens audit , & videt , reliqua surda , & cæca . Quamobrèm Cerebrū , illius sedes , benè se oportet habere , ut sensiones istæ fiant , quæ tametsi , per propria organa ab externis objectis promoteantur , reverà tamèn in Cerebro perficiuntur . Hinc autèm sagax Natura nervos omnes , quibus sensiones peraguntur , in Cerebri meditullio colligavit , ut in ipsum , quæ ex orga-

organis excipiuntur , rectâ pertingant ; atquè in commune sensorium devolvantur, quod de illis judicium ferat. Hoc autem si fortassis consopiri , alterius ergotare contingat, motiones , percussionsesque et si vehementes , & dolorificæ , minimè percipiuntur , ut proinde rectè dictum sit ab Hippocrate, Cerebri , & Mentis læsionem iudicari designari .



## APHORISMUS VII.

*Quæ longo tempore extenuata sunt Corpora , lentè reficere oportet : quæ verò brevi , breviter .*

**N**on de ea agit hic Hippocrates extenuatione , quæ Viventibus , etiam sanis , ad extremum senium , atquè ad interitum usque perenniter accidit , cum ex alibi dictis Animalium Corpora , donèc vivunt , continuò absumentur , ac proprieà perenni indigeant per cibos restauratione , nè omnino contabescant , & citius quam deceat , extenuata emoriantur ; Sed solum , quæ à Morbis inducta est , ex quibus quandoquæ tanta fit brevi tempore Corporis consumptio , ut indicio sit ipsam Carnium substantiam colliquari , & absumi . Hæc autem Corpora , inquit , si diurna ægritudine sint extenuata , non esse illicet , & violenter , sed lentè , ac pedetentim reficienda ; si verò brevi , breviter . Hinc ad eam Medicinæ partem videtur hic Aphorismus pertinere , quæ Analeptice appellatur ; siquidem ipso docemur , quo pacto nos gerere oporteat in reficiendis iis , qui nuper à Morbo convalescere .

B b

Et


Et quidem ejusmodi Corporum ex Morbis extenuatio non uniusmodi est, aut æquabilitè omnibus contingit: molliora enim Puerorum Corpora faciliter ex inedia, vel levi etiam ægritudine, extenuantur; difficilius vero Senum, aliorumque. In Gracilibus etiam, atque ex morbis urentioribus, major planè sit carnium consumptio; at vero longè minor in Obesis, & succiplenis, atque ubi morbi accidunt ex crassiori humore progeniti. Quæ obrèm non immerito tradit in hoc Aphorismo Hippocrates generalem quandam Canonem reficiendi eos, qui à Morbis jam contabuere, atque sensim, ac lente reficienda esse, quotiescumque sensim, longoque temporis spatio, corpora ægrotantium consumpta sunt; assatim vero, atque brevi tempore restauranda, si illa brevi fuerint extenuata. Et sanè Corpora diuturno tempore consumpta languidiora cæteris evadunt, atque fermentis viscerum exsolitus, nequeunt tamen bene ingestum uberioris alimentū conficere, & in nutricatum commutare; quamobrem multo cibo gravantur potius, quam resificantur, idcoque in cruditates labuntur, & non raro etiam in obstructiones, cachexias, tumores. Oportet itaque sensim illa nutritre, & parum, ac sèpè potius alere, quam plurimo cibo statim gravare: hac enim ratione Ventriculus melius conficit, & reliqua viscera conferentiùs admittunt, repurgantque confecta alimenta, sine molestia, aut periculosa partium inutilium retentione. Sed & solidæ partes, ac membra Corporis jam diu à morbo conflictata veluti exaruerunt, alvisque præ morbi diutinitate redditur ignava, & negligentius in ea, quæ nutrificationi inserviunt, incumbit, conniventque valvulae, ac ostiola meatuum corporis, atque extabefactæ glandes.

glandulæ suo quoquè desunt officio : undè expedit illa sensim in consueta munera revocare , per lentam , productamque refectionem . At verò in his , in quibus celrior facta est extenuatio , quoniam robur Viscerum non tam graviter labefactatum est , uberior reficere licebit statim à principio , postquam convaluerint . Atqui semper facilius erit absumptos humores , & sanguinem ipsum restaurare , quam membra , & solidas Corporis partes , quæ ex diuturniori morbo omnino exarefacta , longè difficilius reficiuntur , segnisque consumptam substantiam recuperant .

Nequè solùm ex longa ægritudine tabefacta Corpora sensim , lenteque reficienda sunt , sed iis præfertim alimentorum generibus , quæ alendo humefaciant , & exsuccas partes irrorent , illarumque poros promptius subeant , & replcant . Idcirco inductus est usus jurium , præfertim ex Viperarum carnibus , quam maximè utilis ad reficienda convalescentium , & tabidorum Corpora .

Hinc patet , quam malè pleriq; Medicorū agunt , qui , famem ut expleant convalescentium , illos permittunt multo cibo gravari , putantes , oportere plurimum eos ali , ut vires amissas , & carnes absuntas resumant ; cum tamen eo hebetentur magis , atq; in ægritudines recidant ; etenim propterea quod languent , moderato cibo , atquè paulatim nutriendi sunt .





## APHORISMUS VIII.

*Si à morbo cibum assumens quis non corroboratur,  
pluri alimento corpus uti significatur : quod si  
non assumenti cibum hoc accidat, scire  
oportet, quod indiget eva-  
cuatione.*

**D**E Convalescentibus quoquè verba hìc facit Hippocrates, illosque considerat, nùm ab assumptionis alimentis reficiantur, atquè inquit, cibos appetentes simùl, & esitantes, postquam morbo evaserint, nisi pari ratione restaurentur, & robur resumant, plurimo sanè cibo, quem confidere nequeunt, repleri, adeoque opprimi potius, quam nutriti. Siquidèm assumptum alimentū minimè in succum alibilem commutatur, sed majori ex parte degenerat in excrementum, vcluti nō rectè à concoquente vi, ex præcedenti morbo, labefactata, confectum, & elaboratum. Quamobrèm oportebit parciorem cibum assumere, quantum sci-licet vis concoctrix viscerum confidere, & congruētè transmutare queat.

At verò si à morbo quis convalescere videatur, nèc tamèn largiori cibo indulgeat, quo fortasse gravatus, minimè nutriatur, & confirmetur; signū erit malis humoribus, atquè excrementis esse refertū, undè partes congruo alimento refici nequeāt, proindeque repurgatione, & illorum evacuatione indigere, ut deinceps melius possit Ventriculus appetere, & ingestos cibos exactius confidere: quippe in Corporibus imputris assumptum alimentum in suc-

succum inutilem solet degenerare.

An autem ejusmodi malorum succorum evacuatio per vomitum potius, an per dejectionem, facienda sit, internoscere oportebit ab eorumdem humorum inclinatione, & loco, constitutione, & consuetudine ægrotantis; itemque anni tempore, aliisque ab codem Hippocrate notatis lib. 4. præsertim Aphorismorum 4., 6., 7., 8., & 9.: etenim Graciles, & facile vomentes, æstate, per superiora; hyeme vero, & vomentes difficulter, ac Carnosi, per inferiora opportunius purgatur. Sic pariter eò ducere conveniet, quò maximè Natura vergit, & per loca conseruentia, ut dicitur i. aphorism. 21. Quæ sanè in convalescentibus potissimum, præcedenti morbo non leviter conflictatis, observanda sunt.



### *APHORISMUS IX.*

*Corpora cum quispiam purgare voluerit, operet fluida facere.*

**P**Rævertunt hic Nonnulli consuetum Aphorismorum ordinem, atquè huic sequentem decimum præponunt, quem veluti rationem præ-narrati octavi faciunt, ut propterea adjiciendum dicant, hac de causa convalescentes nihilum à cibo proficientes purgandos voluisse Hippocratem, et si viribus deficere videantur, quia nimis impura Corpora quo magis nutries, ed magis lades. In quam sententiam videtur etiam Galenus inclinare in comm. Aphorismi octavi. Utut autem se habeat illorum connexio, quam tam anxiè non est, ut per-

*V. Fu-  
ch. &  
Horn.*

qui-

quiramus, illud certum videri solum debet, notari in hoc Aphorismo ab Hippocrate purgandorum Corporum dispositionem, ut prospera subinde succedat evacuatio adhuc etiam in convalescentibus, si fortasse contingat illos purgari oportere, cum ab alimentis, licet moderatis, non reficiuntur.

Videtur autem generaliter pronunciatum, corpora esse preparanda, priusquam pharmacum assumati; & quidem sive illa nuper a morbis convaluerint, sive etiam re ipsa agrotent, modo cacochyma sint. Sed tamen quomodo disponi debeant, non est expressum. Verum crediderim, & vias, per quas evacuatio promovenda est, debitissimumque remediis esse referandas, ac leniendas; & vitiosos humores reddendos esse ad exitum paratos, ut facilior, promptior, & tolerabilius contingat evacuatio. Hinc Hippocrates 4. Aphor. 13. prae humentanda esse Corpora eorum consulit, qui helleborum sunt assumptui, ne pharmacum magna vi, atque inani conatu, parum, aut nihil educat: Quem commendabilem planè morem plerique sequuti, antequam dejectorum medicamentum exhibeant, alvum solent injectis clysteribus iterato lenire, ut nimirum pateant ductus ad humorū illuviem expurgandam: in Vomitoriis autem, Ventriculum curant jusculis madefacere, atque in nauseam deducere, ne humoribus vacuus inutiliter concitetur, vel, iisdem tenaciter haerentibus, plus aequo ad evacuationem, non sine gravi noxa, exagitetur: quapropter illum, & finitimas partes, praestat humoribus scatere, ut facilior, & felicior vomitio subsequatur. Succi quoque, & humores ipsi evacuandi faciles, & parati ad exitum esse debent; quamobrem crassos, tenacesque attenuare, & incidere, itemque inutiles ab utilibus

libus separare, atquè in propria emissaria deducere expediet, ut alias cum Galeno hoc ex loco meminimus: hac enim ratione fluere ii facilè poterunt, atquè adeò, vi purgantis medicamenti, nullo penè negotio educi. Id autem præstare, quæ vulgo exhiberi solent, ex melle, & saccharo parata medicamenta, julapia, syrups, potionisque conditas, credat, qui velit. Mihi verò persuadeo opportunā potiùs, convenientique diætā posse idipsum efficaciūs haberī; quippè competum est, eā solā digeri, attenuari, & absumi quascumquè Corporis impuritates; quamquam non omnibus indiscriminatim pari modo præscribenda, sed pro varictate Corporum, Aetatum, Regionum, aliarumque circumstantiarum varianda sit. Verum tamē si unquam medicamentis præparantibus utendum, satis erit adhibere Tartarum Vitriolatum, Cremorem ejusdem descriptione Quercetani, Electarium ex Absynthio, Mentha, vel baccis Juniperi, in humoribus crassioribus; in tenuioribus verò pulverem oculorum, Cancrorum, Sal Cardui benedicti, vel Centaurii minoris, Nitrum fixum, Salem prunellæ, idque genus alia, soluta in aliquo liquore, ut melius vitiōsos humores diluant, & citius ductus Corporis pervadant.

Nequè verò omnes quoscumquè educendos humores regula hic ab Hippocrate tradita excipit, sed eos duintaxat, qui præter naturam cum sanguine sunt committi, atquè inducias præbent, ut prævia costione, secretionequē tutius repurgentur, atquè educantur, ut potissimum in febribus accedit. Qui enim turgent, aut alicubi hærentes urgēt, nèc moram patiuntur, quo citius fieri potest, antequam majora damna, & lethum afferant, exturban-

bandi, & educendi; quemadmodum in Apoplexia, Hydrôpe, doloribus Articulorum, affectione Colica, aliisque, communis praxis observat.



### APHORISMUS X.

*Non pura Corpora quanto plus nutries, tanto magis laedes.*

**S**Ivè Aphorismus hic referatur ad præcedentem, sive ad superiorem octavum, non est, ut tam solliciti simus examinare, quemadmodum anxiè admodum Nonnulli allaborant, ordinem in hisce sentiis perquirentes, cum unicuique perspectum esse putemus, doctrinam hic ab Hippocrate traditam, semper, & ubique consideratam, veram esse. Corpora equidem non pura pravis omnino scatent humoribus, quibus cum sanguis, tum fermenta Viscerum perpetùm inquinantur, eaque præsertim, quæ coctionibus, secretionibusque sunt dicata: Quamobrè alimentum, quod primò incipit in Ventriculi digestione à naturali conditione desciscere, nonctiam in reliquis visceribus magis, magisque depravatur, ac deinde Arterias, Venasque ingressus, nec nutritre, nec Vitam sustinere valet; unde Cachexia, Marcores, Febresque mali moris exoriuntur. Impura ergo Corpora quo plus cibis implentur, eo copiosioribus succis inutilibus infaciuntur, ut proinde iisdem gravata laedantur potius, quam nutritantur. Quare præstabit ab inquinamentis priuèm ejuscemodi Corpora repurgare, deinde alege.

Hinc

Hinc autem manifeste colligitur, non solum Corpora convalescentia, & impura, paulatim, esse reficienda, sed etiam iis ciborum generibus nutrienda, quae succorum in stomacho, aliisque visceribus redundantium pravitatem valeant emendare. Et quamvis Hippocrates referat primo epidem., eos solum ex pestilenti quadam constitutione servatos, qui se liberaliter invitarent, ut propterea aliquando saltum conferre videatur impura licet corpora lautiis nutritre, & cibis implere; si tamen lues ejus tempestatis exactius perpendatur, palam fieri, id speciatim ægrotantibus tunc accidisse, quod omni prorsus appetitu destituerentur: quamobrem illi dumtaxat evadebant, qui sibi ipsi vim veluti inferentes cibum assumerent, quo nimis pestiferæ illius luis conditio, & malitia retunderetur, viresque quodammodo servatae violentiam morbi evaderent, ne omnino extrema inedia fatiscentes corruerent. Ceterum res aliter in aliis tractanda est,

## APHORISMUS XI.

*Facilius est impleri potu, quam cibis.*

**E**Tiam de iis, qui à morbo convalescunt, sermonem hic habet Hippocrates, atquè rationis modum referens, quo illi in pristinū statum tutius redire possint, docet, præstare eos impleri, seu refici potu, quam cibis.

At pro potu, non eam intelligit cujuscumque liquoris soritionem, qua potissimum ad situm extinguendam utimur, sed, cum agat de reficiendis cō-

Cc vale-

valescentibus , voluisse indicare videtur alimentum in potionis formam dissolutum , cibum scilicet potabilem , qui facilè exsolvatur , & citò in cor , cæterasque corporis partes per arterias trajiciatur . Quod sanè liquere potest ex his , quæ ab eodem scripta sunt in libro de alimento ; inquit enim , quotiescumquè opus est certissima , & promptissima refæctione , tunc humidum alimentum , ad instaurandas vires , valdè est conducibile : quemadmodum ubi adhuc celerius est reficiendum , opus est odoratu . A cibis autem , seu solidis alimentis , gravius planè se habet Corpus , quod nupèr convaluit ; quippè à morbo languidum remanet , illiusque operationes universæ hebetes , & imbecillæ , undè solida alimenta , nèc tam benè , nèc tam citò confici queunt , ut insubstantiam aliti commutentur ; quamobrèm tutiùs , cautiisque labiles , & facilis digestionis cibi , quām duri , & solidi exhibebuntur , quales potissimum li- quores carnium , & jura , ptisanæque cremores ritè concinnati .

Quamvis autem , attenta facilitori ciborum dige- stione , ac distributione , in rationabilem sensum Hippocratis sententia revocetur , non tamèn quis hinc generatim existimet , liquidum , ac potabile alimentum solido sempèr esse præferendum : etenim quæ dentibus conficiuntur , nedūn citius exsolvi so- lent , & in perfectum chylum commutari , sed etiàm in accommodatius alimentum verti . Valdè siquidèm conduit ad ciborum in Ventriculo dissolutionem saliva , quæ sale quodam abundat fermentationi promoyendæ peropportuno , quo videlicet , & pani- ficium fermentum quis posset excitare , ac fortè for- tuna amissū restituere . Constat autem aliundè oxyüs salita , quām insulsa fermentescere , & exsolvi , atq; ci-

ciborum reliquias in dentium intercapelinibus remansas sponte sua per salivam quodammodo chylificari.

Tunc igitur satius erit potulenta convalescentibus commendare, cum sanguis acrior videtur, & Corpora salivario rore carentia multa macie confecta sunt, atque viscera imi præsertim ventris exaruere, ut potissimum Hecticis accidit. Quibus vero stomachus à muccosis succis languet, saliva abundantior est, & acidi ructus frequentè accident, solidi potius cibi illorum malitiam temperantes commendabuntur.

Non desunt autem, qui Hippocratem asserant, non de quacumque refectione loquutum, præsertim vero, quæ cum Nutricatione coincidit, sed solùm de Virium, seu Spirituum restauratione, quibus liquida, & potabilia plurimum conferunt: sic Julapium Vitale, Elixir vitae, Aqua magnanimitatis, Spiritus refectionis, Aquavitæ exhilarans, Aqua restaurans, Tinctura alKermes, & similia, veluti momento temporis Cor roborant, & distractas vires reficiunt, quoniā nullā in Ventriculo morā, illicē vitales partes petunt, & cū sanguine commista, Cordi, totique corpori succurrunt. Et quidem nil æquè ac Vinum, vinique spiritus, eique analoga, id cito tissime præstare videntur, cum experiamur vix ore degustata, palati, & linguæ papillas, porulosque subire, seque in auras extenuata interiores partes pervadere, & vivificare.

Nequè vero hinc quis ambigat tenuissimos ejusmodi halitus nulla ratione nequire solida quoq; membra restaurare; cum & illi queant deinde intrà Corpus cum cæteris liquoribus subacti in concrescente succum verti, nutricationi aptissimum: Hoc

pacto Arborēs è terræ succo , in vaporem elato , imò & plerchè plantæ solo vapore aquo auge scunt , & nutriuntur . Atquè ex Physicis melioris notæ Viri sunt , qui volunt animalium partes tenuissimo solum succo , ex chyli portionibus purioribus elicito , ali , atquè compingi . Sic etiā ex durissimis corporibus tenuissimos liquores ope chymica extrahi videmus , ipsosque in duriora deindè corpora coagulari , ut propterea vicissim nullo penè negotio res quascumquè & dilui , & concrescere posse , jām satis unicuique notum sit .



### APHORISMUS XII.

*Quæ relinquuntur in morbis post iudicationem , recidivas facere consueverunt .*

**J**UDICANTUR plerumquæ morbi salubritè criticis evacuationibus per sudorem , vomitum , dejectionem , urinam , similesque egestiones , quibus eorumdem causæ omnino subactæ , & secretæ , à Natura extrà Corpus expelluntur . At verò aliquando licet exactè terminati , ac devicti videantur , ob reliquias tamèn vitiosorum humorum aliquibi relictas , post aliquod tempus redeunt , & Recidivi morbi appellantur . De his ergò monet Hippocrates , nè omnino fidant Medici ejuscmodi ægritudinum remissionibus , quotiè Crises perfectæ non sunt , nè Causæ morborum fuerint penitus secretæ , atquè extrà Corpus expulsa .

Et quidem morbos omnes , quos materiales appellant , eosquæ perseverare , quousquæ Causæ illos

los foventes, & conservantes in Corpore perduraverint, in confessu est apud omnes: Hæ autem vi-  
tium in sanguine, & visceribus inducentes fermenta-  
tionem procùl dubio indebitam promovent, qua  
portiones utiles, & salutares cum inutilibus, & no-  
cuis commixtae commotionem non levem universo  
Corpori inferunt, undè febris, inquietudo, vigilia,  
dolor, aliaque graviora Symptomata exoriuntur.  
Concitatam modò fermentationem subsequi necesse  
est inutilium ab utilibus secretionem, præcipitatio-  
nemque, ut morbus in salutem desinat; sin secùs,  
mors præsto erit.

Debent itaque Causæ morbificæ, & fermenta vi-  
scerum præter naturam excitata, omnino ab utili-  
bus, & salubribus humoribus sejungi, ac tandem  
eliminari, ut Corpus in naturalem statum redeat,  
idque Crisis est, scù Judicium, de quo idem Hip-  
pocrates aliàs protulit: *Quæ judicantur, & judica-  
ta sunt integrè, nequæ mouere, nequæ novare oportet, sed finere,* i. Aphor. 20. Quòd si contingat, re-  
liquias saltē præternaturalium fermentorū in Cor-  
pore remanere, atquæ alicubi latitare, procùl du-  
bio morbus ex nova inconvenienti fermentatione  
ejectus brevi redibit.

Non tamè dixit Hippocrates, quæ relinquuntur  
in morbis post iudicationem, recidivas necessariò  
facere, sed tantummodò solere. Interdùm enim re-  
liquæ istæ sensim post iudicium dissipantur, cùm  
observemus lentè admodùm à morbo convalescen-  
tes, forte ex istiusmodi reliquiis, paulatim appeti-  
tum, consuetum colorem, robur, & carnes recupe-  
rate, absuntis interea, atquæ evanescentibus his,  
quæ in Corpore relista erant. Jure ergò Recidivæ  
timendæ sunt, cùm evacuationes naturales, & con-  
sue-

suetæ denuò supprimuntur; vires nihilum reficiuntur, stomachus adhuc languet, vel nausea tenetur, nec bene cibum conficit, etsi convenienter alatur, non tamèn in melius proficit convalliturus. Si præterea Morbus sine causa evidenti, aut manifesta Crisi remittatur, haud erit de recidiva dubitandum, nam his, quæ non ex justa causa fiunt, fidere non oportet, hoc eod. lib. t. 27. Adjicit & aliud relabentis morbi indicium Hippocrates in *Coacis præventionibus*, si videlicet Urina in febriensibus densum, crassumque sedimentum contineat, divulsum tamèn, atquè distractum: etenim quod densum est, difficilè dissolvitur, difficiliusque repurgatur, quocircà saltèm ex parte in venis, & arteriis remanens, febrem facillimè revocabit, ni sudor ubertim profluat, aut alvi fluxus superveniat; quibus scilicet crassiores succi egeri queant.

Quæ de Revertentibus Morbis scribit Hippocrates, Nos ad Commutantes quoquè protrahimus exemplò à Pleuride, & Peripneumonia desumpto. Siquidèm non raro experimur depressam, ex Pleuride, aut Peripneumonia subacta, febrim protinus redire, inducto nimis Èmpyemate; quoniàm purulentus humor ex Pleuride domitâ relicitus, Thoracis cavum occupans febrim denuò promovet, & quandoquè priore pejorem. Differt autem Recidivus Morbus à Commutato, quoniàm in hoc causa variat cum Symptomatis, at in illo utraqùe invariata perseverant.

Cùr autem morbificæ Causæ post morborum iudicationes relinquuntur, ratio multiplex esse potest, quæ tamèn ad Medici, aut Aegrotantis errores, ad Naturæ imbecillitatem, vel ad fermenti morbifici repugnantiam, rationabilitè refertur. Ad Medi-

dicū quidēm , si fortassē in declinatione morbi inchoatam crīsim impeditat , vel prævertat , putā si , comparente sudore critico , pharmacum exhibeat , cohībentia medicamēta propinet , cutim , & humores constipantia . Ad Aegrūm , si diætam debitam non servet , seque frigido ambienti exponat . Ad Naturam , si præ languore non valeat Crīsim perficere , atq; universa recrementa morbosā repurgare . Deniquè ad fermenti morbifici repugnantiam , si tenax , viscosum , multum , rebelle , malignum illud sit , ut in parotidibus , cæterisque abscessibus , plerumquè contingit . Verumtamen speciales quandoquè Temporum Cōstitutiones residentes morbos afferre solent , ut dicitur i. *epidem.* : tanta est vis Aeris in perturbanda humani Corporis œconomia , nedūm inspiratione , sed ambitu .

Ut his ergò incommodis , ac recurrenti Morbo solers Medicus occurrat , inchoatam , imperfectamq; crīsim expleat , rebelles , ac viscosos succos attenuet , ac dissolvat , obstructos meatus referet , Naturæ robur adjiciat , nervosque omnes una intendant , ut relicta inquinamenta per conferentia emissaria educat . Atqui fieri potest , ut protrusus magna ex parte vitiōsus humor criticè per vias Urinæ , vel Sudoris , residuus per alvum sit egerendus , forte quia crassior , cōpactiorque , non aliter quam cathartico medicamento exturbari queat . Sed & nō raro etiā accidit , ut reliquiae istiusmodi morborum certam quamdam fermenti vim , conditio nemque nanciscantur , aptam utiles quoquè liquores inquinare , quæ sensim adeò increbescere solet , ut tractu temporis potentior redditā majora detrimēta pariat . In his autē in ægritudinibus etsi magna promoteatur evacuatio , nisi ejusmodi quoquè fer-

fermentum educatur, nunquam ægri benè convalescent. Quò fit, ut sèpissimè modico sudore, levi vomitu, pauca dejectione, vel etiàm per urinam excretione, graves cæteroquì morbi desinant, qui magnis, iteratisque evacuationibus abigi non potuerunt. Porrò jàm satis liquet, febrile fermentum, in febribus præsertim periodicis, extingui à Cortice peruviano, quod valido purgante pharmaco adhuc iterato, nunquam cederet. Hos equidem cōtumaces morbos à latentibus hisce fermentis inductos, efficaciùs præ cæteris fugari experti sumus Antimonia diaphoretico, & Bezoarticis cuiusvis generis ritè præparatis, quæ nimirùm efficaciùs pervadunt, & vi, potestateque potiùs corrigendi, quàm evanescendi, latentes hos, & rebelles succos extenuat, & eliminant.



### A PHORISMUS XIII.

*Quibuscumquè Crisis fit, iis nox gravis antè accessionem; quæ verò subsequitur, magna ex parte levior existit.*

**Q**UAMVIS Morbi plerumquè iteratis paulatim solvantur egestionibus, rarentè verò judicentur; non est tamèn, ut aliquandò saltem perfecta Crisi subitò desinant, quæ propterea Medicis dicitur: *Subita in Morbo vel ad Salutem, vel ad Mortem mutatio, cum notabili materia motione.* Illam autē non aliter fieri contingit, quàm concoquente, & segregante Naturā à bonis mala, adeoque per fermentationem subigente, quæ ipsi adver-

adversa totius Corporis œconomiam perturbarant , ut in Apostematum maturatione , atquè puris concoctione , manifestè patet . At verò in hac concoctione , secretioneque , magna percipitur agitatio , pari fermè modo ac in musto fermentescente experimur , cujus partes tenues , & mobiles à crassioribus , & fæculentis necesse est extricari , ut in perfetum Vinum commutetur . Hac ergò de causa futuram crīsim accidit agitationes , molestiasque præire , quibus ægri noctes plurimū insomnes , & inquietas patiuntur . Hinc quod plerisque dicitur antè accessionem , vertunt alii antè judicationem . Sed reverà nunquam Crises accidunt , nisi in paroxysmis ægritudinum , cùm nimirū Natura Causam morbosam adoritur , ac subigere conatur ; undè perinde erit antè accessionem , ac antè judicationem , in accessione contingentem , molestias , inquietudinesque persentiri .

Meminit autem Hippocrates potius noctis , quam diei : quoniā nocte , etiā levia graviora percipiuntur , cùm id tēpus quieti destinatum sit , & mens minus distracta esse soleat ; quamobrē dolores , perturbationes , & cætera symptomata per noctē experimur molestiora . Accedit , quod noctu ex Aëre densiori , & frigidiori , perspirationes in nobis quodammodo impediuntur , ac retardantur , undè sanguis ipse , & viscera Corporis , magis infici , & divexari solent .

Quæ verò sint mala Crīsim præcedere solita , refert idem Hippocrates i. *epidem.* , & lib. *prenotionum* : & quidem , si futura sit hæmorrhagia ex naribus , præcedet vertigo , oculorum rubor , squalor , hebetudo , & illacrymatio , aurium tinnitus , pruritus narium , Capitis dolor , temporum

Dd

pul-

pulsatio, venarum Colli inflatio, & phantasmata per Somnum erunt repræsentantia prælia, rixas, ignem, resque ignitas, ut de eo memorat Galenus, qui volantem ignitum draconem somniaverat. Si Vomitus, præterut Nausea, & ciborum fastidium, dolor, & morsus stomachi, oris amarities, inferioris labii tremor, & contractio, faciei rubor, Somni turbulentia, Corporis jactatio, Cordis palpitatio. At verò si alvi fluxus; ventris onus, tortuina, ac rugitus, hypochondriorum inflatio, cum dejiciendi cupiditate. Si prætereà per Urinam Crisis immineat; illa repente turbabitur, æger sèpiùs mesturiet, Renum, & Vesicæ dolore gravabitur, interque mingendum ardore afficitur. Si demùm per Sudorem difficultis, & crebra respiratio, præcordiorum æstus, partiumque externarum calor, & mador præcedent, æger ad somnum inclinabit, urina parcior fiet, atquè arteriarum pulsus, majori quadam expansione, fluctuantis motum referet.

Hæc, & id genus alia, pro Crisi varictate accident nocte præcedente; sequenti verò, leviora planè erunt omnia, & æger ipse melius se habebit; immò, si critica evacuatio perfecta fuerit, atquè Causa morbi omnino fuerit evicta, & expulsa, non solùm Nox, quæ sequitur magna ex parte levior fieri, sed etiàm ægrotus conyalescet. Hunc autem ferendo esse oportet, nàm viribus ex Crisi infractis, de vita verendum; undè dicebat Hippocrates in Coacis pranotionib.: quandoquè in optimis Crisibus ægri pereunt: Nimisùm ubi vires non sufferunt.

Atquè hinc salutaris Criseos indicia patebunt, nec non cuiuscumquè evacuationis exitus. Quippè si subinde morbus cum adjunctis symptomatibus penitus, vel magna ex parte cesserit, & vires tu-

le-

Ierint, profectò res succedet ex voto; sin secùs,  
omnia ruent in interitum.

*APHORISMUS XIV.*

*In profluviis Alvi mutationes excrementorum ju-  
vant, nisi ad mala mutatio fiat.*

**E**gestiones per alvum habitæ, quemadmodum sæpenumerò salutares sunt, ità nonnunquām valdè perniciosæ. Nequè solùm, ut habet hoc loco Hippocrates, malæ debent existimari, cùm succedentes fiunt ad mala mutationes, verùm etiàm cùm immoderatæ sunt, & tormina, ac dolores inducunt, internamque intestinorum tunicam erodunt; siquidèm prætèr Diarrhoeam, & Dysenteriam, solent Tabem, & totius Corporis consumptionem afferre.

Distinguere consueverunt plerique Medicorum ejuscemodi per alvum evacuationes, in Stomachicas, & Jecorarias, atquè illas à Ventriculo malè concoquente, & in excrementsa cibos commutante oriri ajunt; has verò è Jecore intemperato ad frigidum quidèm, ut in fluxu, quem Hepaticum vocant; ad calidum verò, ut in Diarrhoea, & Dysenteria.

Verùm licet aliquandò in Lienteria, & Cœliaca affectione dejicientur cibi non dūm digesti, qui Ventriculi defecuti arguant, haud tamèn putandū, ejusdem sempèr vitio hujus generis dejectiones haberi. Siquidèm non raro à depravatis succis pancreatico, & felleo, importunæ, ac immodicæ eva-

cuationes oriuntur: cùm enim in eum usum succi isti à Natura sint destinati, ut transewintem chylum per intestina gracilia diluant, atquè à fæculentis portionibus repurgent, & fortasse aquei, viscosi, inertes, aut aliter prætèr Naturam sint affecti, vel illorum ductus obstruci, nulla, vel mala secretio fit, undè simùl cum fæculentis partibus, chylosæ, & alibiles pariter egeruntur. Atquè hinc est, quod in his conferant salita, acida, acria, austera, quibus scilicet succi illi corrigantur, vigorentur, vel per proprios ductus confluant in Intestina.

De Fluxu verò Jecorario, nemo est vel levitèr in rebus Anatomicis versatus, qui nesciat omni culpa carere Jecur in ejuscemodi alvi profluviis, cùm jàm satis, superque constet, nèc ipsum sanguificandi munere fungi, nèc ex illo per venas sanguinem ad Intestina permeare, sed potius ab his in illud revehi. Atqui in Dysenteria, & Diarrhœa, si ab Hepate per venas in Intestina acres illi, & erodentes humores derivarent, procùl dubio laxatis, apertisque venis, unâ simùl cum humoribus sanguis ipse affluentè profiliret. Verùm hæc fusiùs à Nobis discussa sunt in Praxi cap. proprio de Alvi fluxu.

Utùt autem ista se habeant, memorat hic Hippocrates mutationes excrementorum juvare in alvi profluviis, nisi ad mala mutatio fiat: etenim cùm in Lienterico, ac Cœliaco fluxu egestiones, quæ anteà albæ, chylosæ, & fluentes admodum erant, coloratæ comparent, repurgatæ, & consistentes, naturalem conditionem induunt; ut etiam de acido 6. Apb. ructu superveniente protulit idem Hippocrates. Sic pariter excrements Diarrhœam, ac Dysenteriam comitantia, nigra, fætida, purulenta, ubi malitiams ho-

horum exuerint, atquè in flavum, minusque olen-  
tem humorem commutantur, argumento sunt, Na-  
turam in pristinum sanitatis statum redire, facileq;  
in posterūm moderari posse fluentium excrementorū  
malitiam, & originem. At verò quotiescumq; eva-  
cuationes uniusmodi sunt, & sibi similes continentē  
prodeunt, Morbum, causamque Morbi persistentem,  
contumacemque significant.

Meliùs igitur erit in alvi profluviis excrements,  
sensim apparere mutata, neutiquām verò in pejorē  
deducta conditionem, ut cùm è flavo in nigrum,  
è minùs olente in fætidum, è consistente in corru-  
ptum humorem abeuat; ut propterea prudentē sanè  
adjecerit Hippocrates, *nisi ad mala mutatio fiat*. Hac  
de causa exitiosæ sunt dejectiones in Dylenteriis,  
quæ è pallidis in croceas, in virides, in atras; è  
crassis in dilutas, & putridas; è stercorariis in pin-  
gues, & strigmentosas transeunt. Mutationes ete-  
nim istæ nulla ratione prodesse possunt, ut-  
potè à naturali statu plurimūm receden-  
tes; quamobrèm utiles solummodò  
censendæ erunt, quæ ad Natu-  
ræ consuetum redeunt, vel  
saltēm non multūm à  
sanitatis statu de-  
flectunt.





## APHORISMUS XV.

*Ubi sauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in Corpore, excretiones inspicere oportet; nam si biliosæ fuerint, Corpus unà ægrotat; si verò similes sanis fiant, tutum est Corpus nutrire.*

**A**TULIT præcedenti Aphorismo Hippocrates, loco exempli, Crises per dejectionem factas, nunc eas, quæ per abscessum contingunt examinans, utitur exemplo glandularum tumefactarum, atquè tuberculorum in corpore erumpentium, atque intumescentibus faucium glandulis, vel erumpentibus tuberculis in Corpore, an non idem nutritendum sit, excretiones observandas esse: etenim si illæ biliosæ fuerint, indicium erit Corpus, ejusq; interna viscera unà simul ægrotare; si verò sanoru egestionibus similes sint, tutum erit Corpus nutritre.

Conjecturas hic itaq; recenset ab apparentibus ad recondita, quibus de nutricatu, refectioneque Convalescentium à morbis certò statuat, si fortasse consanescant, facta vitiosi humoris in glandulas, & cutim Corporis depositione, num inde impurum adhuc illud remaneat; idque ab excretionibus conjicere satagit, undè omnino repurgatum possit tutò pleniori cibo nutriti; sin secùs, purgare priùs expediat, mòx alere, juxta regulas superiùs traditas.

Nequè verò de Angina intelligendus est Aphorismus, ut male plerique interpretantur. Etenim si de ea, quæ muscularum gutturis, & fauicium inflammatio est, sermonem Hippocrates instituisset, non

non planè de convalescentibus ex Abscessu, sed de omnino morbo Corporibus ageret; adeoque male fuisset adjectum: *Si verò sanis similes, tutum est Corpus nutritre.* Igitur de Abscessibus ad glandulas faucium, & colli, itemque de tumoribus erumpentibus ad cutim omnino loquutus est. Et quidem iteratis observationibus est compertum, solere glandulas tūm internas, tūm subtercutaneas, quibus universum ferè Corpus refertum est, in plerisque <sup>V Hipp.</sup>  
<sup>lib. de</sup>  
<sup>Glan-</sup>  
<sup>dul.</sup> ægritudinibus vitiari, imò reliquorum omnium viscerum affectiones promptè subire, quòd vasa quæcumq; tūm sanguinem, & nervorum liquorem, tūm lympham deduentia, in se excipient, & moderentur, undè harū male affectarum causā plerūq; accidit ægrotare, vel ægritudinum crises per abscessus admittere. Quamobrèm non immerito Hippocrates tumefactarum adenum, & tuberculorum in habitu Corporis prodeuntium exemplo speciatim hic usus est; quippè humores quicunq; per vasa Corporis excurrentes in ipsas dēducuntur, ibique cominiscuntur, atquè ab impuritatibus repurgantur. Hinc triplici de causa nedūm faecium glandulas, sed cunctas propemodū contingit ægrotare, indeque tubercula progigni; vel scilicet virtio sanguinis, lymphæ, & liquoris nervorum minimè à recrementationis repurgati; vel impedita per poros cutis perspiratione; vel deniq; earumdem glandularum virtio, quæ nimis nèc excipiāt, nèc deducat, nèc benè permeantes succos repurgant, aut emendent. Mennit autem Hippocrates biliosarum hic solummodo excretionum, non quòd à reliquis aliis excretorum vitiis illas affici non contingat, sed quia in acutis ægritudinibus hujus generis excrements plerumq; excitari solent; quippè quæ acriorem san-

gui-

guinis constitutionem , & inflammabilem naturam consequuntur , undē febres æstuosæ , sitis , oris amarities , dolor , vigilia , & consimilia symptomata exoriuntur . Cùm itaque excreta ista mala sunt , totum corpus adhuc infectum denunciant ; nèc sufficiēt ex abscessibus fuīsc repurgatum , ideoque tu-tò nutriti non posse , nisi fuerit omnino ab inqui-namentis detersum , & evacuationes similes sanis habeantur :

Sub excretionibus autem , quas inspiciendas vult Hippocrates , non solum quæ per alvum , sed etiam quæ per vias urinæ , aliasque ductus sunt , comprehenduntur ; undecumque enim illæ prodeant , corporis statum designant .

Notantur pariter hic tubercula speciatim extrinsecus apparentia , licet consimilibus tumoribus ferè semper interiora quoquè afficiantur . Anatome quippe pluriès observatum est , tumores in collo , & faucibus erumpentes occupasse primùm Mesenterium , Pancreas , aliaque Viscera adenosa , ut in Variolis quosq; accidit ; quamobrèm non mirum si , ob consensum partium per glandulas , putaverint plerique ab ipsis bene , vel male affectis de totius habitudine judicium ferri posse . Frustrà igitur ejusmodi tubercula tollere adnituntur , qui toti sunt in lituris , lotionibus , & emplastris adhibendis , cùm tamèn oporteat internis medicamentis concretos ibidèm humoris dissolvere , & extenuare , repurgatis quoquè à sanguine , cæterisque utilibus humoribus , quæ retēta sunt , excrementis . In hunc sanè usum valdè conferunt ( præ cæteris , adhuc purgantibus ) Antimonium diaphoreticum , Sanguis hircinus , Cornu Cervi , Sperma Ceti , Nitrum fixū , extractum hyperici , pulvis Viperarum , & omnia salia volatile , qui-

quibus scilicet & diaphoresis, & diuresis facilè pos-  
sit promoveri.



## APHORISMUS XVI.

*Ubi Fames, laborandum non est.*

**R**edit Hippocrates ad enarrandas cautiones re-  
ficiendorum Corporum, atquè hoc Aphoriso-  
mo docet, non esse simùl, convalescentibus  
potissimum, injungenda inediam, & laborem, cùm  
Natura duplice evacuationem ferre nequeat; un-  
dè ait: *Ubi fames, laborandum non est;* vel ut ver-  
tere yisum est aliis: *ubi Corpus inedia conficitur, vel*  
*confectum est, laborare non debet.*

Quamvis autem de fame solum videatur loquu-  
lus, tacite tamèn (ut monet *in comment. Ga-*  
*len.*) cætera quoquè inanientia subintellecta voluit,  
ut proinde hujus sententiaz summa sit, duplice si-  
mùl evacuatione nunquam utendum, nè vires dis-  
solvantur, & Natura omnino succumbat, cùm  
aliás ex eodem Hippocrate doceamur, magnum stu-  
dium habendum esse, præsertim in ægrotantibus,  
fortem servare Virtutem.

Atquè hinc sanè non leve argumentum sumere  
licet ad redarguendos eos, qui ex Hippocrate cùm  
præcipiant vietum valde tenuem, & quandoquè etiam  
tenuissimum, in morbis acutis, iteratas tamèn phle-  
botomias, aliásque evacuationes præscribere non  
verentur, magno Virium dispendio. At verò pru-  
dentè hic Galenus admonet: *Sanis non sunt præci-  
pienda exercitia simùl, & inedia, nequè etiam agris*

Ee

ali-

lib. deo  
alim.

*aliquis vehementior motus adhibendus, unà cum cibi abstinenia, nequè sanguinem missere oportet, nequè citare vomitum, nequè purgare, nequè multa uti fritione, nequè in universum aliquo forti motu, ut Corporis alteratione: In talibus siquidem motibus omnibus, ubi cibus defuturus sit, vires dissolvuntur, sive agrotent, sive etiam sani sint homines. Hactenus Galenus.*

Verum non quemcumque motum, laborem vocat, sed qui lassitudinem inferat: etenim solente Medici simplicem motum, ab exercitio, & labore, distinguere, ac per sudorem, & lassitudinem dimetri; & quidem levem Corporis agitationem, motū appellant; cum sudore, & anhelitu, exercitium; laborem denique, ad lassitudinem, & defatigationem usque deductum. Hoc autem loco specialius videatur notatus Labor, quo nimirum Corpora virium dispendium patiuntur, quas plurimum licet credere inediā resolutas. Modò per laborem sanguis citior redditur, ac tenuior, qui profectò facillime expirat per poros Corporis, eadem occasione patentes, undē sudores etiam affluentius emanant, universaque ferè membra fatiscunt.

Quoniā verò famis mentio ab Hippocrate facta est, jure posset quis dubitare, de qua fame expwendus ille sit. Et sanè cùm de Convalescentibus reficiendis agat, famem potius naturalem intelligere fas est, cuius nimirum causâ sollicitamur ad exquirenda alimenta. Aliás enim meminimus, à succis quibusdam acido-acribus Ventriculi os superius proritari, cùm is vacuus est; alimenta verò ingesta dissolvi, cùm est repletus. Cúmque per labore sanguis potentè extenuetur, & vires languageant, si fortassis è vacuo per famem Ventriculo nil possit fug-

suggeri, quod sanguinem, & vires reficere queat, profectò ex languore nimio totum Corpus gravevitæ periculum subiret. Verum tamèn famem idem Auctor consuluit solùm in humidioribus temperatūris. 7. aph. 59.

Quoniam autem Vita, summā cūm inediā, & absquè ullo cibo, ac potu, sustineri queat, jāni diē quæsitum est apud Medicos. Et licet ab Hippocrate scriptum sit lib. de Carnibus, seu de Principiis, nō autem septimum diem illam esse exitialem; & Plinius lib. II. cap. 54. adhuc ultrà undecimū plerosq; durasse referat: experimentis nihilominus innumeris observatum ab aliis est, etiā ad menses integros, atquè ad annos, incolumem fuisse productam. At quamvis id factum crediderim in quibusdam ex peculiari Corporum, & succorum constitutione, fortè etiā non sīnē corumdem vitio, atquè ægrimoniam: in ceteris tamèn universam non diutiūs Vitam naturaliter prorogari posse, ut sīnē cibō, ac potu hebdomadas transcendat, vix induci possum, ut credam, si potissimum succi ciborum dissolutionibus destinati, & Ventriculus in suis operibus benē se habeant. In multis Animalibus expertum se fatetur Clariſs. Redius infrā quadragesimum diem dumtaxat perduratam; verum tamèn Homines, beneque valentes, ipse existimaverim, haud difficulter quartumdecimum transilire posse; quin & post octavum bulimon incurrere, quo nēc ampliū deinde famescant, nēc cibum capiant, illūmque fortassē assumptum, vel per vim inditum, nēc retineant, nēc coſſiant, ut aliquandò observavi. Qui ergo referuntur ad plures menses, & annos sīnē ullo cibo vivisse, præter naturam planè affecti, in succis Ventriculi, & intestinorū dissolventibus, vitium aliquod

passi sunt, unde ad cibos exquirendos minimè sollicitarentur. Sed & sanguis pariter ejusmodi sanè constitutionis fieri potest, ut vel minimum, vel nihil admodum extenuetur, & absumentur, æquè ac animalibus iis accidit, quæ per hyemem in latibulis degunt absquè cibo. Viscerum quoquè, & membrorum textura plurimum in idipsum confert, si non tām laxa, ac tenuis sit, ut celcri consumptioni subjiciatur: etenim quibus cutis densior est, nèc facilè perspirationi patet, leviorē planè patientur corporis dissolutionem. Simile quid accidit iis, qui ingenti timore, ac vehementi mœstitia correpti, omni penè ciborum desiderio destituuntur, & inediā ad plures dies sufferrunt. Qua ratione credidērim, quamobrèm nonnulli sub ædificiorum ruinâ ad hebdomadas supervixerint: & plerchè volucres intrâ nives semestri spatio immobiles persistant, sed adhuc in vita perdurent. Porro in his, impedita perspiratione, sanguis non diffatur, ideoque nèc novo pabulo eget, ut continentè reficiatur. Quamquam & Aër ipse sive inspiratus, sive per poros cutis, aut aliter exceptus, potest in aliquibus ita sanguinem temperare, ut sine evidenti consumptione, is diutius perennet; & sicut peculiares quædā Aëris constitutiones solent quibusdam talem famem excitare, ut pluriès in die cibum sumere cogantur; ita ex adverso aliæ poterunt, in certis saltē habitudinibus corporum, illam obtundere, ut queant absquè cibis in longum tempus perdurare; Cujus forte constitutionis fuit ille, quem memorat Olympiodorus ex Aristotele solo Aëre, & Sole sustentatum. Hinc non omnino fabulosum putandum est, quod scribit Plinii lib. 7. cap. 2., confirmatque Strabo lib. 15. de situ Orbis: *ad extremos fines Indra ab Oriente*

Oriente circa fontem Gangis Astomorum gentem sine ore, halitu tantum viventem, & odore, quem naribus trahunt, nullum illis cibum, nullumque potum esse. Odore etiam plurimos sibi vitam prorogasse, posteritati traditum, ut de Democrito Laertius, & de Homero, qui ejus vitam descripsit, memorant. Refert quoque Xiphilinus ex Dione, Britannos cibum parare consueuisse, qui ad unius fabae quantitatem gustatus, & tamem, & stim penitus inhiberet. Feruntur & Indi beneficio cujusdam herbæ, Coca ipsis dictæ, ac ore gestatæ, famem à seipsis repellere: quod etiam à Scythis factitatum meminit Matthiolus in *Praefatione ad Dioscör.* Cæterum in aliis, qui diutius cibis caruisse narrantur, vel impostura locum habuit, vel virtus Divina præluxit.



## APHORISMUS XVII.

*Ubi Cibus præter naturam plus ingeſtus eſt, bic morbum facit: ostendit autem fanatio.*

**M**edioeritatem omnino servandam esse in Natura certissimum est apud omnes, præsertim verò in alimentorum sumptione, ut propterè superioribus Aphorismis dixerit idem Hippocrates: *Non satietas, non fames, nec quidquam aliud, quod modum Naturæ exceſſerit, bonum.* Nunc verò Cibi quantitatem in Convalescentibus præscribens, nocuum inquit esse eibum præter naturam ingeſtum, quoniam morbum facit, ut patet ex illius fanatione. Dixit autem præter naturam, sive ut alii legunt, ultra Natura exigentiam, ut nimicrum desi-  
gna-

gnaret cibi ingesti quantitatem mensurandam esse à peculiari cuiusvis Corporis constitutione: quæ enim quantitas uni indebita, & excedens videtur, alii erit naturalis, & consentanea; quamobrèm habendum semper est respectus ad ætatem, propriam Constitutionem, exercitia, incolatum, in ciborum administratione.

Sed & *præter naturam* explicari quoquè potest, prout vires gravat, & Ventriculum plus justo replet: concoquentis quippè Ventriculi vis limitata est, & succi ejusdem non omnem ciborum copiam dissolvere queunt, sicuti nèc certa aquæ stygiæ quantitas illimitatam metallorum molem diluere, & erodere valet. Fortè quoquè dixerit *præter naturam*, habito respectu ad eorūdē qualitatē, conditionēmq; Siquidèm multa sunt, quæ pravitate solùm nocent, & sanguinem, ac viscera coquinant, si tamè moderatè sumantur innocua fiunt: extrà modum verò, omnino infensa evadunt. Quamquam consuetudo in his plurimū valet.

Quoniām verò Hippocrates inquit, ex cibo præter naturam plūs ingesto Morbum fieri, non Mortem, adeoque admittere sanationem; indè profectò deducere possumus, excessum dumtaxat cibi assumpti illum hīc notare voluisse; sive autem excessus sic relatus ad cibum solito abundantiorēm, ut de feminis quadam idem Auctor in epidemiis testatur, quæ liberalius pasta, quo die judicata fuerat, recidit; sive ad vim, facultatēmque Ventriculi, etiām moderatam ejusdem quantitatēm exactè confiscere nequeuntis, cùm multum, & paucum - ad aliquid referantur, parūm intererit. Nām & importunus, & insuetus, & impræparatus, & crudus, atquè nèc debito ordine, nèc convenienti modo sumptus cibus,

bus, nedum convalescentibus, sed etiam sanis no-  
cuis, & periculosus esse solet. *Cibus profecto*, in-  
quit idem Hippocrates lib. de loc. in hom., *se vincit Na-*  
*turam, efficit morbum*; Quare quocumque modo Na-  
turam superet, praetere naturam erit, atque adeo  
Morbum faciet.

Quod denique ex cibo praeter naturam plus inge-  
sto morbus oriatur, subdit Hippocrates ostendere  
sanationem, nullam tamen mentione factam de Mor-  
bi specie, aut de ejusdem sanatione. Fortasse vo-  
luit subintelligendas aegritudines ex cruditate, quam  
ferè omnes morbi consequi possunt, nisi etiam eam  
dem prægressam aegritudinem, & graviorem, ex in-  
digestis, corruptisque cibis, redire existimaverit;  
aut etiam morbi nomine abusus, damnum, atque  
detrimentum indefinitè expresserit. Sanationem ve-  
rò per vomitum, aut dejectionem, vel per inediā,  
implicite complexus est: etenim mala ex cibis ubi-  
rioribus, vel infestis orta, quam citius vomituv. Hipp.  
de viet.  
in acut.,  
aut exacta diaeta corruguntur. Quod si interiores Cor-  
poris ductus subierint, & viscera, ac sanguinem  
infecerint, nonnisi alexipharmacis curabuntur. Cæ-  
terum à cibis abundantius ingestis, depravatis, aut  
corruptis, praeter cruditates, proficiscuntur Obstru-  
ctiones, Tumores, Alvi profluvia, Choleræ, Coli-  
ci dolores, Febres, idque genus alia, & pejora-  
mala. Si praeterē cacockymi illi sint, seu insalu-  
bres, malique succi, etiam Febres pestilentes oriri  
consueverunt, itemque Vertigines, Syncopes, Le-  
thargi, Apoplexiæ, aliæque perniciose aegritudines,  
quas memorat Galenus, præsertim libro de cibis ba-  
ni, & mali succi. Quamobrem si ex his morbi pro-  
venerint, pro illorum ratione varia, diversimode  
quoque tractandi erunt.

APHO-



## APHORISMUS XVIII.

*Eorum, quæ universim, & velociter nutriunt, velocius quoquè sunt excretiones.*

**S**ic habet vulgata lectio Leoniceni, ut proinde sensus istius Aphorismi sit: eorum, quæ universim, hoc est secundum totam substantiam, & velociter nutriunt, velocius quoquè fieri residuum excretiones. At aliis attridet *alp̄as*, non universim, sed affatim, sc̄iù non sensim, exponere, adeoque Aphorismum ita interpretari, quòd ea, quæ abundantem, & celerem suggestur nutrientem substantiam, celerem quoquè patientur excretionem.

Quòd velox nutritio velociem quoquè excretionē referat, suaderi ex eo potest, quia sicut se habet digestio ad nutritionem, ita se habebit secretio, ac distributio ad evacuationem: modò si velox facta est nutritio, velox quoquè designabitur absoluta digestio, ac distributio, adeoque excrementorum repurgatio, & expulsio.

At qua ratione universim, sc̄iù affatim nutrientia celerem subcant evacuationem, non benè intelligi potest, cūm pleraquè nutriant, & abundantè, nè tamèn celeriter evacuantur: sic carnes melius, & abundantius nutriunt, quam olera, cūm tamèn ista facilitioris sint, & celerioris excretionis; multa alia, ut Spondyli, Locustæ, Astaci, tardius planè concoquuntur, mòx verò in intestinum tenui delapsa statim ventrem mouere solent, & plus quam ratio exigat, egeri. Ova insuper facilis, & citè dicuntur coctionis, multumque nutrire, cūm tamèn

tamèn robustum quid habeant, & inflet, ut dicitur 2. de diæta; Quin & Galenus ipse multa alia in hunc locum congerit, quibus Hippocratis effatū non levibus videatur implexum difficultatibus.

Sed tamèn ipse crediderim, voluisse hic Hippocratem indicare, quod alia phrasí dixerat in lib. de alimento, cibum, scilicet, qui difficultè transmutatur, agrè consumi, qui verò facile alteratur, & apponitur, absumi etiàm facile. Cùm enim refectio virium celerimè habeatur à Vino, vinique spiritu, aut à rebus consimilem naturam participantibus, profectò quemadmodùm ista velociter restaurant, ità velociter quoquè sua tenuitate dissolvuntur. Alimenta pariter tenuiorem substantiam nacta, & labilis appositionis, celeris etiàm sunt difflationis, adhuc per poros Cutis perspiratione. Contrà verò succum sortita crassiorem, compacteremque, sicuti difficilius in Ventriculo dissolvuntur, ità tardius in succum nutritium transmutantur, ocyúsque partibus appunctur, atquè pari ratione seriùs absumuntur, & perspirant. Ceterùm hoc Aphorismo censuit Hippocrates generale quoddam documentum tradere, quo sciamus, quibus alimentis oporteat ægros, & convalescentes reficere, & quibus indicis utiliora internoscamus. At verò à liquiditate, & mollicitate ciborum fallax judicium sumitur facilis, & citæ reflectionis, nàm si Vini spiritum excipias, ipsúmque Vinum, reliqua propemodùm omnia non æquè cùtis conferunt, nèc pari modo se habent, cùm nō desint, qui melius, promptiúsque restaurentur solidioribus, quàm mollioribus cibariis.



## APHORISMUS XIX.

*Acutorum Morborum non omnino sunt certe prænuntiationes aut Salutis, aut Mortis.*

**I**Ntèr alias morborum divisiones, notissima illa est, qua alii Acuti, alii Chronicci dicuntur; cùque acuti ob citam eorumdem solutionem, intrà breve tempus de ægrotantis vita decernant, cuius eventus prælagitio ab ignominia plerumquè Medicos vindicat, nè tamè exindè multùm faciles in prædicendo illi sint, idcirò accuratissimus Hippocrates, ut quorundam Conjectorum impudentiam, arrogantiāmque reprimat, qui etiām à prima die se jaētant morborum exitum prænunciare, hic monet, non omnino certas esse, & infallibiles acutorum morborum vel ad salutem, vel ad mortem prædictiones. Hinc idem Hippocrates lib. 2. prædict., postquam hos deriserit, subdit: *Consulo autem, ut quam prudensissime agant, tūm in reliqua arte, tūm in bujusmodi prædictionibus, illius probè memores, quod si cui successerit prædictio, is apud ægrotum intelligentia præditum in admiratione fuerit; si verò quis aberrarit, suprà hoc, quòd odio habetur, fortassis etiā insanire videbitur; quapropter jubeo, ut cum alias omnes, tūm has prædictiones prudenter faciant, quam sancè & audiam, & videam, nequè judicare rectè homines ea, quæ dicuntur, ac fiunt in Arte, nequè narrare.*

Quinam autem Acuti morbi dicendi sint, alias à nobis est ostensum. Evidèm simùl breves, ac symptomatum magnitudine, & vehementiā sociati esse de-

debent; etenim febres Ephemeræ dictæ, quamvis brevissimæ sint, ob defecatum tamè symptomatum graviorum, acutæ minimè dicuntur; sed & nèc Hydrops, Empyema, Tabes, aliæque ægritudines vehementissimis, perniciossimisque symptomatis conjunctæ acutæ nominantur, quia breves non sunt. Quamobrèm meritò notavit Hippocrates *aphor. 7.*, morbos acutos statim extremos afferre labores.

Undè præterea Morbis accidat acutè lèdere, & ægrotantes affligere, profectò à partis affectæ præstantiâ, & à vitiōsi humoris conditione deducere licet. A partis præstantiâ quidèm, nam hæc diù molestiam, gravēmque noxam sustinere non potest; qua ratione Apoplexiæ, Lethargi, Phrenitides, Syncopes, Palpitationes, ob Cerebri, & Cordis cum vitâ necessitudinem, non multùm protrahuntur. A noxii humoris naturâ verò, qui plerumquè in acutis ægritudinibus sanguini infensus vitæ conservandæ inceptum illum reddit, sive quòd dissolvat, & corruptat, sive quòd cogat, aut aliter inficiat, ut solitus, concretus, effœtusve nequeat tandem motum Cordis tueri. Hæc planè damna sæpenumerò eveniunt è degenerantibus, inversis, corruptisque fermentis Viscerum, quibus sanguis permeans inficitur.

Quoniàm verò Morbi quicunque, inchoant, augescunt, consistunt, & declinant, nedùm intèr initia de illorum exitu certò præfigire nequimus, verùm etiàm fallax judicium, & incerta prædictio erit, quo usque exactè nō constiterint, cœperintque declinare: cùm enim nondùm devicti, pugnantem Causā in Corpore latentem adhuc habent, Vitæ possunt insidias moliri, & ob agendi rapiditatem qua cumquè de causa momento temporis permutantur, &

symptomata, quæ remitti visa sunt, denuò exasperantur, imò quandoquè graviora redeunt.

Hujus incertitudinis causam referunt ferè communiter Interpretes in Humorum peccantium mobilitatem, tenuitatēmque; quoniā scilicet facilè ii de loco in locum feruntur, & quascumquè corporis partes pervadunt, ut propterea chronici Morbi à crassis humoribus progeniti, cùm lentè procedant, soleant facilius, tutiúsque futuri eventus indicia prodere. At potius petenda videtur Causa à motu particularum in sanguine, cæterisque liquoribus fermentescientium, etenim. donèc fermentatio perseveraverit, & in depressionem, secretionemque non desierit, quæ sola salutarem exitum ægrotantibus prænunciat, morbus ipse in ancipiti est: quandoquidem in Coagulationem, aut Resolutionem abire potest.

Adjictum est *non omnino*: nè Medici prorsùs desperent de prognosi; cùm cæteroqui magnam laudē exinde consequi soleant, testimonio ejusdem Hippocratis *primo prognost.* Quare, ut quis rationabilitè conjiciat de successu ægrotantium, docuit Gal. 3. de *Crisib.* 4., ad tria hæc respicere debere, *ad Ideam Morbi*, *ad Magnitudinem*, & *ad Morem*: nempe cuius generis ægritudo sit, quæ symptomata illam comitantur, & nùm à benignis, vel malignis successis ortum ducat. Perpendat etiā sagax Medicus Naturæ vires, an validæ, vel imbecillæ sint, & quidem examinando singulas Corporis operationes, Animales, Vitales, & Naturales. Ab his namquè benè, vel malè se habentibus, levius, graviusque, probabilitè cujuscumquè Morbi eventum conjectabit.

Subditur insuper, *non omnino sunt certæ prænuntiationes*

tiones. Medicina siquidem tota conjecturalis est, & universa conjecturis inheret; quamobrem primo aphor. 1. judicium fallax dicitur. Et Celsus lib. 2. cap. 6. inquit: *Spes ejus interdum frustratur, & moritur abi quis, de quo Medicus securus primò fuit.* Attamen non sunt ex hoc omnino parvifaciendæ ejusmodi Conjecturæ; nam etsi aliquando fallant, sèpè tamèn collimant. Undè idem Celsus. *Sed est tamèn Medicina fides, quæ multò sapientius, perque multò plures ægrotos prodest.*

Postremò quamvis meminerit Hippocrates Salutis dumtaxat, & Mortis, sub his nihilominus aliæ in Morbis mutationes comprehenduntur, ut proinde non modò cauti simus in præfigiendo Salutis, aut Mortis eventu, verùm etiàm omnium accidentium, & mutationum, quæ in morborum decursu contingere possunt. Notavit autem speciatim Acutos, quibus præ brevitate, & impetu, facilior accidit mutatio. At verò chronicæ, cum in longius protrahantur, nèc tam subitam motionem subeant, nèc sine alicujus visceris affectu divexent, certiora, & firmiora signa imminentis quandoquè Interitus proferunt.



## APHORISMUS XX.

*Quibus Juvenibus alvus humecta est, iis senescentibus exiccatur. Quibus verò Juvenibus alvus secca est, iis senescentibus bumecatur.*

**Q**uod Hippocrates has sententias, sicut & pleraquè ferè omnia hab observationibus, atque experimentis potius deduxerit, quam

ra-

rationibus conquerisierit, vel ex hoc liquere potest Aphorismo, in quo explicando tandiù Interpretes allaborant, certam, constantemque rationem exquirentes à vario ætatum temperamento, sicciori, aut humidiori; cùm tamèn exindè oporteret invertere illarum temperaturas, & siccis Senibus humidam, humidis Adolescentibus sicciam temperiem asciscere, adversùs omnium Veterum placita. Sed & nèc tam facile humiditas Juvenibus posset affingi, ut qua de causa lubriciorem alvum aliquandò sortiantur, ratio posset indicari, qui tamèn communi voto calidi siccii statuuntur. Hinc fortassè Galenus in Commentario huic argumento non sisus, longiorem, dixit, rem hanc exigere sermonem, ita ut liber integer necessariò sit futurus: Quamquam de intemperata, aut labefactata facultate Retentrice, & Attractrice Ventriculi, atq; Hepatis, multa etiàm comminiscuntur. Verum tamèn rectè postremò concludit: Quantum autem ad usum Artis attinet, hoc solum scisse sufficiat, quod est ab Hippocrate dictum, etiam si Causa non adjiciatur.

Quamvis ergò res difficilis explicatu videatur, si tamèn ea, quæ ad ciborum confectionē, dissolutiōnēmq; atq; ad excrementorū alvi secretionem, sunt alibi à nobis memorata, hic in memoriam revo-centur, profectò Causæ ejusmodi permutationis in-ætatum varietate rationabilius quæri poterunt.

Ciborum dissolutionem, atq; utilium ab inutilibus partibus secretionem, promovent potissimum cō-fluentes succi illi è Pācreate per Vvirsungi ductum, è Cysti felleā per cholidochum in Intestina: debent autem ita hi naturā esse comparati, ut alter alterum nèc mole, nèc conditione prævaleat, aut exuperet. Si verò felleus humor fortassè præcellat,

&amp;

& acrior, tenuiorq; sit, alvus lubrerior redditur; at contrà adstrictior fit, si præpolleat è Pancreate deductus. Quâdoq; etiàm serosus humor, qui è potu, & humidis cibis derivat, totus ferè in Intestina delabitur, & cum fæcibus commiscetur ad alvi lubritatem; aliquandò verò majori ex parte ad Renes percolatur, & ad Vesicam; undè urina copiofior sit, alvus verò siccior evadit. Quamobrènu experimur in urinę profluiis Ventrem constipari, & fæces durissimas excerni; Hinc dicebat Hippocrates: *multa urina profuso paucam significat dejectionem.*

Cùm itaq; in Juvenibus bilis abundantior gignitur, suaq; viget acritate volatili, qua Pancreatis succum temperet, & moderetur, profectò venter laxior fit; Secùs verò, ubi illa parcior fuerit, aut austerior. Sic quoq; à varia conditione succi pancreatici acidioris, vel falsioris, fluxilioris, aut cōfistentioris, variabit Intestinorum repurgatio. Hinc quotiès felleus humor austerritate alvum in Juvētute constipat, succedente Senectute aquosior redditus eamdem relaxat. Idipsum parcitate, & copia evenit, quibus nimirūm diversimodè afficitur, ac permutatur confluens alter succus pancreaticus; ut proindè egestiones excrementorum ex Intestinis varient pro eorumdem succorum variâ affectione, permutationeq;. Constat autem experimento plurimūm infringi Pancreatis liquorem à Felleo acriori, & volatili; sicùt contrà illum angescere, & exaltari, ubi hic hebes, & effœtus evaserit. Multum etiàm in hanc rem valet habitudo lactearium venarum, an non partes chyli puriores admittant, vel respuant. Indè enim non raro accidit fæces diminui, & obdurari, vel contrà multiplicari, & humescere: quod etiàm ex urina parciori, aut abūdan-

dantiori superiùs cum Hippocrate notatum est.

Constat præterea, felleum humorem plurimum ad alvi exonerationem conferre, ut propterea persuasum sit plerisque, non alia de causa Pueros solito lubriciorem alvum habere, nisi quiæ fæces congerunt multa bile saturas: quamquam Helmontius in Pylori, & fermentorum Ventriculi mutationem ejusmodi varietatem refert, quippe qui creditur Rector omnium operationum, præsertim naturalium.

Quòd autem mutationes ejusmodi, etatum varietate, contingant, planè liquet, cum & coctiones, nutrificationes, secretionesq; pro etatum diversitate, diversimodè habeantur: quo etiam sit, ut sepius numerò, qui in juventute graciles fuerant, in etate consistenti, & senili pinguestan; & qui juvenes obeso fuerant corpore, procedente etate gracilestan: Atque obesorum Alvi plerumq; laxiores esse solent.

Pro Coronide tandem advertere oportebit, quod etiam notavit Galenus hoc loco, hunc Aphorismū non simpliciter, & absolutè esse intelligendum, sed magnâ ex parte, collatis invicem etatibus, ut deducitur ex Aph. 53. *bujus*, ubi nonnisi comparatè in eamdem ferè sententiam concessit. Sed & eadem victus ratione servata, sub eodem Cœli statu, & cum eiusdem exercitiis, nullaq; interea per etates ægritudine suborta, que viscerum fermenta immutaverit, ejusmodi permutationes alternè contingent. Si quis enim, inquit Galenus, in juventute Alexandrinorum victu uteretur, salsis utens cibis, & porris, Zythumq; superbibens; in senectute verò nihil borum assumeret, lentem autem essetare, & vinum austерum potaret, quo pacto diceremus hujus hominis dejectiones etatis ratione permutari? sic & qui in juventute lentibus vesceretur, & mespilis, & vinum austерum potaret;

zaret; in senectute autem victu uteretur Alexandri-  
norum, atquæ ita cum viatu excretiones mutaret, non  
recte ex dejectionibus judicium fecerimus. Sed cum  
omnia alia, non solum quæ ad cibos attinent, paria  
agentur, & dejectiones commutabuntur, tunc rectum  
fieri judicium de his, quæ ab Hippocrate in hoc Apho-  
rismo dicuntur. Hactenùs Galenus. Id ipsum ex Re-  
gionibus, Exercitiis, Medicamentorum usu, atquæ  
ex contractâ aliquâ Viscerum naturalium ægritudi-  
ne, ut de Hypochondriacâ affectione experimur,  
intelligendum est.

*APHORISMUS XXI.*

*Famem Vini potio solvit.*

**N**on eam hic vult Galenus solvi ex Vini po-  
tione Famem, quæ Naturalis dicitur, &  
quæ ex longâ inediâ, vel alvi profluvio,  
fluxu sanguinis, aut aliquâ aliâ, facta est, evacua-  
tione; sed quam Caninam vocant, cum infedabi-  
li ciborum appetentiâ conjunctam. Huic appeti-  
tui Canino adjicere licet Lupinum quoquè, & Pi-  
caceum, quo potissimum Utero gerentes afficiuntur,  
res omnino insuetas, & extraneas appetentes, &  
quem Plinius gravidarum Malaciam nuncupat. Ad-  
dunt alii Bulimon; sed reverâ Bulimos est affectus  
ille syncopticus, qui à fame quidem incipit, sed  
non habet eam amplius adjunctam, ut idem Ga-  
lenus interpretatur.

At quamvis ad Famem morbosam curandam Ga-  
lenus id exponat: nil tamè vetat, quin etiam,

Naturalem à Vini potionē solvi posse arbitremur; imò cùm superiùs de reficiendis convalescentibus Hippocrates meminerit, probabiliùs videtur in illorum gratiam fuisse hunc Aphorismum adjectum, quippè qui à morbis vindicati spontè solent avi-diùs famescere. Hi verò si jejuni meracum Vinum potent, procùl dubio famem solvunt, undè alimen-tum capere nequeentes, deinceps refici non possunt. Constat autèm experimento, etiàm sanos, benéque se habentes ab epoto Vino, illicò relaxari, & cibo-rum fastidium incurrere, si illud dulce simùl, & generosum jejuno stomacho assumant. Atquè hac eâdem ratione fit, ut malè se habeant, qui instante Fame, ac Ventriculo cibis vacuo, aquam ar-dentem bibunt, qua nimirūm non solum fames ip-sa desinit, sed etiàm fermentum ciborum confectioni addictum, dissolvitur, & extenuatur, non si-nè gravioris mali periculo. Cunctis quoquè notum est, voraciores solere esse absteinios, & hydropotæ, citiusq; cibos conficere, quàm œnopotæ; Quam-obrèm Hippocrati Aqua edax dicitur.

Sed quamvis ad quamcumquè famem cōpescen-dam Vinum videatur aptissimum, præsertim merum, & generosum, dicitur tamèn præstatiuum remediū Galeno adversus caninam speciatim appetentiam, & longè efficacius erit, si in illo infundantur, adt decoquantur Salvia, Melissa, Chamomelum majus, Abrotanum. Sunt & alia, quæ idipsum operantur, intèr quæ præstat Anisi oleum, cuius quatuor, aut quinque guttæ cum saccharo exhibitæ, atquè identidèm iteratæ, omnem famem mirabiliter sedant.

Nedum autèm Merum Vinum Caninæ appeten-tiæ adversatur, cùm ex acidiori fermento Ventri-cu-

euli provenit, quod sanè diluere, & emendare va- v. etiām  
Gal. de  
fame  
let sāpius epotum; sed etiām si fortè à Vermibus, ex aci-  
dis hu-  
morib.  
autis  
in cōm.  
qui Platiae appellantur, excitetur. Contigit enim mihi nō multis ab hīc annis obseruare Juvenem quemdam extremā macie confectum, et si avidē, atquē opiparē vesceretur, pristinas carnes recuperat- se, sedatā primū ejusmodi ciborum cupiditate, ab excreto per alvum magno, latōque verme in frusta dissecto, longitudinis ferè palmorum sex, postquam aliquoties assumpsisset pilulas quasdam ex Aloe, & pulvere secundinæ primiparæ juxtā prescriptum Hartmanni; itēque vinum meracum, largius ebibisset, cùm reliqua nihil admodū proficerent.



## APHORISMUS XXII.

*Quicunque Morbi ex repletione sunt, curat evacua-  
tio, & quicunque ex evacuatione, reple-  
tio: & aliorum contrarietas.*

**N**on quamcumquē repletionem videtur hic Hippocrates indicare, sed eam solūm, quæ ex copiosiori ciborum ingestionē est, ut proindē melius vertat Heurnius, *satietatem*; cuius etiam vocabulo usus idem Hippocrates est Aphorismo IV. hujus, ut patet ex græci Codicis lectio- ne. Quamobrèm genuinus Aphorismi sensus erit, morbos à satietate, atquē ciborum ingluvie indu- eos, evacuatione tollendos esse; qui verò eva- cuationem sequuntur, repletione, nēc tamē omni, aut subitā; sed mediocri, ac paulatim promotā, ut ex ali-

alibi traditis colligere est: siquidem evacuationi est protinus per restaurantia succurrentum, sed non tam repente multis, ut obruant; omne enim nimium Naturæ est inimicum.

Verum Galenus non eam tantum hic intelligit repletionem, quæ ex alimentis in Ventriculo fit uberioris ingestis, sed omnem in aliis quoque cavitatibus, & ductibus Corporis inductam. Quare generaliori significatione, per cuiusvis Causæ replenis evacuationem, aphoristicam hanc sententiam exponit. Et quidem par ratio suadere videtur in omnibus, ut quæ Causa Morbum repletione attulerit, evacuatione tollenda sit, & è converso: eam tamè differentiâ, ut in Ventriculo, per vomitum; in Intestinis, aut Mesenterio, per dejectionem, in meatibus urinariis, per diuresim; in aliis ductibus, & conceptaculis, eorumdem reseratione. Atque hinc adjectum videtur: *Et aliorum contrarietas: quæ sanè à Causis petenda est, ut idem Hippocrates docuit lib. de Natura humana, inquiens: Quoscumque Morbos repletio facit, evacuatio sanat, & quicunque ex evacuatione fiunt morbi, repletio. Quicumque verrò à labore fiunt, quies sanat, & quos otium patrit, labor sanat.* In summa, Medicum scire oportet opponere se contrarium instantibus & Morbis, & Naturis, & temporibus, & etatibus, & distendentia solvere, & soluta dispendere. Et inferius subdit: *Curationem morborum ita instituere oportet, ut Causæ morbi nos opponamus.* Id quod passim etiam repetit lib. de Flatib., & 2. Epidem. s. 4. Hac autem ratione componere licebit litem illam jam diù in scholis exagitatam intèr Galenicos, & Paracelsistas de Morborum Curatione instituendâ per contraria, an per similia: quippe si contrarietas per qualitatum op-

po-

positionem in morbis intelligatur, hæc profectò nulla erit. At verò, si rectò medicamentorum usu Causæ morbificæ occurrat, undè tandem Morbus desinat, procùl dubio Curatio habebitur, tamen contrariis putatis, quām similibus; verumtamen similitudo in eo potissimum consistere videtur, quòd per medicamenta Natura, prima Morborum Medicatrix, adjuta, ac vigorata, morbificam Causam efficaciùs adoriatur, & deprimat. Quidquid ergò Causam Morbi corrigit, removet, aut depellit, ipsis contrariari dicetur, sive cæteroquì similia, vel dissimilia, consentanea, vel dissentanea re ipsa sint, qualitate, conditione, naturâ.

Quamvis autem dixerit Hippocrates morbos ex repletione factos evacuatione sanari, si tamèn ista non persistat, & proximè illos foveat, haudquaquam evacuantibus desinent. Sic Calculi Renum, ac Vesicæ, ex ciborum satietate, atquè adeò ex cruditatibus progeniti, itemque Tumores, Obstructiones, Febres, nequaquam curabuntur solâ Ventriculi inanitione, sed necesse erit aliis, aliisque remediis calculum conterere, vias aperire, diaphoresim, vel diuresim movere, ut Curatio absolvatur. Itaque conferet solùm inanitio, persistente Causa in Ventriculo, aut in Intestinorum ductibus, quæ Morbum inducat, vel foveat; cæterum in aliis, evacuaciones, potius præcavendo, quām curando conferent.





## APHORISMUS XXIII.

*Acuti Morbi in quatuordecim diebus judicantur.*

**A**CUTOS morbos anteà diximus eos esse', qui simùl cum brevitate symptomatibus consoliantur vehementioribus. Horum autèm terminum constituit hic Hippocrates dies quatuordecim, sive ad salutem, sive ad mortem desinat, si propriè acuti sint, simplicitè dicti, nullâ interea mentione factâ acutorum ex decidentiâ, qui ad quadragesimum producuntur, nequè peracutorum, & acutissimorum, qui intrâ limites quatuor, aut septem dierum, finiuntur; Atquè hinc, forte non dixit Acutos decimaquarta die judicari, sed in diebus quatuordecim, ut nimirum designaret, citrà, non ultrà hoc tempus illorum judicium protendi, sed tamè & undecimo, & nono; & septimo, criticè desinere posse. Qui verò ultrà decimumquartum diem, sed intrâ quadragesimum judicantur, si conferantur ad eam, in qua exaci cœperunt, diem, terminum quoquè quatuordecim dierum prætergredi nec invenientur, atquè hac ratione ad decimum-septimum, vigesimumprimum, aut vigesimumoctavum producti observabuntur: quippè multi morbi debiles intè initia comparent, deinde quarto, septimo, undecimo, aliisque vehementiores fiunt, hi profectò ex prima sui invasione, judicari videbuntur ultrà quartumdecimum, sed à die exacerbationis, & sensibilis acutiei, atquè continuatatis, adhuc intrâ eundem terminum quatuordecim dierum, vel ad

ad salutem , vel ad mortem desinent , vel saltēm  
in chronicorum naturam declinabunt ; Omnes itaq;  
(ut hic benè advertit Galenus ) qui duas septima-  
nas velociter moventur , nunquam ad exteriorem  
terminum progrederi invenientur .

Dixit autem *judicari* Hippocrates , quoniām extre-  
mū terminū acutorū designare voluit , cùm illi per-  
fecta Crisi absolvuntur , & desinunt , eventu salutari ,  
aut lethali . Unde de Tertiana exquisita scripsit 4.  
*aphor.* 59. septenis circuitibus *judicari* . Porrò si ul-  
teriū protrahantur , id ab imperfectis evacuationi-  
bus , vel ab importunis remediis , erratisque in vi-  
etus genere , causæ morbificæ secretionem , & crisim  
impedientibus , aut prævertentibus , accidet .

Sed quare Acuti morbi intrà dies quatuordecim  
finiantur , causa in promptu est , velox eorumdem  
motus , atquè cita ad vigorem properatio ; cùmque  
ejusmodi impetum , symptomatum acerbitatē ,  
atquè morbificæ causæ violentiam diù Natura suf-  
ferre non possit , alterum ex duobus sequetur , vel  
quòd impotens ipsa succumbat , vel quòd valida  
præcellat , atquè per crīsim Morbum , morbique cau-  
sam vincat , & exturbet . Atqui humores acutos  
morbos excitantes ultrò tenues , mobiles , & facilē  
fermentescentes cùm sint , citò commoventur , &  
permutantur , citoque sponte sua non ra-  
rò exolvuntur , nisi aliundè con-  
creverint , potissimum per er-  
rata in victus ge-  
nere .





## APHORISMUS XXIV.

*Septenorum quartus est Index : alterius septimana octauus principium . Est autem & undecimus considerandus , ipse enim quartus est secundae septimana . Rursus verò & decimusseptimus considerandus , ipse siquidem quartus est à quartodecimo , septimus verò ab undecimo .*

**D**ies in decursu Acutorum Morborum observabiles enumerat in hoc Aphorismo Hippocrates , in quibus Crises præsignari , atquè accidere solere ferè communiter creditur , adeo ut nulla Crisis salutaris putetur , quæ non die Critico fiat , atquè in die Indice non sit prædemonstrata .

Quoniām verò septenariis solum illa salubritèr affingitur , recensentur idcirco intèr Criticos septimus , decimusquartus , vigesimus , aut vigesimusprimus , vigesimusseptimus , aut vigesimusoctavus , trigesimusquartus , & quadragesimus . Intèr hos verò medii , Indices , & contemplabiles appellantur , ut quartus in prima hebdomade , undecimus in secunda , decimusseptimus in tertia , & sic deinceps , in quibus scilicet si coctionis indicia præluceant , futura Crisis post quatuor dies portenditur .

Tanta autem Indicibus his , & Judicibus diebus vis hactenùs est præstata , ut evacuationes quascumquè in his evenientes solummodo commendent , in ceteris verò damnent , tanquam perniciosas , vel saltēm infidas . Hinc idem Hippocrates apb. 36. 4. notavit sudores in aliis fortassis diebus , præterquam in his contingentes , morbi longitudinem , & recidivam

divam significare. Et Galenus valdè demiratur, quomodo Larissæa mulier non recidisset, quæ sextâ die judicata fuerat, cùm cæteroquì sextus dies ab eodem Tyranno comparetur.

Verum si exactam tūm Indicum, tūm Criticorum dierum rationem ab illorum fautoribus exigere velimus, procùl dubio inveniemus æquè fore, ac Climactericorum Annorum commentitiam. Et quidèm quî fit, ut quartus Index esse possit, cùm in illo accessiones febrium vel non accidant, vel non ingravescant, cùm tamèn criticæ motiones nonnisi in febrium paroxysmis fiant? Quomodo octavus principium evadat secundæ septimanæ, cum quo aliæ accessiones per dies impares succedentes nullam rationem ineunt, idque potissimum in intermittentibus tertianis? Quo etiàm pacto criticus decimiquarti diei motus præsignari possit ab undecimo, cui febriles paroxysmi non respondent? Quomodo insuper decimusseptimus quartus dicatur à quartodecimo, qui terminus est secundæ septimanæ? & quomodo idem decimusseptimus Index esse possit vigesimi, & vigesimiprimi; sicut & vigesimusquartus, vigesimiseptimi, & vigesimioctavi? Præterea cùm ex Hippocrate 1. *epidem. s. 2.* Morbi, qui per dies impares exacerbantur, in imparibus etiàm judicentur, quomodo judicari deinde possunt in diebus paribus, decimoquarto, vigesimo, vigesimooctavo, trigesimoquarto, quadragesimo? quod etiàm animadvertisit Galenus 4. *aphor. comm. 61.* Et si per septenarios circuitus critici sunt, cur est, ut vigesimus, vigesimusseptimus, trigesimusquartus, & quadragesimus critici etiàm statuantur? quinimò transacto quadragesimo, ad vicenos dumtaxat referantur, ut LX, LXXX, C, CXX? Quæ sanè adeò Galeni mē-

H h


tem

tem extorsere, ut illum coegerint, nedum uni diei duplarem faciem appingere, alteram præcedentibus, alteram succendentibus hebdomadibus, sed etiam numerum, ordinemque prævertere, illasque in longius protrahere, aut vicissim, ubi oportuerit, decurtare. Configit is propterea ad Lunæ motum, qui velocior, & tardior, ad Zodiaci signa relatus, cum sit, velocius proinde ejus quadrantes peragrans, vigesimum, & vigesimumseptimum ad Crism disponat; in tardiori vero motu, vigesimum primum, indeque vigesimumoctavum, criticos efficiat. At hoc pacto sextus, & octavus, decimus tertius, & decimus quintus, similisque dies, pari ratione Critici esse poterunt. Sed & nec mensis, quem ipse compositum fingit, ex Synodico, & Periodico, aut quæ Illuminationis appellat, assignato criticorum dierum computo benè quadrat, cum alicubi is etiam exceedat, alicubi deficiat.

Hippocratem præterea ipsum, si in ceteris suis operibus consulamus, varium planè comprexiemus, quippe qui omnibus diebus crises accidisse commoret. Primo enim epidem. comm. 3.1.14. hæc habet; Est autem primus decretarius circuituum, qui diebus paribus judicant, quartus dies, deinde sextus, decimus, decimus quartus, decimus octavus, vigesimus, vigesimus quartus, vigesimus octavus, trigesimus, trigesimus quartus, quadragesimus, sexagesimus, octogesimus, & centesimus vigesimus. Ex circuitibus vero in imparibus diebus judicantibus, primus est dies tertius, deinde quintus, septimus, nonus, undecimus, decimus primus, vigesimus primus, vigesimus septimus, & trigesimus primus, &c. In die sexto judicati referuntur Virgo Larissæa, Heraclides, Eurianactis filia, peregrinus quidam Adolescens, aliquique plures: Et Gorgiæ uxor

uxor in quadragesimoprimo: Fulloni in Syro phrenitico decima octavâ die Morbus remisit; & Polycrati in quindecimâ: Decimo die Pythio judicatus est, & Hieron in decimo quinto: Scribit quoquè 4. epid. t. 11. in his temporibus sextâ, & octavâ, judicabantur omnia circa Plejadum occasum. Et 1. epidem. sect. 3. multi morbi judicabantur perfectè decimo octavo. Sic pariter alios, & alios memorat, & paribus, & imparibus diebus, adhuc extrâ Criticorum dierû seriem ab ægritudinibus salubriter evasos, ut latius alibi minimus. Quamobrem jure optimo Celsus ex sententiâ Asclepiadi vanam statuit Criticorum dierum observationem, atquè oportere Medicos non dies in Morbis numerare, sed ipsas accessiones intueri.

Ad Hippocratem autem hoc loco Indices, & Juges dies memorantem dicemus, voluisse illum Veterum in hac re morem sectari, qui multum his credebant; adeoque potius ex aliorum mente, quam ex propriâ sententiâ, eos exscripsisse, nec tam omnes, sed præcipios, in acutis vehementioribus, veluti criticas motiones frequentius subeuntes, & finem morbis imponentes.



### APHORISMUS XXV.

Aestiva Quartana magna ex parte breves, Autumnales longæ, & maximè quæ Hyemem attингunt.

Febrium brevitatem, aut longitudinem à natu-  
râ, & conditione fermentorum, sive peccan-  
tium humorum, præter loci, aut affectæ par-

tis habitudinem, oriri, in confessu est apud omnes. Quemadmodum enim Vinum, pro variâ sui conditio-  
ne, consistentiori, aut tenuiori, citius, vel tar-  
dius fermentationi subjicitur, ita sanguis fermenta-  
tione indebitâ subactus in febribus, ex varietate  
succorum, qui cum illo commiscentur, celerius, vel  
serius, inutilibus, & excrementosis partibus exuitur;  
undè breves, vel longæ ægritudines suboriuntur.  
Ejus certè generis febrile fermentum in Quartanis  
est, ut acore, & glutine tenacius hæreat, & non  
nisi post longum tempus edomitum secernatur, cor-  
rigatûrque, quod fortassè suggestur à visceribus mor-  
bosâ diathesi affectis, veluti Pancreata, ut existi-  
mant Sylvius, & Graëffius; aut Liene, ut alii cù  
Galen arbitrati sunt, cæterisque visceribus imi-  
ventris, quæ sanè plura, & varia esse possunt, cù  
ex alibi probatis, non unus specie humor Quarta-  
nas, aliásque periodicas febres pariat, sed multi-  
plex, & varius esse possit, modò statutis interval-  
lis colligatur, moveatur, & præter naturam fer-  
mentescat.

Quartanæ ergo febres suâ naturâ diuturniores, ma-  
gnâ ex parte breves fieri solent, si æstivo tempore  
accidunt, cùm scilicet ob Ambientis æstum illarū  
causa attenuatur, & per Cutis poros patentiores  
facilius evaporat. At si in Autumnum incident,  
quo tempore pori cutis constipantur, sanguis minus  
fluitat, inæqualitates vigent, & excrements sunt  
cumulatiora, longiores procùl dubio evadunt, & eo  
magis si Hyemem attigerint, quæ nimio frigore su-  
dores supprimit, motum sanguinis tardiorē efficit,  
humores crassos, & febrilia fermenta reddit longè  
difficilius exsolubilia.

Quamvis autem Hippocrates Quartanarum febriū  
so-

solummodo hoc loco meminerit, solent tamè & reliquæ febres, imò plerique alii morbi, cùm ex Autumno in Hyemem excurrerint, fieri diurniores, qui sanè per æstatem breviarentur. Ea enim est Aëris, qui nos ambit, vis, & efficacia, ut, præ cæteris causis humana Corpora alterare valentibus, primas obtineat; quamobrèm secundùm varias illius affectiones, diversimodè quoquè illa afficiantur; undè expérimus tempestatū mutatione quasdam ægritudines desinere, alias invadere, siquidèm non modo extimo contactu, verùm etiàm inspiratione, intimas Corporis partes pervadit, & cum sanguine ipso commissus plurimùm valet, vel inficere, vel emendare. Accedit summa illa utilitas, quæ ex perspiratione est, quæque promota multas ægritudines delet, impedita advocat, vel confirmat. Sudores etiàm tantoperè conducibiles in febribus, aëris calore plerumquè promptè emanant, algore verò reconduntur.

Verùm animadversione dignum videtur, hæc ex Hippocrate memorata tūm potissimum accidere, cū Anni tempora suas proprias, debitas, suetásq[ue] servant constitutiones: nàm si fortassis Aestas à suo calore defciscat, Autumnus verò exæstuet, procùl dubio ea, quæ hic ab Hippocrate sunt proscripta, non rectè experimento cohærerent. Sed & Quartanæ ab infarto viscerum progenitæ hoc Aphorismo nequeunt comprehendendi, quippè quæ sive per Aestatem, sive per Autumnum minimè curabuntur, nisi priùs obstructa Viscera fuerint referata.

Tametsi autem Quartanæ febres longissimæ hactenùs putatae, atquè à prioris ævi Medicis ferè immedicabiles creditæ, veluti per exemplum chronicorum morborum ab Hippocrate hic recenseantur,

nostrâ tamèn ætate tâm citò, ac tutò fugari solent, ut hinc liquidò patere possit, quâm hæc Veterum, in Medicinâ faciendâ, temporibus præcellant. Et sanè, præsentaneum adversùs Quartanas remedium, nuperrimè inventum est, Cortex Peruvianus, ex Vino, vel aliquâ aquâ medicatâ, aut etiâm in formam pilularum cum Theriacâ veteri, similive confectione exhibitus. Nequè solùm in Quartanis, sed etiâm in Tertianis, cæterisque intermittentibus febribus, cùm primùm sunt invasuræ, utiliter adhibetur. Quinimmo compertum habemus, adhuc cōtinuas, si opportunè offeratur, infringere, atquè intercipere, etiamsi mali moris illæ sint, nullumque catharticum præmissum; modò dies aliquot præterierint, quibus febrile fermentum fuerit quodammodo extenuatum, exagitatum, aut dissolutum. Sed tamèn in his oportebit, nedùm ingruente paroxysmo, verùm etiâm quotidie manè per horas tres saltèm antè cibum cum antidotis permiscendum iterare.

Quoniàm verò Cortex iste gustu amarus percipitur, & parumpè astrictorius, pleraquè alia consimilem saporem cum aliquâ astrictione naæta, idipsū posse efficere Medici suspicati sunt, & felici quidem successu, veluti Radices Gentianæ, Contrayervæ, & Cardui benedicti, itemque libri Persicæ arboris, & induvia Cupressi, nec non cortices Mali Aurei, quibus aliquandò memini me parasse pulverem, Peruviani corticis succedaneum, sumopere periodicis febribus intermittentibus conferrentem. Sunt prætereà alia plura ab Authoribus commendata: Myrrha ex Matthiolo ad drachinam unâ in Vino veteri, & generoso per horam antè accessionem: Vinum, in quo ebullierit Piper, Cin-

na-

namomum, & Macis : Elixir proprietatis simplici infusione paratum in spiritu Vini : Extractum Centaurii minoris : Pulvis Zedoariæ, Galangæ, & Zinziberis, singulorum drachma una : Antimonium dia-phoreticum, Bezoardicum Minerale, Joviale, vel Martiale, & similia. At quid plura? Sunt etiā Recentiores adnisi, Emplastris, aut Linimentis, febres istas fugare, ut alibi est à Nobis memoratū. De inopino Timore, qui diutinas Quartanas s̄ep̄fimē tollere visus est, id solum adjiciam, quod quemadmodū per ipsum fæces, urina, sudores sponte suā, laxatis ductibus, profluunt; ita febriū intermittentium fermentum, cū int̄ initia paroxysmorum commovetur, facile discuti, atquè à partibus, quibus fortè hæret, eodem subito, ac violenter incusso, seponi, & repurgari potest.



## APHORISMUS XXVI.

*Febrem Convulsioni supervenire melius est, quam Febri Convulsionem.*

**F**ebris non est Morbus, ut vulgo creditur, sed ejus beneficio morborum Causæ subiguntur, ac debellantur; Morbi enim ab humoribus pēdentes, febre vacui, longiores plerumquæ observantur, qui per eam cæteroquin plurimū subacti breviarentur. Sic Apostemata, Catarrhi, & quæcumquæ ex lentis, crassisque succis progenitæ egritudines, maturationi promptius subjiciuntur febre superveniente; utque omnes ferè Causæ morbosæ citius egerantur, Natura febrem concitat; nec unquam crises evenient,

rent, febre vehementi non promotâ : ea enī internus motus Naturæ est, secernere, & expurgare conantis, quidquid ipsi aduersum insolescit in Corpore. Non sunt itaque Febres suâ naturâ malæ, sed prout Causam Morbificam in Corpore latentem, ac Vitæ infensam, arguunt, undè operationes cunctas depravari contingit, & de exitu periclitari.

Febris ergo commodū considerans in hoc Aphorismo Hippocrates, ait, prestare illam Convulsioni supervenire, quam vice versa. Febris etenim Convulsioni superveniens Naturam designat contus suos adhibere in exsolvendâ, depellendâque materiâ, quæ Convulsionem parit: excitatâ scilicet in humoribus, nervos, & musculos affientibus, fermentatione, per quam discussi, extenuatique, extrâ Corpus, vel diaphoresi, vel diuresi, propelluntur. Hinc idem Hippocrates 5. aphor. 5. inquit: *Si ebrius quispiam repente obmutuerit, convulsus moritur, nisi febre corripiatur.* Et 4. aphor. 57. *Qui à convulsione, aut distensione nervorum tenetur, febre superveniente, liberatur.* Et lib. de locis in homine: *A convulsione, si febris invaserit, sedatur eadem die, aut sequenti, aut omnino tertia.* At verò Febri superveniens Convulsio causam febrilem designat tantæ pravitatis, ut nèdum febrim concitando Naturam exagitet, sed & Cerebrum, & nervos divexando, convolutionem inferat; adeoque utilitas, quæ ex febre fortasse speraretur, cedat in noxiā, si eadem die, quā invadit, non remittat, & febrem terminet, ut dicitur lib. Coacar. prænot. Hinc non dixit Hippocrates bonum simplicitè esse, sed melius; nam aliquid mali adhuc per Febrim Corpori accessisse denotatur, quod Naturā non leviter lacescat: quamquam etiam ex febre nervorum succus cum fibris notabilitè

bilitèr exarescit, undè supervenientem Convulsionē vereti licebit ortam ex inanitione, documento ejusdem Hippocratis 6. *aphor.* 39. Eam verò restaurare est omnino difficultimum. In Pueris autem hæc omnia sempèr evadunt mitiora, quippè qui ex qua-cumquè levi causa convelluntur, modò id Cerebri vitio non patientur.

Plerique Interpretes non quicunque Febrem Convulsioni supervenientem hic volunt Hippocratē utilem existimare, sed tantummodo de genere Quartanarum, quarum superiori Aphorismo mentio est habita: idque potissimum ex eo, quiā *aphor.* 70. *Quinti* dicitur. A Quartanis capti non admodum convulsionibus corripiuntur; si verò priūs capiantur, & Quartana supervenerit, liberantur: utræque enim ab uno, eodemque humore acido videntur ori-ri, qui sive inferiūs deponatur, sive per corporis concussionem dissolvatur, sive etiā sudore, aliave evacuatione egeratur, nequit in Quartanis febribus nervorum fibras laceſſere, & convulsionem excitare. Eadem ratione accidit, nèc Comitali morbo corripi Quartanarios, & correptos per ipsas sanari. Verum crediderim alias quoquè febres convulsis profuturas, modò leviores sint, intermittentes, & symptomatis vehementioribus exutæ, quæ nimis levè fermentatione, blandóque calore, humores ner-vos replentes, aut vellicantes, sensim valeant sol-verè, ac per sudorem potissimum amandare: quam-obrèm quos febris minimè apprehendit, prolecto in hypocaustis sudore, feliciter curare solemus.

Disceptant autem Medici, an tutò liceat in Convulsione, Paralysi, aliisque Nervorum affectionibus febrim excitare? Et quamvis non desint, qui af-firment, eo argumento ducti, quod possit Medicus,

ut Imitator Naturæ , prosequi , aut tentare , quæ Natura ipsa salubritè agere consuevit : Ipse tamèn opinor , medicamenta quidèm extenuantia , atquè diaphoresim moventia posse , deberèque exhiberi ; minimè verò ad febrem usquè : Non enī quod salubritè Natura promovere solet , potest tutò à Medico excitari , ignoratâ præsertim agendi opportunitate , quantitate , & qualitate medicamenti , atquè viâ , per quam utilitè educendum est : sic non sempèr ab exhibito purgante medicamento evacuatio succedit , qualis , & quanta spontè Naturæ cōtingeret ; nèc ab epoto sudatorio certa spes est futuri sudoris : Profectò nisi remedium assumptum Naturam habeat adminiculantem , vanum , irritūmque erit , imò quandoquè etiā nocuum . Atqui eā , quâ decet , dexteritate ejus generis medicamenta præbere , quæ febrim afferant convulsis profuturam , omnino difficillimum . Poterimus ergò solùm ipsis opitulari , medicamentis attenuantibus , & diaphoreticis , quæ sub nomine Ignis , & Febris , fuere ab Hippocrate commemorata . Cæterū etsi febris juvamento esse soleat convulsioni , non tamèn datâ operâ illa concitanda est : sicuti nèc gelidis liquoribus perfundenda sunt membra affecta , licet idem afficerat 5. aphor. 21. , Tetanum Aquæ frigidæ multâ profusione sanari .

At juvamen multo securius sperare licet à specificis remediis . Idem Hippocrates lib. de locis in homine pro curatione Convulsionis hæc affert : Convulsioni sic mederi oportet . Ignis ab utraqùe lecti parte succendatur , & Mandragoræ radix in potu præbeatur , minore pondere , quām quod insaniam facit ; & ad tendines posteriores sacculi calidi imponantur . Sed non solùm Mandragoræ radix huic morbo medici-

<sup>2. præ-  
rhet; &  
1. epi-  
dem.</sup>

dicina est, sed omnia simplicia ( ut testatur Petræus in *Nosol. Harm.* ) in aquis crescentia convulsa membra restaurant. Referunt Botanicorum plerique Nymphaëam flavo, & albo flore, ad umbram arefactam convulsione laborantes brevi tempore sanare, si letto, vel parieti, ubi illi jacuerint, suspendatur. Id ipsum alii præstare ajunt radicem Imperatoriæ majoris in vino decoctam, & epotam. Liquor ille elicitus ex Theriacâ in tincturâ spiritu Vini secundum Artem exactè deductâ, atquè simili unâ cum spiritu Cornu Cervi, & Vitrioli in digestione detentus, mòx verò à guttis xxx. ad Lx. in juscule calido mane, & vespere exhibitus summoperè conferre dicitur. Castorei etiàm essentia cum aquâ salviæ misericè prodest, nèc non pulvis ejusdem Castorei ad scrupulum semis in vino. Spiritus sanguinis ad guttas aliquot epotus efficax quoquè est. Non minoris efficaciæ creditur spiritus Cerasorum nigrorum, Elixir magnanimitatis, Aqua picarum, & hirundinū, Magisterium succini, Sal volatile ejusdem, Extratum ligni visci quercini, idque genus alia, cum litoris per spinam habitis ex oleo Lavendulæ, Castorei, Salviæ, Rutæ; Unguento nervino, Galbaneto Paracelsi, aliisque, de quibus latius in nostrâ Praxi.





## APHORISMUS XXVII.

*His , quæ absq[ue] ratione levant , non oportet fidere ; neq[ue] multum formidare mala , quæ præter rationem eveniunt : talium enim multa habilia non sunt , neq[ue] multum durare , & permanere consueverunt .*

**L**ibenter assentiar his , qui malunt sermonem hunc esse referendum ad signa , & auxilia , quām ad ægros , ut propterea legant : *His , quæ sīnē evidenti ratione , certaque causa , levant , fidere non oportet .* Sic enim clarior fit sensus Aphorismi , quo fidendum non esse his admonemur , quæ absq[ue] causa manifesta videntur allevasse . De Hermodrate ægroto 2. sect. 1. 3. Epidem. hæc scribit idem , Hippocrates : *Circā undecimam omnia visa sunt allevata : sopor cœpit . Decimaquarta à febre liber , non sudavit . Circā decimam septimam rediit febris . Rursus autem vigesima die judicatus est , à febre liber , non sudavit , cibum fastidiebat per totum tempus , resipisciebat , loqui non poterat , lingua arida non stiebat , dormiebat soporosus . Circā vigesimam quartam calefactus est , & sequentibus diebus febris acuta . Vigesima septima moriūs est . Hinc in Coacis prænot. brevius consimilem sententiam protulit . Qui morbi cum malis signis levantur , & qui in bonis non remittunt ; difficiles .*

Dicuntur autem allevationes absq[ue] ratione esse , cùm criticam evacuationem non sequuntur , vel si fortassis illa præcessit , diminuta , & imperfecta fuit , nèc per eas vias , per quas fieri oporteret , aut nō ejus humoris , qui expurgandus est . Hac de causa dejete-

dejectiones in morbis pectoris non conferunt: stillæ sanguinis in febribus pravitatem indicant: sudores frigidi in internis inflammationibus lethum portendunt: idque genus alia. Si præterea absq[ue] ullâ evacuatione videantur Morbi ab humoribus pendentes declinare, & subito remitti, procùl dubio redibunt, & fortassè impetuosiores; quoniàm illorum Causa ejœcta non est, sed in Corpore latens, fieri non potest, quin denud resurgat, & vehementius invadat. Ejusmodi ergò mutationibus, quibus ægreditur melius se habere, haudquaquam oportet fidere, quoniàm allevamenta hæc stabilia non sunt, & persistente adhuc in corpore causa morbifica, necesse est, ut morbus redeat, non sinè vitæ periculo. Indubitatum porrò est eatenus morbos, morborūmque symptomata duratura, quoàd Causæ eorumdem non fuerint è Corpore penitus eliminatæ.

Verum enim verò visæ sunt aliquandò Febres, imò & Pleuritides, ac Anginæ, aliisque similes ægritudines ex humoribus progenitæ, spontè, ac sinè ullâ sensibili, & manifestâ evacuatione salubriter defuisse citrâ recidivam, aut alterius morbi impetum: forte quiâ soluti, atquè attenuati insensibilitè perspirarunt. Hinc, ut in his judicium rectè feratur, perpendere oportebit, nùm Morbus omnino desinat, simûlque symptomata omnia recedant: ipsis enim penitus ablegatis, indicio erit, Causam quoquè morbi funditus fuisse deletam. At verò si unum, vel alterum perduraverit, de regressu morbi timendum.

Quemadmodùm non fidendum iis, inquit, quæ absq[ue] ratione fiunt, itâ non metuenda mala subdit, quæ præter rationem eveniunt, cujusmodi sunt symptomata crises comitantia, & antecedentia, de quibus superiùs meminit *Aphorisi. XIII.* Cùm enim hæc

hæc accidunt ex instantे Crisi , instabilitia meritò dicuntur , scilicet quia mòx ab illa desinunt . Quod si præterea perdurarent , non omnino parvifacienda forent , utpotè aliud quid indicantia , quam quod ex motu Naturæ critico contingere solet . Utraquè autem debent Morbo , morbique Causæ responde-re , nè spes infida sequatur .



### APHORISMUS XXVIII.

*Febricitantium non omnino leviter permanere Corpus , & nihil minui ; vel etiam plusquam ratio postulat , contabescere ; malum : Illud enim morbi longitudinem , hoc verò imbecillitatem significat .*

**D**agnosticus simùl , & Prognosticus est hic Aphorismus , cùm eo mala in febricitantibus nuncientur , sive Corpus plus iusto cōtabescat , sive nihil minuatur à febre ; Siquidèm in priori casu imbecillitas , in posteriori morbi longitudo designatur .

Hæc autem signa in febricitantibus tantum nota dixit , fortè quia febricitantium Corpora maiorem pati solent carnium consumptionem : Nequè ex quacumquè levi febre , putà diariâ , similive , sed ex paulò graviori ; Unde speciatim addidit : *nō omnino leviter* . Si namquè febris omnino levis foret , nullum ex non contabescente Corpore judiciū sumere liceret , quoniā à levi febre , nil mirum , si non gracilesceret , & permanentem sui constitutionem servaret . Sed & nèc vehementissima illa sit , quippe quæ facile , urenti calore , vigiliâ , dolore , nau-

nauseâ, dejectione, possit extenuare. Quare media esse debet intèr utrasquè.

In hoc itaque febrium genere, cùm Corpora nihil gracilescunt, imò in eâdem carnium habitudine consistunt, Morbum indicio est fore longum, veluti à crassioribus succis dependentem, cum solidâ partium constitutione, quæ non tam facilè absuntur. At contrà si eadem sensibilitè emaciatur, tenues humores, imbecillam membrorum texturam, languidâmque temperaturam designant.

Quoniàm verò Morbi longitudini opponit Hippocrates Corporis imbecillitatem, suspicari fas est, quidpiam aliud in textu subintelligendum, ut ex humoribus consistentioribus, & crassis, in texturâ Vilcerum firmiori, marcor nullus ex febribus non levibus appareat; atquè in constitutione carnium molliori, debiliorique, macies prætè rationem manifestior videatur, ex pravâ morbificæ Causæ conditione; proindéque non irrationabilitè adjici posset, ab immodicâ Corporis contabescentiâ, nedùm ejusdem imbecillitatem significari, sed & Morbi, morbosæque causæ pravitatem, quæ & nutricationem impedit, & membra jàm nutrita inficiat, & emaciët. Hac planè de Causa experimur, ex febribus malignis statim intèr initia foedari Cutim, Oculos excavari, liquari carnes, & faciem fermè cadaverosam apparere. Isteiusmodi autèm vitia plerumquè ab infecto sanguine oriuntur, undè mala reliqua derivant.

Adjectum est tamèn: *plusquam ratio postulat*, nèc immerito: quoniàm aliqua extenuatio in febrentibus perpetua est. Atqui Hippocrates eam solùm hic considerâdam voluit, quæ modum excedit, estq; plusquam febris ipsa exigit, ut si levis cùm videatur,

tur : brevi tempore multum consumat ; si statim à principio , si citrà evacuationes , per alvum , aut vias urinæ , sudores , inediā , vigilias , aliásque causas extenuare valentes , in tabem Corpus deducere obser-vetur . Profectò cùm , præter ejusmodi causas , Cor-pora febricitantium contebescunt , signum est majo-rem , quām oporteat , fieri insensibilem perspiratio-nem , sanguinem , & Carnes plurimū exolubiles esse , sicut & poros cutis laxiores ; undè sequitur necessariò Corporis imbecillitas cum virium jactu-râ .

Quibus deniqvè auxiliis , his malis occurrere pos-simus , morbi nimirūm longitudini , cùm Corpus ex febre nihilum minuitur , ejusque imbecillitati , cùm plurimū contabescit , facilè ex adjectâ Causarum distinctione palam fit : etenim crassos humores at-tenuare , atquè incidere conabimur , & reseratis intereà ductibus , illos educemus per loca conferen-tia . Virium languorem , & Carnium laxitatē , quoad fieri poterit , roborabimus , adhibitis quoquè , prout res ipsa postulaverit , alexipharmacis medicamentis .



### APHORISMUS XXIX.

*Cum Morbi inchoant , si quid movendum videtur , move ; cùm vero consistunt , ac vigent , melius est quietem babere .*

**M**Orbi non raro , cùm inchoant , ab humo-ribus pendent , qui in primis ductibus con-sistunt , nèc dum in arterias , & venas per-manarunt : quandoquè etiā multi sunt , atquè ad exi-

exitum parati, ut quocumque levi auxilio promptissimè egerantur. Hos autem, antequam Naturam opprimant, interiora viscera inficiant, & graviora patiant symptomata, monet Hippocrates, statim inter initia, nè altiores figant radices, posse promoveri. At verò ubi consticerint, quiescere satius esse putat.

Ee quidem Morbi in principio esse dicuntur, cū nō dum vires per symptomata adepti sunt: Quamvis nonnulli primos tantum tres, vel quatuor dies, ex eodem Hippocrate interpretentur, qui 4. acutor. 64. Hos si ab initio, inquit, purgare volueris, id ante diem quintum facito. Cū tamēn tamulæ Aristidis<sup>4. Epis. dim.</sup> idem Auctor purgans medicamentum propinaverit, & Anakioni sanguinem detraxerit, octavā die<sup>3. Epis. dim. 5.</sup>

Cū dixerit Hippocrates: se quid videtur mouendum, move; Galenus in commentario Venæ sectionem, & Purgationem interpretatur, quarum opus diminutâ materiâ, facilius, quod superest, possit Natura concoquere. Sed cohærenter his, quæ aliâs superiori libro sunt recensita, illa videntur mouenda, quæ coctionem, secretionemque promovere possunt, & per quascumque vias disponere, ut, si Orgasmus adsit, vomitus, vel dejectio tentari debeat, præsertim cū humores ad alterutram evacuationem inclinaverint, occupaverintque primos ductus. Hinc Hippocrates non dixit, simplicitè, & omnino mouendum esse, sed si videatur prudenti Medico, faciendum. Quare non perpetuò edocet ejuscemodi evacuationes promoveri oportere, sed cū occasio tulerit, sintque humores ad exitum dispositi, nè præterea solis purgantibus, & catharticis, sed iis omnibus, quibus congruentè Nature moventi succurrere valeamus. Cæterum ipsem Auctor 1. aphor.

24. existimavit, raro, & in principiis, medicinis purgantibus licere uti: idque si aliquando fieri necessum sit, maximâ cum præmeditatione faciendum.

Quod initiantibus morbis movendum consultit, dehortatur, cum consistunt, ac vigent, atquè ad augmentum, & statum pervenerint: his enim temporibus Natura maximè à symptomatis tunc ingruentibus affligitur, vires languescunt, & coctio, ac secretio, quæ tantoperè desideratur, usū medicamentorum, præsertim purgantium, plurimum interturbatur. Verum tamè non omnino malum esse ait aliquid moveare, sed solum melius esse, si per id temporis quiescamus, nam si fortasse necessitas urgeat, vel opportuna agendi occasio præstetur, nil prohibet, quia & per eadem tempora moveamus: Indicationes enim operandi non à temporibus, sed à motu Naturæ, ab indicantium dispositione, & virtutis robore, sumuntur.

Quamvis autem de Morbis omnibus sententiam hanc protulerit Hippocrates, magis tamè illa febribus congruit, in quibus quatuor illa tempora sensibilius observantur, & proptèr acutiem, atquè symptomatum incrementum, majus imminet vitæ discrimen; cum qb intempestivam medicamentorum exhibitionem, Natura plurimum avertatur ab opere coctionis, & secretionis, quibus Valetudo recuperatur: comprecepimus enim habemus, le pejus sempèr habuisse febientes ab importuno usū medicamentorum purgantium, vel saltē serò admodum convalescere, quam à solis corrigentibus, & coctionem morbificæ causæ adjuvantibus. Si quid verò unquam primam ventris regionem occuparit, planè felicitè primo, secundo, aut tertio dix, vomitorius eductū, febris vel extinxit, vel remisit: At hac ex Anti-

timonio parata præcellunt cæteris, veluti tertiaria  
& efficaciora & quæque simul supernæ, & infernæ vi-  
tiosos succos extrudunt.

## APHORISMUS XXX.

*Circà initia, & fines omnia imbecilliora; circà  
statum vero vehementiora.*

**R**ationem eorum, quæ præcedenti Aphorismo  
edocuit Hippocrates, in hoc reddere vide-  
tur: etenim interroganti, cùr inchoantibus  
morbis aliquid moyere conveniat, in vigore vero,  
& statu potius quiescere, aptè responderi potest,  
quià circà principia, & fines omnia symptomata  
sunt imbecilliora, circà statum vero validiora. Cū  
enim evacuationes, ut conferant, & facile toleren-  
tur, robustas vires exigunt; Naturamque vel  
sullatenus, vel leviter symptomatis divexatam, pro-  
indè rectè ab Hippocrate hæc duo tempora veluti  
minùs infensa, ad evacuationem ritè absolvendam  
opportuna putantur. At vero in statu, & vigore  
morborum Natura maximè affligitur, & à causa  
morbosa vehementer exagitatur, idcirco non est  
amplius medicamentis laceienda, & quod pejus,  
avocanda ab opere coctionis, & Criseos.

Undè autem Tempora ista Morborum internosci  
possint, nè alterum pro altero sumatur, brevitè re-  
cœleamus. Quatuor potissimum signorum genera tra-  
duntur: Primum desumitur à Viribus: Alterum à  
symptomatis: Tertium à motibus Criticis: Ultimū  
à cruditate, vel coctione Causæ morbosoæ. Et qui-

dèm cùm vires ægrotantis validæ sunt; symptomata nulla, vel lèvia, & motus critici non apparent; imò sèpè numerò omnes ferè evacuationes còsuetæ magnâ ex parte deficiunt, ac demùm cruditas viget, Principium morbi universale dicitur. Concus-  
sis verò viribus, augescentibus symptomatis, vel consistentibus, apparètibúsq; Criticis evacuationibus, Augmentum, & Status appellatur. Denique cùm symptomata remittuntur, vel desinunt, criticæ eva-  
cuationes liberè prodeunt, & coctiones in unoquo-  
què genere persistunt, quamvis vires remaneant im-  
becillæ, tñiversalis Declinatio crit. Quià ergò in  
Principio Morbisq; causa nondùm per fermentatio-  
nem in arteriæ, & in sanguinem irrepit, vel sal-  
tèm non plurimùm exagitavit, vel infecit, nèc vi-  
scerum operationes deturpavit; In Declinatione ve-  
rò subacta, atquè evicta foras extruditur, idcirco  
circà initia, & fines omnia sunt debiliora.

### APHORISMUS XXXI.


*Ejus, qui à morbo cupide comedit, nihil pro-  
ficere Corpus, malum.*

**Q**UAMQUAM hic Aphorismus cum octavo con-  
venire videatur, ubi in consimilem planè  
sententiam loquitus est Hippocrates: Si à  
morbo cibum assumentis quis non corroboratur;  
pluri alimento Corpus uti significatur; si verò, non  
assumenti, nèc appetenti, hoc accidat, scire oportet, quòd  
indiger evacuatione. Nihilominus hic in signum tan-  
tum, ille in Causam etiàm adductus est, quo ni-  
mi-

mirum & Cansem sciamus, cur quis per cibum non corroboretur, & medelam similem adhibeamus auxilio evacuationis. Addit pariter Cardanus, magus, & deterius esse nihil proficere, quam non corroborari: non corroborari enim, necessarium non est malum, sed nihil proficere nec viribus, nec carne, nec colore, qua tria in morbis deperire solent, hoc malum est.

Malum, inquit, simpliciter; sed in quo genere non explicuit. Arbitror Ego in digestione, trajectione, atq; nutricatu: siquidem avidè comedentes, nil tamèn inde proficientes, incidere solent in ciborum fastidium, & vomitum, mòx etiam in obstrunctiones, cachexiam, ventris profluvia, aliaque hujus generis mala. Specialius autem meminit Hippocrates sequenti Aphorismo prostrati appetitus, veluti ab opposito provenientis: etenim ubi primùm avidè comedentes nihil profecerint, tandem cibum fastidientes non amplius appetent, ab excrementis in ventriculo congestis.

Sed nec procùl aberrant à vero, qui existimant, Hippocratem hic non de Convalescentibus, de quibus *Apb. VIII.*, sed de Aegrotantibus sermonem habere, si fortasse ex morbo, seu morbi causa, avidè comedant, & nihil inde proficiant, quandoquidem malum erit, cum universa illa ciborum quantitas cupidè ingesta nec in alimentum transmutata, necessarium in excrementos succos sit convertenda, qui deinceps nèdum morbo priori suppetias dabunt, sed etiam novum ingenerantes, Naturam oppriment, cum vitæ discrimine: De qua re mòx latius.



## APHORISMUS XXXII.

*Omnes ferè , qui maled se habent , circà initia cupidè comedentes , nèc quicquam proficienes , ad postremum rursùs cibum non appetunt : qui verò circà initia cibum valdè fastidiunt , postea bene appetentes , ii in melius vadunt .*

**L**icet Galenus de Convalescentibus quoquè hunc Aphorismum scriptum affirmet in *Commentario* , non alienum tamèn à ratione est , posse etiàm de morbo affectis interpretari , quòd scilicet ægrotantes , si circà initia ægritudinis cupidè comedant , nèc indè quicquam proficiant , indeclinacionem perducti cibos non appetant . Si verò ineunte morbo cibum valdè fastidiant , postea bene appetentes proficiant , in melius procedunt . Quamquàm & Heurnius initia hæc nolit ad principium morbi referre , sed ad principium usus ciborum , cùm scilicet , nescio quâ necessitate , cogantur convalescentes cibum capere , quâ anteà caruerint . Utùr autem se res habeat , & Hippocrates sive de convalescentibus , sive de ægris exponetur , certum illud erit , præstare illos intèr initia famem destitui , mòx progreßu temporis appetere , atquè edendo proficere , quam à principio citrà commodum avidè concedere , & postremò non appetere . Ratio desumēda videtur ex eo , quia avidè ab initio cibum assumentes , nèc proficienes , illum nèc bene conficiunt , nèc in aliti substantiam convertunt , undè necessariò excrementosos , & viscosos succos cumulant , qui Ventriculum opplentes , nau-

scam

seam tandem, & stomachi fastidium inferent; Qui verò circà initia cibos abhorrent, diffusos per Ventriculi cavum humores, quibus fames obtunditur, inediā tandem corrigunt, ac digerunt, hisq; exsolutis appetitus redit, quo per cibum convenienter ingestum planè reficiuntur. Succi pariter ciborum digestioni, & dissolutioni addicti, licet intèr initia inertes sint, sensim per inediam acountur, & vegetiores fiunt; undè postmodùm appetitum excitant, & assumptos cibos in succos alibiles permuntant, pro virium, & Carnium instaurazione.

Hinc modò colligere est, perperam eos agere, qui statim à principiis morborum immodicè cibos ingurgitant, putantes hoc pacto se viribus pro toto morbi decursu opportunè prospicere: tantum enim abest, ut id affequantur, ut potius excremēta multiplicantes, morbificam Causam adaugeant, & morbum ipsum si non deteriorem, certè longiore redant. Ità Cleanactides ager. VI. primi Epidem., quià toto ægritudinis tempore cibum non fastidivit, usq; ad octogesimum ægrotavit. Nō tamèn hinc quis existimet cibos ab initio morbi appetere, malum esse, cùm aliàs in quovis morbo mente constaret, & bene se habere ad ea, quæ offeruntur, bonum dicatur in sequenti Aphorismo; sed solùm malum esse, ut ægri statim intèr initia multum ex appetitu comedant, quod planè digerere exactè nequeunt; præsertim quià appetitus in principiis morborum vigens, naturalis, & verus plerumq; non est, quippè qui fieri solet à vitiosis, acidisq; humoribus Ventriculum occupantibus; Quod si adhuc consenteat, & naturalis sit, nequè tamèn multo cibo gravandus, nè plenitudine distrahatur Natura ab opere coctionis Causæ morbosæ, quæ sàpè etià in-

increbrescit à cibis, eorumque recrementis; undè postremò nausea, Ventriculi corpor, & diutiùs saltēm ægritudo perdurat.

Cæterum sententia hæc non tam est universalis, ut aliquandò non fallat; quocircà Hippocrates dixit: *Omnis fera*: ut nimirū significaret, non sempèr, sed plerumquè fieri, ut, quod ipse notavit, eveniat.

Postremò his, qui à principio multam appetunt, nec quicquam proficientes cupidè comedunt, moderata diæta remedio erit; purgatio verò, vel vomitus his, qui cibos fastidiunt, si fortassis stomachum roborantia non proficerint.



### APHORISMUS XXXIII.

*In quovis morbo mente constare, & benè se habere ad illa, quæ offeruntur, bonum: contrà verò se habere, malum.*

**E**x majori, vel minori recessu à consueto sicutis statu, morbos graviores, vel leviiores conjicere solemus: illum autem à lysis operationibus metimur; & quidem quo magis, vel minus, & plures, vel pauciores, illæ offendantur. Id ergò considerans hic Hippocrates, inquit, bonum signum esse in ægritudinibus quibuscumquæ operations tūm ad partem animalem, tūm ad naturalem spectantes, benè se habere, quippè quæ leviorem, minorēmq; recessum à naturali statu facilè ægrotantem arguant.

Meminit autem operationum animalium, quæ Men-

Mentis, & Rationis, ac naturalium, quæ Ventriculi appetentis, & cōcoquentis sunt; tacuit verò vitales: Fortassè quià fuit illi in animo eas potissimum ægritudines commemorare, quæ vitæ cominùs insidiantur; vel quià vitales non omnino labefactatas putavit, cùm naturales, & animales constant; vel quià, vitalibus lēsis comparare voluit naturales, & animales benè valentes; vel demūn quià non omnes ad Cerebrum, & ad viscera naturalia pertinentes, sed dumtaxat Ratiocinationi, atq; Appetitui inservientes operationes specialius perpendendas existimavit: dixit enim, *mente constare, & benè se habere ad ea, quæ offeruntur*: quasi his duabus constantibus, reliquæ etsi deficiant, sint ægrotantes convalituri. Tantum autem ejusmodi facultatibus videtur tribuendum, ut ad Vitam quoq; spectantes indè foveri, sint, qui crediderint, cùm & Cor moveri non posse dicatur, nisi per nervos, & roriferum nervorum liquorē à Cerebro, ac puriore chyli substantiam è Ventriculo suggestam. Atqui non solum hīc, sed superioribus Aphorismis plurimi fecit Hippocrates appetentis, & cōcoquentis virtutis, quam, prout benè, vel male se habeat, ceteræ pariter eodem modo affectæ consequantur.

Atq; hīc sicuti bonum dixit, si æger mente constet, & benè se habeat ad ea, quæ offeruntur; ita ex adverso malum, si ad utrumquè se male habeat; quandoquidem præter læsas alias vitæ operationes, contingit quoq; animales, & naturales depravari; undè profecto diù Vita prorogari nequit, ob maximum, remotissimumq; recessum à consueto sanitatis statu. Modò his duobus veluti generibus signorū, & gravioris, vel levioris Morbi fidelioribus testimoniis, verisimile est voluisse

Hippocratem de morborum acutorum eventu trādere prædictiones , de quibus anteā meminerat , non licere tām certō præfagire .



### APHORISMUS XXXIV.

*In Morbis minūs periclitantur , quorum naturæ , aut etati , aut consuetudini , aut anni tempori , magis congruit morbus , quam ubi nulli istorum congruit .*

**A**D prognosim quoq: hic Aphorismus pertinere videtur , cùm ex illo eventus in morbis præfagiri possit . Quamvis enim exitus morborum in ancipiti perpetuò sint , nihilominus si illi congruant naturæ , ætati , consuetudini , aut anni tempori , minūs de vitâ ægrotantis vereri contingit , quam si omnino dissident . Nomine autem Naturæ intelligit Galenus temperiem , sèu potius propriam cuiusq; Corporis constitutionem ; undè Morbi ad hanc relati dici solent consentientes , & dissentientes . Qua ratione idem Hippocrates primo aphor. 14. Senes dixit raro , ac difficulter acutis , atq; ardentibus febribus corripi , facillimè verò Juvenes . Idipsum omnino dicendum de ætate , habitu Corporis , consuetudine , & anni tempore , ut proindè levius accidat febrire ætate , quam hyeme , & gravius affici insuetos , quam asuetos . Quandocumque igitur Juvenes , & acriori sanguine prædicti Morbis pariter juvenili ætati familiaribus , & ex acriori humore pendentibus corripiuntur , atq; ejus propemodum conditionis , qualis eā anni tempestate grassatur , certè hi minūs peri-

periclitantur, quām si alio morbi genere laborent, qui nullā ratione ætati, constitutioni, habitui, tempestati, & consuetudini congruat.

At contrarium visum est Diocli Carystio, qui proximis post Hippocratem temporibus claruit, existimans longè pejus se habere ægrotantes à similibus, quām à contrariis, quippè qui à similibus afficiantur, ab oppositis verò curentur, ut ipsemet Hippocrates statuit *lib. de flatibus*: & quidem videtur minus resistentes facilius succumbere, quām qui dissentientem nocti sunt temperaturam, corporis constitutionem, ac habitudinem; undè graciles facilimè evadunt tabidi, & obesi, ac otiosi quacumq; levi ex causa incident in hydropem, & pituitosi Senes gravedines, ac raucedines immedicabiles incurunt.

Verūm hjs, aliisq; argumentis satīs, supērq; fecisse videtur Galenus in commentario, qui alitèr ac Diocles à Causa, temporis, ætatis, & habitudinis contrarietatem superante, Hippocratis sententiam hic tuetur. Cum enim, ipse inquit, anni tempus cōbtere non potuerit Causæ magnitudinem, cùm tamèn baberet sanitatem sibi suffragantem, multo minus morbo jām factō superaverit, non assidente sanitatis robore. Atquì Hippocrates minus dixit periclitari eos, quibus aliquā ratione morbus congruit, qui à minorenī recessum patiuntur à sanitatis statu; qui verò in dissentientes sibi morbos incident, à potentiōri sanè causa corripiuntur, quæ scilicet valuerit omnino dissimilem ætati, naturæ, consuetudini, & anni tempori morbum inferre. Finge Senem incidisse in ardenter febrem, aliūmve acutum morbum, procūl dubio Causa, quæ acutam ejusmodi ægritudinem intulit, validissima existimanda est,

quæ senilem ætatem cum tanto recessu à suo statu deturbavit. Sic etiā quod senibus contingent Podagræ, Renum Calculi, Catarri, nil mirum, cùm vel levi ex causa has ægritudines incurvant; at iisdem Juvenes vexari, gravius omnino, quoniā Causæ designantur adeò validæ, ut potuerint cum tanto recessu à naturali, & consueto statu juventutem prævertere, & labefactare. Hic animadverte-re decet, non dixisse Hippocratem, minùs affici, corripi, aut laborare, sed minùs periclitari, quo-rum naturæ, ætati, consuetudini, aut anni tem-pori magis cōgruit morbus; siquidè licet omnino verum sit, difficilius homines ardente febre corripi hyemali tempore, quam æstivo, senes, quam ju-venes, pituitosos, quam biliosos, sedentarios, quam exercitatos, tamèn quandocumq; ardens fe-bris hyeme aliquem invaserit, eâ vehementiā, quâ solet æstate, tūm profecto egrotans in magnō discrimine censendus erit, ob causæ vehementiam, quæ potuerit ardentem febrem Hyeme progignere.

Morbos convenientes desumpsit Hippocrates non solum ab his, quæ Corpori insunt, vel ejusdem Constitutionem comitantur, aut consequuntur, sed etiā ab Anni tempore, cuius consideratio ma-gnificienda est in morbis: illos etenim incipere, aut desinere, breviari, vel produci, diminui, aut augeri pro varia temporum habitudine, non semel meminit idem Hippocrates in *libris Epidemior.*, & *de Aēr., aq., & locis.* Hinc adjungendæ quoq; sunt Aē-ris, & Regionum varietates, quibus diversimodè Corpora affici, atq; alterari, cuiq; compertum est.

Quinam demum sint Morbi ætatis, & consti-tutionibus temporum congruentes, latè prosequitur idem Auctor 3. *Aphor.*, ubi singulorum ægritudines enumerat.

APHO-

## APHORISMUS XXXV.

*In quovis Morbo partes ad Umbilicum, & inum Ventrem attinentes, crassitudinem habere, melius est: multum verò extenuari, ac contabescere, prae-  
vum. Sed & hoc quoq; ad inferiores purgationes periculosum.*

**Q**uae de operationibus ad salutares eventus presagiēdos superius Hippocrates adnotarat, nūnc è Viſcerum imi ventris habitudine desumit, atq; n̄ iis crassitudinem, & exten-  
uationem contemplatur, atq; ex priori bonum, ex posteriori malum indicium dedit.

Partes autem non quascumq; considerandas sufficiunt, sed eas tantum, quae ad Umbilicum, & imum Ventrem attinent: istae siquidem specialiter sunt additæ digestionibus, distributionibus, ac ali-  
menti secretionibus; undè quidquid boni, vel ma-  
li toxi Corpori accidit, dependet; ut namq; pri-  
mæ pinguescunt, cùm Corpora adiposa fiunt; sic primæ quoq; cōtabescunt in gracilescientibus. Cùm igitur imi Ventris Viscera crassitudinem ostendunt, designant nedum ipsas benè se habere, nilq; grave ex morbo contraxisse, sed etiam reliquis partibus promptè posse opitulari, alibili succo aptè suggesto. At verò si extenuata videantur, & sui imbecillita-  
tem significant, & ciborum confectionem, ac ex-  
crementorum secretionem in totius Corporis in-  
commodum malam portendunt. In eamdem fermè sententiam scripsit idem Auctor *primo prognost.* 37., optimum esse Hypochondria absq; dolore esse, &

mol-

mollia, & æqualia; siquidèm Jecur, Ventriculus, Lien, Pancreas, Mesenterium, Omentum, Intestina, & adjacentes glandulæ naturalem servabunt cōstitutionem nihilum ex morbo immutatam. Porrò plerisq; ex gallicis præsertim doloribus ferè tabefactis benè sperare non semel ominatus sum ab inspecto Ventre nondùm extenuato, sed crasso, & molli; nèc spe frustrati consanuerunt.

Sed melius dixi, non autem omnino bonum: nam nullam pati interanea ista in morbis extenuationem, bonum non & ex superius traditis, sed & obstructionem, hydrope, aliámve similem affectionem præsignarēt. Quanobrem subjunxit: multum verò extenuari, & contabescere malum: multam opponens extenuationem crassitudini. Quemadmodum enim impossibile est nullā ex morbis quibuscumq; subsequi in abdomen extenuationem, ita multam, atq; excedentem malam omnino credere oportebit: quippe hæc nedūm Viscerum in imo ventre contentorum prægrandem noxam ostendit, sed etiam succi alibilis malitiam, atq; ineptitudinem. Quare ingentes istæ emaciaciones in malignis, & perniciosis ægritudinibus plerumq; observantur.

Addit, periculosum hoc etiam esse in inferis purgationibus: quia sicuti ab evacuationibus per superiora cavendum dixit Tabidis, & qui pectoris angustiâ laborant, ita purgationes per inferiora sunt periculosæ, cum partes ad Ventrem imum attinentes contabuere: à medicamentis namq; purgantibus magis illæ extenuarentur, & elangueret; quin & expeditæ à Catharticis evacuationes, ob hypochondriorum tenuitatem, vel non succederent, vel majorem molestiam parerent, vel febrim excitatent cum phlogosi, aut inflammatione, ut non semel observatum est.

APHO-



## APHORISMUS XXXVI.

*Qui sanitate Corporis fruuntur, medicamenta purgantia assumentes, statim debilitantur, & qui pravo usuntur cibo.*

**M**edicamentorum purgantium damna hoc, & sequenti Aphorismo memorat Hippocrates, in sanis præsertim Corporibus: illa enim ait à catharticis statim exsolvi, ac debilitari. Cùm enim ista irritante quadam vi partibus infensâ humores educant, si fortassis vitiōsi succi non adsint, utiles liquores ad expulsionem sollicitari necessum est; undè Corpora labefactari contingit. Ejuscemodi autem perturbationis, atq; exsolutionis mala attestantur fitis, ciborum fastidium, vomitus, dejectio, Ventris tormina, coloris faciei mutatio, & macies, idq; genus alia, quæ catharsim comitantur, vel consequuntur, potissimum importunam. Quod autem irritante vi purgantia medicamenta humores educant liquidò constare potest ex eo, quod glandes podici inditæ à superioribus etiā intestinis ad motum peristalticum lacesſitis fæces submoveant: Mercurius vitæ linguâ degnatus vomitum provocat, & dejectiones: Unguétum de Arthanita Abdomini, & Umblico illitum alvum solvit: Dejectoria in majori dosi exhibita vomitum movent, non aliâ ex causâ, nisi quia vehementius Ventriculum vellicant, & citius quam dissolutio peragatur, Stomachi tunicas, fibrasq; lacesſunt, ut etiā notavit Yvallæus in sua Methodo.

De-

Deniq; qui pravis utuntur alimentis etiā à catharticis offenduntur, quoniā inutilium succorum congeries viribus ab evacuatione fatigentibus succurrere nequit; quamobrē mōx exsolvuntur, ac debilitantur. Hinc &què peccant, qui sanis Corporibus cathartica exhibent, ac qui cacochyma affatim purgare conantur. Satiūs itaq; erit in his Corporibus uti purgantibus per epicrasim, quæ paulatim humores vitiosos edacentia ab imbecillis viribus suffertantur; ut in uestione, aut sectione hydropicorum idem Hippocrates admonuit.

Nequè verò solū sana omnino Corpora à purgantibus offenduntur, atquè debilitantur, sed etiā, quæ nupèr à morbo convaluere, post evictam, extrusāmq; Causam morbificā, atquè in pristinum sanitatis statum sunt restituta; quia immo longè magius futurum damnum timere est in restitutis, quæ sanè imbecilliora esse solent, quam in his, quæ anteā ægrotarunt; sicut enim non sunt illa pravis cibis infacienda, ita neq; catharticis molestanda, cùm perindè sit membra suo, cōvenientiō alimento privare, ac malis succis replere.



### *APHORISMUS XXXVII.*

*Qui Corpore valent, difficulter ferunt medicationes.*

**P**osset quis primā fronte, aut oblivionis, aut superfluitatis Hippocratem arguere, quasi verò eadem, quæ præcedenti Aphorismo docuerat, hic repeatat. At Galenus, unum ex iis, quæ ex ipsâ progignuntur purgatione, symptomata voluisse Hippocratem superiori Aphorismo indicare,

citam nempè exolutionem; in hoc autem generaliter de omnibus sermonem habere existimat. Alii hic de sanis Corporibus, ibi de convalescentibus loquutum ajunt. Nonnulli in priori de purgantibus solummodo blandioribus, in posteriori de vehementioribus catharticis egisse sub nomine Medicationum. Cardanus de actuali statu Corporis precedentem, presentem de habituali interpretatur. Quidam demum hunc illius reddere Rationem saniori iudicio arbitrantur, ut propterea utrumque Aphorismum negant: *Qui sanitatem Corporis fruuntur, Medicamenta purgantia assumentes, statim debilitantur: quoniā, qui Corpore valent, difficulter ferunt medicationes.*

Et quidem à medicamentis purgantibus benè valentia Corpora turbantur plurimum, & concutiuntur, atq; irritatione visceribus illatâ, fermenta depravantur, sanguis funditur, & succi nutritii exsolvuntur. Sunt enīm purgantia, ut alias à Nobis est ostensum, de genere venenorum, &, ut Celsus habet, humano Corpori inimica, quæ si fortasse inveniant, quos extenuent, ac dissolvant pravos humores, leviorē noxam inferunt; si verò, ut in Corporibus sanis, non habeant, quod cacoecium exturbent, utiles, ac salutares humores invertunt, depravant, corrumpunt, undē non sinè gravi vitium jacturâ tolerantur, nisi etiā perimant.

Neq; verum est, quod Galenus in commentario habet, evenire ejusmodi mala in sanis, quia purgantia medicamenta, cum sibi proprium, quem attrahere appetunt, non inveniant humorē, necessariò sanguinem, & carnes eliquant, ut ex ipsis illum feligant. Satis enim, supérq; liquet, omnes, & quoscumq; humores indifferenter educi, quo-

M m

cumq;

cumq; purgante medicamento, nisi quòd à benignioribus leviùs, à vehementioribus efficaciùs promoteantur, & expurgentur, ut latiùs alibi est memoratum.

Quamvis autèm anteà dictum sit, cathartica in sanis difficultè tolerari; non tamèm hinc quis existimet, faciliùs ea sufferri in ægrotantibus: quippe in utrisq; eadem, vel paria symptomata comperimus. Id verò in his discriminè aderit, quòd purgatio in ægrotis, si rectè, atq; opportunè instituatur, morbificam causam eliminando, prodesse poterit, licet per irritationem Visceribus molesta sit; in sanis verò, præter noxam ab irritamento, etiàm utiles succi evertuntur, & evacuantur, viribus infractis. Quamobrèm jure optimo animadversum hic est ab Hippocrate ægriùs ferri à sanis, quām ab ægrotantibus medicationes, cùm reverà cacochyma Corpora ex quovis levissimo pharmaco subitas sortiantur evacuationes, Euchymoram verò purgationes difficiliùs fiant, & maximâ cum univerxi Corporis perturbatione.



### APHORISMUS XXXVIII.

*Parùm deterior cibus, aut potus, suavior autèm, melioribus quidèm, sed minùs suavibus, est præferendus.*

**C**omparat hic Hippocrates cibum, ac potum suaviorem, cum meliori, atq; illum ait, etiè detersorem, meliori, sed insuavi, esse præferendum: Is autèm parùm deterior sit, nám si omni-

omnino pravus foret, procùl dubio minime esset anteponendus.

Rationem deducit à suavitate; quoniām suavorem cibum, aut potum Ventriculus arctius ampliatur, retinet, meliusq; digerit, atq; in probum chylum commutat, unde vires, & membra resiciuntur. Similem sententiam tulisse videtur lib. de affectionibus, inquiens: *Cibos, potus, aut obsonia,* quacumq; ægri concupiscunt, si non damnum Corpori inde accessorum est, exhibeto. Sed latius de gratificandis ægrotantibus hæc habet, 6. Epidem. s. 4, *Aegrotantibus gratificationes*, velut est purè præparare potus, & cibos, & ea, quæ videt, molliter ea, quæ contingit. *Aliæ gratificationes*, quæ non magnopere leadunt, aut facile reparari possunt, velut frigida, ubi bac opus est. *Aliæ gratificationes* sunt, introitus, sermones, habitus, vestitus, ægrotanti tonsura, unguis, odores. Ubi Galenus: duplex utilitas habetur ex gratificatione ægri in his, quæ sunt citrā illius jacturam: altera, quod in cibis melius concoquunt, in potibus fitis sedatur, ex odoribus somnus conciliatur, ex balneo quies, virtusq; restauratur; Altera est Amor ægri ad Medicum, & observantia, qua fit, ut illi in omnibus pareat.

Usus est hīc nomine deterioris, sed suavioris: quippè deterior is cibus intelligendus erit, qui minus vires restaurare valeat, minusq; Causæ morbi aduersetur; at verò suavior, qui gustatum voluptuosius afficiat, & Ventriculum ad appetendum, conficiendumq; jucundiūs alliciat, ut si quæ nausea, vel stomachi subversio aderat, tollatur, vel remittatur: eadem profectò tunicâ Lingua, Fauces, & Ventriculus vestiuntur.

Solent autem suaviores esse cibi, qui tempore

Salutis sumi consueverunt, nām quæ consueta sunt, minūs molestare solent, præsertim si materno desiderio ab incunabulis appetivimus, vel ab uberibus depulsi, primos à lacte esitavimus: Undē Hippocrates *de ratione vīt. in acutis*, faciliūs ferri, ait, malos cibos consuetos, quām bonos insuetos; Cōsuetudo enīm altera Natura dicitur. Deteriores etiām cibi, si ritē, rectēq; condiantur, salubriores fiunt, & aviditatem excitant. Attamēn non sunt illa in escam concedenda, à quibus nullus utilis succus elicitur, qualia esse solent, quæ à picacea fame laborantibus expertuntur; ea etenīm veluti deterrima, omnīnō sunt interdicenda; sed & neq; permittenda sunt, quæ dulcem succum præseferre videntur, ut sunt bellaria omnis generis, ex saccharo potissimum confecta, hæc enim facillimè amarescent, & in succos Ventriculo infensos quām citissimè vertuntur.

Hinc modò colligere licebit, gratificandum esse ægris in ciborum, & potuum delectu, ut si fortassē quædam cibaria, dummodò omnīnō nocua non sint, expertant, ultrò cōcedantur, ut & potus vini, aut aquæ frigidæ, itēmq; salita, acetaria, aliāq; hujus generis, prout occasio tulerit, moderate tamēn sumpta. Idem Hippocrates *lib. de internis affectionibus ad Morbū Regium*, qui ciborum fastidium infert, obsonium parat ex pullo gallinaceo percocto, probè condito cum cæpâ, coriandro, caseo, sale, sesamo, & uvâ passâ albâ, & vinum bibendum jubet album, austерum, vetustissimum. Perperām ergo agunt, qui nimiū severi nullo pacto miseris ægrotantibus in cibis, potibūsq; indulgere solent, cùm cæteroquì cibus, & potus in gratiam virium conservandarum ægrotis debeatur, qui

qui si insuaves sint, atq; injucūdi, tantūm abest, ut  
prosint, ut potius in degeneres succos commutati  
vires non tueantur, sed morbum.

*APHORISMUS XXXIX.*

*Senes Juvenibus plurimū quidēm ægrotant mi-  
nūs; diuturnis verò morbis correpti ferè  
commoriuntur.*

**C**onfert in hoc Aphorismo ætatem juvenilem  
cum senili, magis, vel minūs obnoxia ægri-  
tudinibus; atq; inquit, *Senes plerumq; ægrotare*  
*minūs, quam Juvenes, morbis præsertim acu-*  
*tis; diuturnis verò correptos magnā ex parte*  
*commori.*

Quod de acutis primò sermonem habeat, patet  
ex altera Aphorismi parte, in qua memorat diu-  
turnos. Distinguit namq; Hippocrates, ut bene  
notat Cardanus, ægrotare, idest acutis morbis  
corripi, ab eo, quod est morbis subjici; cùm alio-  
qui *Senes pari habitu prædicti, ac Juvenes, faciliūs*  
*frequentiūsq; morbis subjicientur; at verò ægrot-*  
*ant minūs, hoc est, minūs, sèu rariūs, quam*  
*illi acutis ægritudinibus corripiuntur; neq; tamèn*  
*id absolute protulit, sed adjecit plerumq;, sèu*  
*magna ex parte, cùm fieri possit, ut contrarium*  
*in aliquibus accidat, peculiares ob causas, sive*  
*internas, sive externas: plerumq; autèm evenit,*  
*comparatione ex æquo habita, ut *Senes minūs,**  
*sèu rariūs, quam *Juvenes ægrotent, servata per-**  
*ætates unicuiq; vivendi normā.*

Sed

Sed quī sit, ut rariūs ægrotent, non eadem est apud Interpretes ratiocinatio. Galenus ad continentiam in viētus genere causam referre videtur, ut proptereā putet, Senes, qui temperatores non sunt, magis ægrotare, utpotè qui Juvenibus sint debiliores. Cardanus ex temperamento potius frigido sicco rationem deducit, cui etiām adjicit calorem imbecillem morbis acutis repugnantem, promptāmq; adhuc à debilibus Causis lœsionem, ob quam se statim subtrahant, & intemperantias caveat, & quod putredini non tam facile obnoxii sunt, quoniām frigidum est illorum Corpus. Sunt etiām, qui ad crassos, frigidosq; succos, quibus senilis ætas abundat, rationem Aphorismi revocent, quippe acuti morbi ex humoribus calidis, & tenuibus proficiscuntur, undē rarò senes acutis ægritudinibus laborare contingit.

At quamvis Senes suām cōsultiūs sciant regere, ac tueri valetudinem, sintq; cæteris prudentiores, temperatoresq;, ut quæ prodesse, vel obesse consueverint, longā ætate, iteratisque experimentis, exactè quoq; didicerint; nisi alia causa accedat, per quam rariūs illos acutis ægritudinibus labore contingat, non plenē Hippocratis sententia censabitur explanata. Existimaverim eapropter, senectutem idcirco rariūs acutis morbis corripi, quoniām sanguis ætatum mutatione desciscit ab illâ promptâ, & facili, quæ per juventutem vigere solet, acritudine, ac fermentatione; sensim enim hebescit, & alkali suo vivifico, ac volanti spoliatur; quo levi ex causa in Juvenibus concitatur, & effervescit. Succi etiām ex illo provenientes effici fiunt, & in acidum declinant, quo potius concrescit sanguis: quare alibi diximus, rarenter acu-

acutæ febres Senes invadere. Si namq; à temperātia solūm victus non ægrotarent, illa profecto non minùs quoq; prodesset, nè in chronicos morbos incidenter, cùm tamèn his frequentiùs capiantur, & correpti ferè commoriantur. Itaq; à conditione potiùs sanguinis mutatâ, quæ per ætatem sensim acquiritur, id illis accidere fatendum est. Cæterùm quòd ad Cardanum pertinet, frigido, siccoque Senum temperamento, putredinem excludenti, id tribuentem, non est, ut longiori sermone refutemus; cùm hæc apud emunctæ naris Philosophos in derisum jàm abierint.

Quoniàm verò Senibus Juvenes opposuit, videatur proindè Hippocrates universas ætates ad duas istas revocare, itaùt homines conferat à pueritia ad juventutem ex unâ, & à juventute ad senectutem ex alterâ; ideóq; sub Juvenibus comprehendantur etiàm Adolescentes, & Pueri, & sub Senibus, qui in consistenti ætate sunt, & qui crudam, & qui maturam senectutem attigerunt. Prioris enim, sicut sanguine abundant floridiori, vegetioriq;, ità carnes habent molliores, & viscerum texturam laxiorem. Posteriores verò sensim intrisq; deficiunt, & sanguinem, & carnes consistentes adipiscuntur.

Hac sanè de causa etiàm fit, ut Senes diuturnis potiùs corripiantur affectionibus, quas idem Hippocrates enumerat *Tertio Aphor.* 31., inquiens: *Senibus, spirandi difficultates, destillationes cum tussi, urinæ stillicidia, & difficultates, articulorum dolores, & renum, vertigines, Apoplexiæ, habitus Corporis depravatio, pruritus, Vigilie, alvi, oculorum, & narium humiditates, visus obtusus, glaucedines, auditus graves.* Hæc autem ab effœto, inutiliq; sanguine pro-

*v. pri-  
mo de  
dica.* procedūr, cuius ratione imbecilla senectus reddita his, aliisq; chronicis ægritudinibus subjicitur; sed & cū in has inciderint, vix, aut raro evadunt; quin, potius cum illis consenescunt, ægram vitam ducent, ac tandem commoriuntur.

Dixit autem ferè; nām non omnino ex chronicis quibuscumq; ægritudinibus Senes decedunt, cū à quibusdam saltē liberari possint, adhibitā præsertim diligentí curatione. Eas verò plerumq; insanabiles experimur, quæ languorem partium consequuntur, atq; à perversis, hæretibúsq; humoribus dependent, ut Asthma, Hydrops, Renum, & Vepidem. sicæ affectiones, suffusio Oculorum, Surditas, aliæ q; similes.



### APHORISMUS XXXX.

*Raucedines, & Gravedines in valde Senibus  
coctionem non admittunt.*

**E**xemplum ægritudinū senilium in hoc Aphorismo allatus Hippocrates, Raucedinem & Gravedinem in medium adducit, quas inquit, in proiectâ senectute coctionem non admittere. Sunt quippè ambæ valde senibus infestæ, ut quacumq; ex causa etiā ambientis frigoris, vel austrini flatus, illos divexeat. Et quamvis omnes defluxiones, distillationesq; in quacumquæ Corporis partem decumbentes sub harum nomine pleriq; interpretentur, nihilominus propriè exponi debent, quæ in Guttur, & Asperam Arteriam, & quæ in Nares, ac Palatum desinunt. Quamobrem

Rau-

Raucedo est affectio illa gutturis à confluentे seroso humore tumefacti , ubi Aér à motu Thoracis , & Pulmonis propulsus infringitur , & vocem raucam reddit ; undē in Raucitate vocales ductus , & musculi Laryngis indebet irrigantur, ac plus iusto humescunt , ut nequeat aér impulsus , ac repercussus liberè excurrere , & reflecti , ad vocis modulationem , sed tubæ interius humefactæ ad instar clangorem edit . Gravedo verò , scilicet Coryza est , in qua similis humor in Nares , & Palatum defluens , tūm olfactum , tūm gustatum impedit , quamvis etiā Cerebrum à restagnate humore adeò sæpenumerò gravatur in antica præsertim parte , ut etiā non leviter doleat , & Oculi illacrymentur .

Quæ cùm ita sint , non videntur binæ hæ ægritudines adeò perniciose , ut insanabiles credantur in Senibus , quinimδ sæpiissimè observentur curatu faciles , præsertim si illi cautiùs res suas agant , & in vixus genere errata non admittant . Lepidè quidèm , & acutè respondit olim Alberto Savanarolæ , hunc Aphorismum objicienti , Leonicenus , cùm ferè centenarius raucedine laboraret , eum non fuisse pro Medicis scriptum , indicans prudenter , temperantemque hominem posse intauustum Aphorismi omen cavere , & à Raucitate liberari V.Carr.  
sdan.bic ut evénit ; nàm jure Caponum , & seminibus gosfypii tandem convaluit . Plures alii referuntur exactâ diætâ idipsum assequuti , conferente tamèn plurimum validâ Corporis constitutione , & spiritualium partium amplitudine , atquè energiâ .

Verùm etsi Raucitas , & Gravedo suâ naturâ inemendabiles non sint , evadunt nihilominus plerumquè tales in valdè senibus ob languorem ejus ætatis ; quasi dixerit Hippocrates : Raucedines , &

Gravedines in aliis ætatibus facilè curabiles, imò nullius ferè momenti, si in ultima senectute contingant, ob viscerum laxitatem, & sanguinis jām effœti, viriūmq; languorem, coctionem non admittunt, & fermè insanabiles fiunt. Quamobrèm animadvertere est, speciatim notasse Hippocratem, valdè Senes, idest in summa Senectute constitutos, qui plerumquè languidi cùm sint, & cadaverosi, etiām levibus superandis ægritudinibus impotentes evadunt, ut hinc facilè inferatur, quòd minimè curationi subjici queant, Asthma, Hydrops, Emphyema, Tussis, morbi longè graviores, quos consultò tacuit, si leviores, Raucitas, & Gravedo difficultèr in illis maturescunt. Sed & reverà Rauicitatem, ac Gravedinem in decrepitis nèc insanabiles ipse asseruit, sed solùm coctionem non admittere, ut postremò prorsus desinant; cùm non rarò extremo senio confecti interquiescant quidèm, sed non omnino ejuscemodi ægritudinibus, potissimum productis, convalescant, etiā valentiores videantur, & opportunis remediis sint adjuti. Coctionem autèm in his, vel nunquam, vel rarentèr admittunt, tūm à confluente continentèr hamoreas partes relaxante, qui sèpissimè in Senibus tenuior plerumquè est, tām à sanguinis vitio, quām à Cerebri, & glandularum laxitate; tūm ob contractum acorem in proiecta senectute increbrescentem, qui suo alkali vivifico non coercitus, nèc subactus, coctioni refragatur. Id quod nedùm sèpissimè in decrepità senectâ, sed etiā aliquando in crudis, & præcanis Senibus, si naturâ langueat. & valetudinarii sint, experimur.

APHO-

## APHORISMUS XXXI.

*Qui frequentè, ac fortitè absquè Causa manifesta deficiunt animo, de repente moriuntur.*

**U**T hujus Aphorismi veritas perpetuò constet, tria simùl hæc ab Hippocrate hic recensita jungi oportere fatendum, ut nimis rùm frequentè, fortitè, & absquè Causa manifesta defectus animi insequatur, cùm in hystericis affectionibus, in mœstis, & melancholicis, inediâ confessis, aliisque, quos sacerdipiùs linqui animo contingit, vel frequentè, vel fortitè, non certò repentinus interitus timeatur, ut in Aphorismo dicitur. Itaque junctim exposcit Hippocrates frequentiam, idest iteratas animi defectio-nes, & pluriès brevi repetentes: Vehementiam, ob quam pulsus omnino langeant, vires dissolvantur, corpus concidat, palleat vultus, & partes præsertim extremae refrigerentur, quin & frons, ac collum glutinoso sudore pertundantur: Demùm sine causa manifesta; nam si à mœrore, inediâ, immodicâ quacumquè evacuatione, aliave evidenti causa animo deficiat æger, (quamvis & ab his quoquè perire possit,) repentinus interitus minime contingeret. Quamobrèm Causa exigitur interna, in ipso sanguine, vel Corde sita, ut subiude de repentino interitu metuatur.

Hujus animi defectio-nis, tam vehementis, ut subito, ac repente perimat, causam Medici ferè communiter referunt ad vitalium spirituum disso-

lutionem; qui vel deleterio humore infecti penitus extinguantur, vel crasso, frigidoque succo suffocentur, vel maxima exsolutione dispereant, ut in pestilentiis. At Anatome compertum habemus haecisse in his sanguinem dextræ Cordis auriculæ, & impetu quodam succedentem, à vena Cava ascendente suggestum, irrupisse adeò, ut in Pericardium, atq; in Thoracis cavum diffueret, diruptâ adhuc eadem venâ. Causam ergo ejusmodi iteratæ defectionis à sanguine vitiato pendere existimaverim: is enīm, cùm nimiā crassitie, acore, aliōve vitio, in aditu dextri, sinistrive Ventriculi cōcrescit, hæretque syncope mortiferam infert. Sic in multis pestiferis constitutionibus repente concidunt extinti homines, ac bellux, quià pestilentes halitus, scū vapes per aërem diffusi, ejus sunt conditionis, ut inspirati, atquè in pulmonibus cum sanguine Cor ingressuro commissi illum concrescensem, hærentēmque reddant intèr valvulas Arteriæ venosæ, vel in ipso sinistri ventris hiatu, atquè simili unā ejus cavum exitiali cōtagione inficiunt, & labefactant; Unde motu Cordis, & Sanguinis intercepto, syncope accidit, & Mors. Sed & non raro evenit, ut sanguinis vasa, quæ ad Cor cedunt, sensim lentis, tenacibūsque succis obstruantur, veluti polypis, qui postmodum præterfluentem sanguinem retardant, sintque in causa, ut hic in alias partes irruens, vel opprimat, vel dirumpat, quæ Cordis motui, ac Vitæ sunt omnino, penitusque necessaria. Quoniā verò haec, aliaque valde differentia solent plerumque paulatim fieri, & ex variis causis augeri, aut mitescere, propterea est, ut iteratè redeant gravius, vel levius, pro circumstantiarum varietate; potissimum verò, quià sanguis in ductus

Cor-

Cordis liberè permanare nequit, & quousquè obstatum à novo superveniente propulsus vicerit, animi defectio perdurabit; at verò cū propelli nequit, nedùm sibi, sed etiā succedenti sanguini impedimento est; quare intumescentia vasa primùm dilatat, mòx discindit, undē Mars sequitur repentina. Si diutius præterea sanguis gruntes factus aliquid remoretur; vel contrà impetuosius, uberiorisq; in dextrum Cordis ventriculum influat, id ipsum planè eveniet, ut cùm à diurno mœrore, & subito metu, immodico, atquè insperato gaudio, quis deprehenditur.

Hinc autem prætèr prognosim, qua Hippocrates tūm patientes, tūm Medicos præmonet, ex ejusmodi iteratis animi affectionibus, oportebit illis nēdūm correptis opitulari, sed ab imminentि interitu præcavere. Nunquā verò satis demirari queo quorundā credulitatem, quā sibi persuadent, ad Cordis vigorem, atquè ad spirituum refectionem, valere plurimū simaragdos, margaritas, hyacinthos, itēmque julapium ex gemmis, & unionibus confectum, aliāque hujus generis, quæ nullam analogiam cū sanguine, & spiritibus habent; cùm potius à spiritu Vini, & Aromatibus, Elixire, & Jullapio vitali, Aqua cinnamomi, & theriacali, spiritu Salis Ammoniaci, & Caphuræ, aliisque similibus id assequi liceat, quæ concrecentem sanguinem dissolvunt, & acidum fermentum, illum coagulans, volanti Alkali diluunt, & infringunt. Cæterū animi Exsolutiones, ex Cardialgia, & Cardiogmo, affectione Hysterica, & Sideratione, aliter medicabimur suo loco.

## APHORISMUS XLII.

*Solvere Apoplexiam fortem impossibile; debilem  
verò non facile.*

**A**Liud exemplum insanabilium Morborum affert Hippocrates, & ubi in præcedēti Aphorismo à Vitæ fonte illud desumplit, hoc ab origine sensuum mutuatur, potissimum in eo affectu, in quo Corpus universum immobile, & insensibile redditur, vix à mortuis differens, ut illum propterea Apoplexiā, sive Siderationem Medici appellant.

Est itaqùè Apoplexia privatio sensus, & motus in toto Corpore, superstite respiratione, licet & hæc multū quoquè offendatur, & ab istius varia lœsione, majori, vel minori, quadruplicem faciat Galenus illius differentiā: primam, & fortissimam, cùm Respiratio omnino prohibetur, vel saltē sensibilis non est: Alteram fortem, cùm Respiratio graviter quidēm offenditur, at non prorsū est abolita: Tertiam minus gravem, in qua Respiratio adhuc minus lœditur, licet anhelitus habeatur, vel interrupta Thoracis expansio: Postremam levem, cùm Respiratio vix à naturali, & consueto motu declinat; quinimò nèc omnino soporati, nèc sensu, motuque destituti, patientes observantur.

Ex his autēm speciebus, primam, & secundā impossibile esse curare ait Hippocrates; tertiam, & quartam non facile, & nonnisi paucissimos, atquè Juvenes, & robustos ab ipsis evadere, trāspositio-ne habita à Cerebro in nervos spinæ subjectos, &

com-

commutatā Apoplexiā in Paralyssim.

At quā de causa immedicabilis Apoplexia cen-  
seatur, & alibi etiā idē Hippocrates testetur, quar-  
tum diem illam nō transcendere, non intēt omnes  
æquè convenit. Quæ in hanc rem à Veteribus sunt  
prodita de obstructione Cerebri ventrī, & de im-  
pedito transitu spirituum animalium in nervos, tam  
vana, & levia sunt, ut longo examine non indi-  
geant; cùm jām cunctis innotuerit, Cerebri ven-  
tres repurgandis potius excrementis, quām inge-  
nerandis spiritibus usui esse, qui nēc, si ibi gigne-  
rentur, in nervos deduci possent, quōd nulli du-  
ctus indē pateant in Cerebri Meditullium, atquè  
Nervorum principium; quin & ample hiatu patuli  
nequirent illi genitos spiritus continere, qui tenues  
cūm sint, ac valdē mobiles, sponte sua citissimè  
evolarent.

At verisimilius, cūm ea potissimū Cerebri pars,  
quæ Nervorum origo est, ab humore illuc appell-  
lente vitiato obstruitur, aut̄ hebetatur; vel ab in-  
tercepto sanguinis motu per plexus Reticularem, &  
Choroidem, aliāve de causa, malè afficitur, gra-  
vatur, aut̄ stupet, ut nervis sensui, & motui ad-  
dictis minimè suffragari queat, attonitum, sidera-  
tumque Corpus evadit.

Ab hoc autēm Nervorū principio, his, similibus-  
que modis affecto, fit, ut Respiratio in Apoplexi-  
cis tam graviter offendatur, quippè quæ nervis, &  
musculis egeat, ut perennet; eā verò omnino im-  
peditā, sensibilitē lassā, sive interruptā, nequit sā-  
guis ex dextro Cordis Ventriculo liberè per Pul-  
mones in sinistrum permeare; quamobrem is tūm  
in eodem dextro Cordis ventre, tūm in ipsis Pul-  
monibus penitus, vel majori ex parte, resta-  
gnat,

gnet, exhausto interea sinistro, qui exceptum anteà sanguinem propellere non cessat in Aortam Arteriam; Unde in extinctis Apoplexiâ, non aliter ac in præfocatis, dexter Cordis Ventriculus multo, concretoque sanguine turgidus invenitur, sinistru verò penitus inanitus. Liquet igitur quamobrem Apoplectici cum gravi Respirationis lœsione omnino pereant, & cum leviori non tam facile convalescant; quoniam difficile admodum est eos sanguinis ductus medicamentorum ope referare, atque sanguinem absquè ullâ remorâ circumueuntem tueri, cum Pulmones sensim concidunt, & Respirationi inhabiles fiunt. Accedit, quod motus ipsæ Cordis etiam non sine Nervorum influxu habeatur, ut proinde isto deficiente, ille quoquè desinat.

Quamvis autem Hippocrates afferat, impossibile esse fortem solvere Apoplexiā, quod & argumenta nupèr adducta suadere videntur, non tamèn non tentandum (quoad vires Naturæ tulerint) quodcumque proficere poterit, aut aliquandò contulisse visum sit. Et quidem sub duplici classe continentur, quæ proficere sunt observata: Evacuantia nimirūm, quæ respiciunt Causam hebetantem, aut obstruentem; & Corrigentia humoris malitiam, ac Cerebri torporem, Antiapoplectica dicta. Intèr priora præstat Extractum Catholicum, & Hellebori nigri cum modico Castorei. Intèr posteriora verò præcellunt spiritus Antiapoplecticus, & Sanguinis, seu Salis Ammoniaci, volatilis Cornu Cervi, & Cerasorum nigrorum, elixir cephalicum, magnanimitatis, & virtutis, oleum Cinnamomi, & Caryophyllorum; atque extrinsecus oleum Succini, Salviae, Rutæ, & Anisorum, tinctura Nicotianæ, & Rorif-

Rorismarini , aliisque his similia , & quæ diaphorësim , ac diuresim moveant . Cætera remedia plerique adhiberi nequeunt in Attonitis , omni motu , & sensu privatis ; quinimò , et si illa per vim indantur , ægrè admodum ob hebetem , consopitamque virtutem proficiunt .

*APHORISMUS XLIII.*

*Qui suffocantur , & à vita deficiunt , nondùm tamèn mortui sunt , non referuntur in vitam , si spuma circà os appareat .*

**Q**uoniā Apoplecticos interire contingit non aliter , ac eos , qui suffocati moriuntur ; propterè Hippocrates , ut signa fortis Apoplexia tradiceret , à qua lethalis exitus imminent , præcipuum indicium à spumâ circà os apparente desumit ; aitque , eos in vitam non revocari , quibus os obsitum spumâ est .

Sed quæ Hippocrates hic de Apoplecticâ suffocatione videtur indicare , plerique etiā extendunt in strangulatis laqueo , vel Anginâ , in submersis aquâ , aliisque , non dissimili fato enectis , ut præindè generalior sententia prolata videatur de quibuscumque ab intercluso spiritu pereuntibus . Et quidèm in his omnibus spuma circà os apparent funestum signum est , denuncians spiritalium paroxysmum læsionem , & Respirationis noxam , undè referri in vitam perdifficile .

At verò : *Qui suffocantur , inquit , & à vita deficiunt : non enim satis est suffocari , si yè spiritalium*

O o

lum ductum angustiâ premi , sed etiâ est opus  
vitâ deficere , quod scilicet Cordis , & sanguinis  
motum interruptum arguat , quamobrèm utrumquè  
junctim ægros perpeti necessum est : hac quippè  
ratione prætèr spiritalium viscerum læsionem desi-  
gnatur paritèr Cordis labefactio . Quare cùm res  
ità se habet , de vitâ sperare amplius non licet ,  
ubi spuma os occupaverit .

Sed qua de causa Mors indè certò sit expectan-  
da ? cùm cæteroquì spuma plerisque accidat sinè  
ullo vitæ periculo , & Epileptici ore spumosi non  
raro fiant , attamen reviviscunt .


Galenus in *commentario* spumæ generationem in-  
vestigans , illam ex duarum substantiarum mistione  
oriri ait , *altera spirituosa , altera humida* , ex quibus in  
multa perfractis , mutuoque complexu commisisti ,  
ampullæ gignantur , & spuma , ut in Mari , cùm  
scopulis alluditur . Cùm autem humida substantia  
tenax est , spiritus , seu substantia aërea conclusa  
difficultèr evolat , diuque consistit ; quamobrèm  
spuma diu quoquè perdurat . Duplicem autem  
hanc substantiam esse in Apoplecticis , & suffocatis  
evidens est , spiritum nimirum , qui expiratione pro-  
pellitur , atquè à compresso Pulmone , per angustos  
ipsius ductus quodammodo intercipitur ; & lymphicū  
illum humorē , ac salivarium rorem è glandulis  
faucium , & gutturis exstlicantem , qui ex impedito  
sanguinis circuitu non tam fluidus esse solet , inò  
aliquantulum crassescit ; ut propterea arctius offend-  
entem spiritum , & pulmonis halitus devinciat , at-  
què ampullas , & spumam pariat consistentiorem .  
Atqui hæc omnia in strangulatis sensibilia esse  
solent , quippè qui prætèr crebritatem Respiratio-  
nis , & violentam Pectoris , & Pulmonis commotio-  
nem ,

nem, loci angustiam, & aëris plus justo perfracti exagitationem, cum impedito prorsùs sanguinis, & lymphæ circuitu, subitam, maximamque subeunt in faucibus, & gutture prætocationem.

Atquè hinc modò apta ratio deducetur, cùr nō redeant in vitam, quibus spuma circà os appetet, & consistit: nimicùm quia ingétem Pulmonis compressionem, summā respirandi difficultatem, & viarum cùm sanguinis, tūm Aëris interceptionem maximam denunciat: quod etiā indicare visus est Hippocrates lib. de morbo sacro, & lib. de flatibus. Cæterū in Epilepticis, vel nulla, vel levis noxa accidit Pulmonis, & Cordis motui, cùm Respiratio in illis perennet, & sanguis per Pulmonis ductus in Cor traducatur; quamobrè spuma in ore comparens haudquaquam sequitur offendentis spiritus, & perfracti ex tracheolis Pulmonum aëris interceptionem, sed solius salivarii roris, ob concussionem muscularum mandibularium, expressionem, atquè ad dentes, aliásq; oris partes collisionem, unā cum interclīlo aère in concamerato palati fornice commisti. Itaque, ut de Veritate Aphorismi perpetuò constet, neutiquam reviviscet, qui spumam emittunt ab intercepto spiritu in Pulmonis ductibus, atquè impedito sanguinis per eosdem motu; Qui verò aliis ex causis spumant, benè possunt in vitam revocari.

Sed & non ita pridè excogitatus est modus, quo isti, & qui sub aquis sunt demersi, in vitam referantur, nisi tamèn sint penitus extincti, quod plerumquè post duas horas evenit. Sunt primū inverso Corpore, sublatisque sursùm pedibus, ac capite deorsùm pendulo eousquè detinendi, cùm accenso interea igne, quo usquè recakescere

incipiant, & aquam per vocalem Arteriam eructent,  
 foto sensim Corde, totoque pectori, cum Vini spi-  
 ritu, elixire vitali, vel pane calente generoso vi-  
 no irrorato, hisque saepius, saepiusque iteratis: futu-  
 rum enim, ut mox, nisi omnino decesserint, Cor  
 in suo motu restituatur, & paulatim sanguinem  
 admittat, atque in arterias propellat, cum vita  
 restauratione. Qui vero laqueo suspensi, ac stran-  
 gulati nondum perierte, in vitam facile redire so-  
 lent insufflato per Asperam arteriam aere, ut  
 nimirum Pulmonum bronchiis turgentibus sanguis  
 possit e dextro in finistrum Ventriculum protrudi, sub-  
 indeque restitui motus tum Cordi, tum sanguini,  
 qui ex strangulatu substitut. Ad promovendum  
 autem sanguinis motum, atque ad dissolvendum  
 eum, qui forte in dextro Ventriculo, & in vasis  
 Pulmoniacis haerere, ac concrescere cooperat, plu-  
 rimum conferunt Elixir magnanimitatis, proprieta-  
 tis, & vitae Quercetani; itemque spiritus Salis am-  
 moniaci, & theriacalis dictus, jalapium vitale cum  
 Croco, oleum Cinnamomi, idque genus alia, sen-  
 sim, atque iterato, ut res ipsa tulerit, exhibita. Cæ-  
 terum qui ultrà duas horas præfocati supervixerunt,  
14. de Rer. Var.  
c. 76. ut de eo refert Cardanus, cui aspera Arteria os-  
 sea inerat, sicuti ductum aeris interclusionem  
 omnino non sunt passi, ita Sanguinis, & Cordis  
 motu revera non sunt defecti, nisi etiam hi parem  
 cum amphibiis, & nobili illo Urinatore Cola Ca-  
 tanense, Pisce cognominato, sortiti sint Naturam.





## APHORISMUS XLIV.

*Qui natura admodum crassi sunt, citius intereunt, quam qui graciles.*

**S**Ivè hic Aphorismus referatur ad præcedentes, eóq; Hippocrates indicare voluerit, citius ex Apoplexiâ, animi defectione, ac suffocatione, obcessos interire, quam graciles; sive simpliciter sit prolatus de iisdem intèr sece comparatis, parùm interest, cùm alioquì certum sit, valetudinariam perpetuò vitam magis ducere pingues, quam graciles.

Comparat autem admodum crassos cum gracilibus, & quidem naturâ, qui nimirùm à primâ ætate, & primigeniâ conformatio[n]e ejusmodi habitudines sunt sortiti. At verò valdè crassos intelligit, qui nedum multo adipé scatent, sed & venas, atquè arterias habent exiles, & ossa tenuia, quæ ingentem Corporis molem ægrè admodum regere valent; sed & his sanguis non solùm proptèr venarum, arteriarumque angustiam modicus esse solet, comparatè saltè ad carnium multitudinem, verùm etiàm parte illa vivificâ magnâ ex parte deficit, quamvis multo glutine abundet, quo scilicet adeò ii pinguescunt; quamobrèm vitæ fomes, & vigor partium imbecillis quoquè est, qui possit diutius perennare, & causis alterantibus obsistere: atquè ideò multa etiàm congerunt excrementa, plurimisque adhuc ex non liberâ proptèr obesitatem per poros cutis trâspiratione, scatent inutilibus succis, quibus gravati facile deinde gravissimis ægritudinibus succumbunt, Asthamati, Hydropi, Apoplexiæ, Syncopi.

Hi

*De lög.  
Obro.  
vira.* Hi ergò ab ingenitâ cōstitutione obesi, quià laxā, laguidāmque nanciscuntur partium, & sanguinis cōpagem, universas penè operationes languide, obtusè, exercent, quæ vitam nèc constantem, nèc diutinam portendunt, quemadmodùm Aristoteles de Aethiopis, eisdem ferè ex causis, testatur.

At verò Graciles, non tamè omnino macilenti, & extenuati, sed moderate carnosí, ob venarum, arteriarumque amplitudinem, & sanguinis vivacitatem, texturamque Corporis perspirabilem, sicut in omnibus sunt agiliores, valentioresque, ita in his, quæ ad vitam, salubritatēmque spectant, firmiores, ac longeviores observantur. Verum tamè hos cum obesis collatos sumere conuenit sub eadem Regione, in eodem sexu, & ætate constitutos, iisdem exercitiis deditos, & pari utentes viuit ratione. Nequè insuper obesi cum tabidis, vel ad tabem dispositis, utpotè morbosis, quales oblongo collo, excarni cervice, angustoque pectore sunt, hic comparantur, quemadmodùm nèc carnosí, & lacertosí, veluti Athletæ, cum gracilibus: Eusarca enīm Corpora cunctis præstant. Sed solū conferuntur Graciles cum Obesis, qui nimis ab habitu Corporis carnosò, & medio, æquè recedunt, nèc dum limites salubritatis sunt transgressi. Excipiendi præterea sunt, qui obesum habitum progressu temporis sunt adepti, ob vitam sedentariam, & opiparam, cùm Hippocrates speciatim notaverit admodum crassos naturā: hi siquidem à partium laxitate, & sanguinis pauperie vitam in longum ducere nequeunt; in his verò, qui procedente ætate pinguiores evaserunt, nèc venæ tenues sunt, nèc sanguis effusus, quin & ossa, ac viscera solent esse firmiora; undè fortius causis ægrotare facientibus

bus obſiſtunt. Parī ratione graciles naturā tales esse debent; nām qui ægritudine, evacuatione, exercitiis, inediā macruerunt, hoc Aphorismo non comprehenduntur, veluti à naturali constitutione recedentes, & morbos; cùm tamēn hīc comparentur ſolūm graciles, & obesi intrā sanitatis confinia positi, ut dictum, ex quibus hi faciliūs in morbos labuntur, & lapsi difficiiliūs resurgunt, cùm nēc medicamentis, nēc diætā convenienter tractari poffint ob carnium, & ſanguinis laxitatem.

Cæterū, quia à ſanguinis dumtaxat conſtitutione, atquè habitudine debiliori, in pinguioribus hæc accidunt, planè ſi illa in meliorem conditionē deducatur, poterunt imminentia iſtiuſmodi mala, anteverti, ac præcaveri. Quare tenuiori victu inſtituto, in aëre puriori, cum convenienti exercitio, vigiliā, ſudore, aliisque extenuantibus cauſis, in meliorem ſtatū illa reducentur, reddito procūl dubio per hæc ſanguine vividiori. Ubi autēn hæc profecerint, non eſt, ut medicamenta illa adhibeātur, quæ in hanc rem à quibusdam commendari ſolent, quemadmodūm eſt præ cæteris Acetum ſcliticum ſummis laudibus à Galeno exornatum. At verò putaverim ipſe ſinē ullā mali ſuſpicione præcellere frugalitatem.



APHO.



## APHORISMUS XLV.

*Quicumque Juvenes morbo comitali laborant,  
mutatione maxime etatis, & temporum,  
& locorum, & victuum quo-  
que liberantur.*

**A** Leeram valde affinem Apoplexiæ ægritudinē hic memorat Hippocrates, quam Epilepsiam Græci vocant. De hac autem sic scribit Celsus lib. 3. cap. 23.: *Intèr notissimos morbos est etiàm is, qui comitalis, vel major nominatur. Homo subito concidit, ex ore spuma moventur, deinde interposito tempore ad se redit, & per seipsum cōsurgit. Id genus sapiùs viros, quam fæminas occupat, ac solet quidèm etiàm longum esse, usquè ad mortis diem, & vita non periculosem. Interdùm tamèn cùm recens est, hominem consumit, & sapè eum, si remedia non sustulerunt, in pueris Veneris, in pueris menstruorum initium tollit. Quæ sanè consentiunt cum sententiâ hoc loco ab Hippocrate recensitâ, quâ monemur Morbum hunc, tametsi non raro cōfuscentem, si fortasse pueros invadat, fore, ut mutatione ætatum, victuum, locorum, & temporum, mitescat, aut desinat.*

Et quidèm quod Juvenes hic, antequam vigesimumquintum annum attigerint, intelligantur, patet ex Aphorismo 7. Quinti, ubi dicitur: *Quibuscumque morbi Comitiales fiunt, ante pubertatem mutationem accipiunt; quibuscumque autem vigesimoquinto anno, sere commoriuntur. Quamobrèm ubi Leoninus vertit rōm Néost Juvenes, aptius Cardanus exponit*

ponit Juniores; & Fuchsius Pueros; niſi tamē Juvenes intelligere velimus eos omnes, qui primordia Juventutis non ſunt p̄tergressi, cūm ex ſuperiūs notatis, videatur quodammodo Hippocrates universam Hominum vitam in duo ſolūm tempora discriminare, Juventutis nimirūm, & Senectutis. Qua ratione nedūm Juvenes, ſed etiām Pueri, & Adolescentes, morbo Comitiali correpti, mutatione ætatis, temporum, locorum, & vietuum, sanari poterunt.

Eſi autēm mutatio ætatis potiſſimū Epilepticis cōferat, non tamē hujus ſolūm meminit Hippocrates, quaſi quōd ſponte ſuā ætatum mutatione morbus Comitialis curetur, ſpretis c̄teris auxiliis; ſed addidit, & mutationem temporum, locorum, & vietuum, ut ſicut illa interiūs, Naturā operāte, prodet, ſic iſta exteriūs administrata plurimū coadjuvent ad ejuscemodi affectionis ſolutionem. Naturā quippē prima morborum Medicatrix, in arduis ſæpenumerò, ac diſcillimis ægritudinibus opem, & ſuppetias exquirit ab Arte. At verò Cardanus, Heurnius, & alii, particulam *Temporum* adimunt, eāmque à Leoniceno perperām adjectam inquiunt, ex malē intellecto Hippocratis ſenu: Evidēm ſi tēporum mutationes unquām Epilepticis conſerrent, multos ſanē illis liberatos experircemur; atqui nūl-lum indē beneficium accidit, niſi quōd ex mutatione temporum ætatis factum eſt. Quare putaverim tempora hic ad ætates, non ad recurrentes annos eſſe referenda, adeoque non annorum, ſed ætatum mutationes conſerre poſſe, ut phrasim gręci idiomatis perpendenti palām fit; niſi tamē annorum potiū tempeſtates, ſcū constitutiones Hippocratem hic conſideraſſe dicamus, quas plurimū

P p

valere

valere ad finem morbis chronicis imponendum pluriēs memorat.

Levamen autē sentiunt Epileptici ab ætatis mutatione, cùm Epilepsia idiopathica est, vitio scilicet Cerebri contracta; nām si sympathica illa sit causā Uteri, aut Ventriculi male affecti, vel etiā à Veneno, & morsibus venenatis, non tām facilē solet ætatum mutatione desinere, nisi fermenta horum viscerum affectorum sensim beneficio temporis extenuentur. Locorum etiā, & victuum mutatio proderit, si in contrariam causā morbificę, & habitus Corporis constitutionem facta sit: putā si ab incolatu palustrium locorum, & ab Aëre nubilo, ac Austrino, Epilepticus æger migraverit in Aërem puriorem, tenuiorem, & apricum, & pro abundanti, & crasso cibo, deinceps utatur salubriori. Nil equidēm in ejusmodi generibus ægritudinum conducibilius cœli, & victus mutatione.

At quā ratione Comitialis morbus ex hisce mutationibus definat, nūnc inquiramus. Qui existimant illū ab irruente in Cerebri vētres humore pituitofo, aut melancholico proigni, statim se expedit, ætatum scilicet mutatione afferentes ejusmodi humores digeri, & absumi, temperamento in calidius, & siccus abeunte. Verū Epilepsiam haud quaquā ab humoribus, præsertim pituitosis, & melancholicis Ventres Cerebri opplentibus oriri vel indē potest esse manifestum, quod ægri subito concidant, & convellantur, mōx etiā resurgent, liberentur, & in consueta vitæ munia redeant, nullo alio symptomate superstite, præter quamdam Corporis lassitudinem: at verò minimē posset lentus, crassusque humor, qualis est pituitosus

tosus , vel melancholicus tam citè dissipari , & evanescere , aut saltè à Cerebri Ventribus in alias partes detrudi , non illis sensibilitè affectis.

Verisimilius autèm est , à vaporibus Nervorum principium , illorūque membranas , infensâ quadam vi , vellicantibus , & fibras molestè admodùm contortientibus , Comitialem morbum exoriri , ut propterè repente invadat , & subitè etiàm desinere soleat , superstite solùm quadā mentis hebetudine , & lassitudine totius Corporis , inductâ ab ipsa nervorum contractione . Quāquā & ab aliis causis epilepticos insultus proficiisci posse aliàs ostendimus , modò illæ fibras nervorum lacestere valeant ; undè Comitialis morbus veluti nervorum affectus absque irritamento non sit : cùmque per puerilem ætatem fibræ illorum molles admodùm sint , & tenellæ , fit propterè , ut quacumquè etiàm levi de causa concitentur , & convellantur .

Quoniàm verò ætatum mutatione omnia propmodùm Viscera firmantur , & Cerebrū ipsum , atquè nervorum principium , eorūque fibræ sensim consolidantur , qui antè pubertatem Comitiali morbo obnoxii erant , facilè adventante Juventute , quâ robustiores fiunt , etiàm ab ejusmodi nervorum molestiâ liberantur , æquè ac pueri illi , qui , præ partium mixtui destinatarum languore , urinam diutius continere nequeentes , sèpissimè invici , aut dormientes mejere solent , ad pubertatem , & Juventutem perduci , nervorum , ac musculorum firmitate , consanescunt . Sed & causè illæ nervorum fibras proriantes plerumquè per ætates corriguntur , ac desinunt , mutato in meliorem crasim sanguine , cæterisque liquoribus ab illo derivantibus , ac fermentis partium repurgatis ; undè sèpissimè experimur

fœmellas post menstruorum eruptiones nedum his, sed etiam aliis gravissimis ægritudinibus, quibus antea laborabant, devictis, evalescere; itemque pueros, post repurgatum à variolis sanguinem, meliorem, salubriorēmque diathesim adipisci. Rechè ergò notavit Celsus loco c., lèpè Comitialem hunc affectū in Pueris, Veneris, in Puellis, menstruorum initium tollere.

Quamvis autem verum sit sedari potissimum per ætates hunc morbum, Cerebri, & Nervorum vitio inductum, quià tamè ab Utero, Ventriculo, aliisque Visceribus procedens etiam nervorum fibras prioritatis consequitur, uti in nostrâ Medicinæ Praxi monuimus, sanè poterit & hic pari ratione mitescere, ætatis, locorum, ac victuum mutatione, modò Causæ nervos afficientes emendabiles, & Viscerū habitudines permutabiles sint. A malâ quippe Ventriculi, aut Uteri conformatione, ortæ Epilepsia, atquè Hystericæ affectiones, plerumque consenescunt, ut de fœminis infœcundis meminit Hippocrates 5. aphor. 62. Compertum quoquè habeo fœminam quamdam scirrho uteri ab adolescetiâ laborantem, hysterico-epilepticis insultationibus perpetim divexari, quotiès sunt menses erupturi, eti nunc propè quinquagenaria sit, plurimisque identidem usâ medicaminibus.

Ut autem facilius assequantur, quod Temporis beneficio per ætates sunt ægrotantes opperituri, poterunt planè quorumdam medicamentorum, usu, atquè experienciâ comprobatorum, ope, ab hoc morbo liberari. Et quidem ista varia erunt pro Causarum, & Viscerum consentientium varietate, ut alibi etiam est à Nobis indicatum *peculiaricap.*  
*Pr. p. 1. de Epilepsia.* Quandocumq; enim diligentè fuerint adhi-

adhibita, & vixus, ac loci mutatio consenserint; sperandum ultrà Juventutem adhuc productum Comitialem morbum desitum, si præsertim ex vitâ in erroribus anteaqâ profiscatur, ut aliquando in Nobili quodam Viro expertum memini.

*APHORISMUS XLVI.*

*Duobus doloribus simul non eundem locum infestantibus, vehementior alterum obscurat.*

**Q**uod Hippocrates de doloribus fatetur, non nulli de cæteris quibuscumquè affectibus intelligendum subdunt, itaùt nedùm vehementior debiliorem dolorem obscuret, sed etiàm affectus quilibet præter naturam gravior minus gravem insensibilē reddat, adeoque inflammatio Pulmonis, meningum Cerebri, Hepatis, alteriusve interni visceris externos tumores præoccupet. Sed reverà sensus Aphorismi ad dolentes tâtum partes videtur congruentius aptari posse, quoniàm per dolorem sensibilitè afficiuntur, indéq; judicium ferri potest gravioris, vel levioris affectionis, cùm cæteroquì in aliis ægritudinibus falli sèpissimè possent patientes, æstimantes leviores aliquo tamèn dolore, vel molestiâ sociatum, longè graviorem eo, qui reverà intensior foret, sed dolore vacius.

Dolorifici itaque affectus intèr se hîc dumtaxat comparantur, & quidèm acerbiores cum mitioribus,

bus, qui tales erunt relati ad Causas dolorem inferentes, & ad partes ipsas dolorem subeuntes: quo enī illæ acriores, vehementiorēsque fuerint, atquè hæ nervosiores, ac sensibiliores, eo quoquè dolor acerbior, ac molestior erit. Hāc planè ratione, humores acritate prædicti, acidi, falsi, tenues, mobiles, asperiūs excruciant, dolēntque sensibiliūs Membranæ, quām Parenchymata.

Non debent autem duo dolores eamdem omnino partem infestare, nām aliter mutuò confundentur, & potius alter alterum exaugeret, ut cùm dolens membrum inciditur, & cutis ex admotis cūcurbitulis tumida, adeoq; dolens, scarificatur; Sed diversas, distinctasque partes afficeret, ut comparatio fieri possit: putā si unāsimūl dolent Cerebri Meninges, & Dentes; Pleura, & Lumbi; Renes, & Femur. Tūnc quippè vehementior, aut propter Causæ acerbitatem, aut ob loci, & sensus præstantiam, alterum debiliorem obscurabit, scū in causa erit, ut minūs sentiatur.

Sed undē id eveniat, non est adeo facile explicatu. Sunt qui inquiunt, vim sentientem unius partis distrahi ad vehementiorem, aut spiritus in partem vehementius dolentem subsidii ergo demandari, adeoque in parte minūs dolente sensiōnem impediri, aut infringi. Sed inania verba isthæc sunt eorum, qui rem sibi fingunt pro more sufficienter explicatam, quam reverā magis implicant; cùm ceteroquì sensiones, quæ fieri videntur in sensibus externis, percipiāntur ab interno, ut alibi est ostensum. Qui insupèr idipsum explicare conantur exemplo Luminis majoris obscurantis lumen minus, longè etiām, latēque falluntur, cùm non ex eo, quod diurno tempore lucente

So-

Sole, Stellarum lumen non conspicitur, benè inferri possit, Stellarum lumen obscurari à lumine Solari; nàm ex profundo puto quis Cœlum interdiù suspiciens, Stellas saltēm primæ magnitudinis perpendiculariter fitas clarissimè intuetur, & non est novum Venerem per diem conspici posse, ut nupèr hic Neapoli die XXIV. Martii Anni 1689. post Lunæ conjunctionem in Tauro, ab horâ XX. Italicâ ad Vesperam usquè visa est sequi Solem, signum Arietis perlustrantem, adeoq; undecumquè spectabilis, cunctis fuit admirationi, ac propterea quod pluriès de die spectatam Astronomi ntarint, Stella Audax meritò appellata est; cæteras autem cernere nequimus ad aspectum Solaris luminis, quiā ita eo nostri oculi afficiuntur, ut ad perceptionem luminis minoris, quale Stellarum est, omnino reddantur inidonei. Sic pariter Auditus organa ingenti strepitu perculta nequeunt exiles sonitus percipere; & Tactu ipso non persentiantur, quæ leniter contrectantur, cùm fortassè unctione, vel sectione percelluntur illius Organa.

Hæc autem non aliâ de causâ contingunt, nisi quiā sensiones omnes in Cerebro fiunt per motum in organis sensuum externis excitatum, atquè per nervos, nervorumque fibras illi communicatum, ut propterea quæ molesta partibus subjectis accidunt, percipiantur à Mente, prout in eas partes intenta est; undè eâ abalienatâ, vel alio distractâ, dolor, vel voluptas nec percipitur. Cùm igitur à vehementiori motu dolorificæ causæ affecta est, nequit profectò leviores persentire: hi quippe mihius nervorum fibras commovent, lentiūque Cerebri meditullium concitant, quam ut valeant memorem avocare in partem leniùs affectum.

Ne-

Nequè verò hinc licebit dolorem dolore levare; & ad partes ignobiles referre, quemadmodum deduci videtur ex eodem Hippocrate 6. *Epidem. sect. p.*, cùm Hippocrates hīc dixerit dolorem vehementiorem obscurare, non autem collere, aut sedare minorem; nēc boni Medici sit graviorem dolorem excitare sub dubiā spe, quod minor definat. Sed & perperam, atquè inutiliter agere experimur, qui in gravibus ægritudinibus partium supernarum, tibias, pedesque asperius attrectando, vitiosos humores in artus avocare nituntur, putantes se ita illas exsolvere.



### *APHORISMUS XLVII.*

*Dūm Pus conficitur, dolores, & febres accidunt magis, quam jām confecto.*

**C**um sanguis alicubi restagnat, & tumorem, ac inflammationem parit, concrescit primum, mōx sensim corrumpitur, & vertitur in pus, in cuius generatione, vehementi quadam fermentatione subigitur, & simili carnes quodammodo discerpendo dolorem excitat, atquè per commotionem, disjunctionemque partium tenuium à crassioribus, calorem excitat, & febrem accedit. Id autem considerans Hippocrates, inquit, dolores, & febres accidere maiores, dūm conficitur, quam jām confecto pure. Evidēm in ipsa puris confectione partes illæ tenuiores per fermentationē adiguntur, & adnituntur crassiores subigere, undē tumefactionem, expansionem, pulsationemque molestam

lestam inferunt : postquam autem pus confectum fuerit, extricatis tenuioribus particulis, agitatio, atque commotio cessat, fermentatione ad precipitationem perducta; nisi quod solum molestia illa persistit, quae ab ipso pure, veluti a re morbo sa provenit, cuius causae circumiacentes partes infici, atque in suis operibus deinceps laedi poterunt, nisi citiore datâ portâ educatur: Id quod planè expertum in cujuslibet Tumoris suppuratione, & mox a sectione, confecti puris expulsione. Sed & non raro per suppurationem egeruntur ea, quae vix, ac nè vix quidem, aliter extrudi poterant omni adhibitâ diligentia. Sic spina digito infixâ, nisi aliter possit extrahi, suppuratione promotâ subducitur. Sic etiam ossium squamulae in vulneribus, & ulceribus sponte foras educuntur, aliisque plura præter naturam Corpori ingenita, vel adverso casu affixa.

Quoniā verò a suppuratione habitâ dolores mitescere solent, videmur hinc non inconditè admoneri in tumoribus, atque inflammationibus internis, quae diris cruciatibus miseros ægrotantes divixerunt, si fortasse deinde sedentur, cautos esse opertore, tūm in prognosi faciendâ, tūm in remediis adhibendis, nèrupto apostemate, effusoque in partem vitæ necessariam pure, mors repente accidat, aut saltēm gravior morbus insequatur, cum æger se jam curatum credat. In Vomicâ Pulmonis, Empyemate, Anginâ, Pleuritide, aut Hepatide suppuratis, aliisque saepius id evenit.

Quod Hippocrates hic junxit dolores, & febres, manifestum fit, quâ ratione alibi dixerit omnem morbum esse ulcus, aut ulceris conditionem preferre: siquidem cuncti planè morbi ve-

Q q

luti

Lib. de  
flat.

Iuti quidam dolores suat , & molestæ affectiones , aut etiā cum patente dolore conjuncti , profectò , si is à solutâ partium continuitate , vel manifestâ , vel occultâ provenit , omnis morbus aut reverà ulcus erit , aut ulceris quodammodo naturam sapiet . Atqui compertum etiā ex Anatome est , morbos omnes , ipsasque febres , absque internis tuberculis , abscessibus , inflammationibus , pustulis , ulcusculis , idque genus aliis , non exoriri ; ut propterea jure optimo sit ab Hippocrate pronuntiatum , omnem morbum ulceris conditionem præseferre .

Præter dolores , ac febres hic ab Hippocrate memoratas , addunt alii etiā Rigores ex suppuratione proficiisci , qui sanè in suppuratis sœpèstè pius observari consueverunt , præsertim cùm partes membranaceæ sunt affectæ , aut purulenta materia per easdem excurrit , & nervos vellicat : quo pacto ex fluentibus humoribus per glandulas subtercutaneas , & cùtim ipsam spinæ attiguam , horrores , & Corporis concussions plerisque accidunt .

Cæterū quæcumquè possunt tenues particulas concitando , & exagitando crassas , adhærentesque , fermentationem promovere ; atquè poros Cutis obturando , perspirationem in partibus tumefactis impedire , valent pariter suppurationis opus adjuvare , qualia sunt pinguia , & calorifica dicta : *Calidum enim , inquit Hippocrates , est suppuratorium .*





## APHORISMUS XLVIII.

*In omni Corporis motu, ubi laborare cuperis,  
quies statim lassitudinem auferit.*

**V**Idetur & hic Aphorismus unus ex eis, qui Hippocrate digni non sint. Quis enim est, qui nesciat, subortā à motu lassitudinem quiete desinere, & labefactatum Corpus otio restaurari? Quocirca Galenus *in commentario Aphorismum* hunc non de solo labore ex motu interpretatur, sed etiā ampliat ad dolores; atquē alii id speciatim ab Hippocrate notatum putant, ut eos argueret, qui contendebant ex motu immodico morbum calidum exoriri, in cuius curationem frigida commendabant, quæ cùm omnino nocua sint, propterea illum statuisse ajunt, solā quiete lassitudinem ex labore moderari: Et Cardanus duo inquit in eo contineri: *unum satis notum, non esse in labore perseverandum, ubi quis lassitudinem sentiat; aliud non vulgare, ubi quis ab initio lassitudinis quiescat, & non mitigetur lassitudo, esse immundum Corpus, paratum ad morbos, ideoque purgatione indigere.* Sed enim hinc quoquè admonemur, quomodo lassitudinis causas internoscere possimus, an ex motu Corporis pendeat, an verò ab interno ejusdem affectu, si scilicet observaverimus, an nè labor, ac defatigatio quiete adimatur.

Equidem sponte enatae lassitudines, (de quibus Aphorismo V.) solā quiete non desinunt, sed quæ à laborioso tantum motu contingunt: hic quippe quieti opponitur, & vicissim temperatur; undè

Qq 2. quem-

quemadmodum immoderati motus, & lassitudinis, remedium est quies ; sic otii , ac diuturnæ quietis, motus est : utrumquè autem moderatum esse decet; nam ut inferius dicitur , omne nimium Naturæ inimicum .

Quod vulgatâ versione scribitur : statim lassitudinem auferri , ansam præbet dubitandi . Siquidem impossibile videtur tam subito lassitudinem adimiri per quietem . Præstat ergo non statim , sed brevi, & facile, ex græco Codice sufficere , ut sensus fiat , nullo negotio , ac brevi, lassitudinem desitaram , si quies accedat ; quinimò nec illa aptè dici poterit auferri , sed tantummodo per quietem succedentem sedari , atque mitescere . Nequè vero Hippocrates quemcumquè motum hic intelligendum voluit , sed eum tantum , qui cum labore confunditur , atque ad lassitudinem perducit , cum apud Veteres alias foret levis motus , & exercitium , & aliis labor : hoc enim non solum Corpora leviter exercebantur , sed ad sudorem usque , ac defatigationem deviebant . Et quamvis in textu dicat in omni Corporis motu , non tamè hinc quis inferat , primam dumtaxat motus speciem comprehendere , cum mòx subjungat: ubi laborare cœperit ; quamobrem tertiam manifestè designat , ut propterea mens illius sit , in omni Corporis motu , sive in omni exercitiorum genere , saltatu , luctâ , digladiatione , venatione , ludo parvæ pilæ , aliōve simili , quiescendum statim esse , ubi ad defatigationem pervenit fuerit .

Quo demum modo quies lassitudinem adimat , perspicuum fiet , si perpendatur muscularum affectio in motibus Animalium : illi enim pro diversa Corporis agitatione diversimodè distenduntur , &

con-

contrahuntur, atquè adeò diversas figuræ effor-  
mant, ut obſervat acutè Stenonius in ſua *Myolo-  
gia*, quamobrèm tam fibræ carnium, quam ner-  
vorum à diuturnâ commotione delaffantur, ut tan-  
dèm flacceſcant, & extenuentur, eo fermè modo,  
quo stamina telarum ab affiduâ, & variâ diſten-  
tione, & contractione, diſtorſione, diſtractione, ac  
retoſione, primùm longiùs extenduntur, mòx etiā  
attenuantur, ac poſtremò ſcinduntur, & lacerantur.  
Cū autem per quietem fibræ iſtæ diſtractionibus  
liberantur, ſenſim otio, nedūm ſuis quaꝝque lo-  
cis reſtituuntur, & conqüiescent, verūm etiā ali-  
bilibus liquoribus, qui labore nimio exſudabant,  
irrorantur, & liniuntur, imraò reficiuntur, roboran-  
tur, ac vigent.



## APHORISMUS XLIX.

*Consueti ſolitos labores ferre, etſi ſint imbecilles,  
aut Senes, non consuetis, fortibus, atquè  
Juvenibus, facilius ferunt.*

**Q**UAMVIS præcedenti Aphorismo dixerit Hippocrates, in omni Corporis motu, ubi illud laborare coepit, quietem statim laſſitudinem adimere, admonet tamèn hic ejusmodi laſſitudinem non adeò facilè ſequuturam in consuetis; quamobrèm inquit, consuetos licet debiles, aut Senes, minùs affici ſolitis laboribus, quam insueti, etſi fortes ſint, ac Juvenes.

At verò consuetos ait ferre ſolitos labores: nàm auſſuetus in uno genere laboris, haudquaquam facilius

iūs feret aliud laboris genus ; sic etsi quis affuetus sit venari , non tamēn facile digladiationē , aut saltatum sufferet. Hinc sententia hæc aptanda , solum consuetis in certis exercitiorum generibus , quæ usu sibi familiaria compararunt ; quamvis & id quoquè verum sit , laboriosos Homines facilius sempè ferre cujusvis generis exercitia , quām qui sedentariam , otiosāmque vitam ducere consueverunt .

Inquit præterea , etsi imbecilles , aut Senes , facilius tolerare : etenim tolerantia laborum non provenit à robore , sed ab assuetudine , quā partes Corporis minūs defatigari solent . Sic imperitus scribere , aut fides tangere , etiamsi robustus sit , digitis dolebit . Sed & Equi meritorii , licet gracilenti , lōga adhuc itinera , & quotidianos labores sustinent , quos generosi , sed requieti , sufferre nequeunt . Consuetudine etenim fibræ musculorum motrices aptantur certā serie ad ejusmodi munera peragenda , imò ex his usu habitis quodammodo roborantur magis , atquè virtute cæteris omnibus præcellunt . Quemadmodū ergo Habitus ex pluribus , atquè assiduis actibus acquiritur ; ita Consuetudo & frequenti ejusdem generis operatione inducitur ; & sicuti ex habitu acquisito promptitudinem , ac facilitatem assequimur agendorum ; ita Consuetudine tolerantiam adipiscimur : quamobrèm alteram Naturam passim illam Galenus appellat . Quid quòd ejus tanta sèpenumérò vis est , ut Naturam ipsam , atquè ingenitam cujusquè facultatem , & prævertat , & superet . Laboribus namquè assueri , si diù orientur , facile in morbos incident : qui cibum semel in die capere consueverunt , si fortassè bis assumant , protinus cruditates incur-

runt :

runt : Vini potores , si abstemii fiant , de malâ concoctione , & Ventriculi languore illicò conque-  
runtur. Sed enim Naturæ defectus plerumquè emen-  
dantur , & ultroneæ Animi propensiones sæpissimè  
corriguntur , & temperantur ; At verò quæ Con-  
suetudine invaluere , vel nullatenus , vel difficil-  
limè . Fertur Ducem quemdam Atheniensium  
saltare solitum , cùm præ dignitatis assumptæ de-  
core nequivisset consuetum exercitium frequentare,  
cùm vellet , cogebatur aliquando repente tripudiare , forti totius Corporis concussione , ac tremo-  
re deprehensus .



## APHORISMUS L.

*Quæ ex longo tempore consueta sunt , et si deteriora-  
sint , insuetis minis molestare solent. Oportet  
igitur etiam ad insueta transire .*

**Q**uod de solis exercitationibus præcedenti Aphorismo notaverat Hippocrates , nunc generaliori sermone de cæteris etiam rebus , quæ humano Corpori possunt adhiberi , aut quocumq; modo in Vitæ usum evenire , commonefacit , atquè in his ferendis , vim , & effi-  
ciam Consuetudinis inculcans , inquit , ex longo tempore consueta , et si deteriora , minus , quam insueta , molestare solere .

Et sanè si præcipua Rerum genera ad Vitam , valetudinemq; tuendā necessaria perpendamus , id ve-  
rissimum compierimus . Aér frigidissimus , atquè in-  
colatus borealium , & nivosarum Regionum , ne-  
dum

dùm commodè , ac salubritè , ab illorum locorum habitatoribus toleratur , sed etiàm valdè proficit ad Corporum firmitudinem; si deinde in calidore comitetur, & in Regiones temperatas, graviter afficiet , & noxam afferet . Cibis enutriti solidis , crudis , & inconditis, quíque diù peculiaribus quibusdam potibus sunt uti , si diversis deinde potionum, alimentorumque generibus utatur, quantumvis melioribus , lèdentur . Assueti pomeridianis horis dormire , vel sub dio , aut Sole sub ardentì , vel ad graves Arborum umbras , incommoda cæteroquì insuetis nocentissima , benè tolerant . Qui purgantibus medicamentis consuescunt, indè succedentes tacillimè sufferunt evacuaciones : quo factum , ut Medici intèr Coindicantia Purgationis Consuetudinem retulerint . Sic pariter qui toxica sumere consueverat , nullo unquam tempore ab eis visus est damnum persentire . Et ubi Homines , inquit Seneca , majorem Vitæ partem in tenebris agunt , sic sit , ut novissimè Solē , quasi supernacuum fastidiant . Vivit adhuc , qui ad integras hebdomas compressâ alvo citrà fastidium fœces , & vrinam remoratur . Hinc jure optimo dicitur Consuetudo Natura adscititia , quæ primavam corrigere , & permutare valet .

Ut autem Consuetudo id præstet , longo tempore inducta sit , oportet ; quocircà appositiè notavit Hippocrates : *Quæ ex longo tempore consueta sunt :* etenim quo vetustior illa est , eo radices altiores figit , atquè firmam, ac stabilem in assuetis promptitudinem , ac repugnantiam ad opposita , operatur .

Addidit insupèr : *etsi deteriora sint insuetis , per comparationem : siquidem quæ omnino , & absolutè*

lute mala , ac perniciosa sunt , potissimum quæ vehementer , & cū violentiâ afficiunt , haud facile ferri poterunt . Sic assuetus pati incommoda Aëris , somni , vigilie , laboris , aut ciborum , non tamè facile tolerabit illa eadem , si immodica , & violenta fuerint , ut & nequæ contusiones , vulnera , aut mortifera venena . Quin & adjecit , illa minus molestare solere , relata scilicet ad insueta , sive Corpora , sive mala extrinsecus occursantia : quippe semper misus afficiuntur consueti , quam insueti , & minus quoquæ molestabunt , quæ sunt in assiduo usu habita , quam quæ omnino inusitata sunt . Hac profectò ratione , partes eas , quas amictu velare solemus , non sine valetudinis incommodo Aëri frigido exponimus , sicuti nequæ pedes frigidâ aquâ abluimus , ut manus , & faciem , sine Catarrhi periculo ; & pleræq; mulieres nudos humeros , pectusque ipsum solent ostentare , absque ullo salutis discrimine ; quod sanè insuetis obesse plurimum . Possimus itaque ita assuescere ab ineunte puericiâ , ut iis etiam , quæ suapte naturâ nocere solent , sine valetudinis detrimento , ac vita noxâ , utamur ; quemadmodum de plerisque fertur , qui venenatis rebus Corpus enutrire conseruerunt .

Hinc tandem colligit Hippocrates , oportere etiam aliquandò ad insueta transire , ut scilicet ab his minus Corpus afficiatur , si fortasse iisdem alterari contingat . Quare juvabit cunctis indiscriminatim subjici , ad valetudinem tuendam , vitamque prorogandam , ut omnium ferè quamdam veluti consuetudinem , & ex consuetudine tolerantiam acquiramus . Unde Celsus lib. I. cap. I. *sanum hominem , beneque valentem nullis obligare se legibus debere , monet , & oportere varium babere*

*babere vitæ genus, modò Ruri esse, modò in Urbe, sèpiusque in agro, navigare, venari, quiescere interdùm, sed frequentiùs se exercere, interdùm balneo, interdùm aquis frigidis uti, modò ungi, modò idiprū negligere, nullum cibi genus fugere, interdùm in convivio esse, interdùm ab eo se retrahere, modò plus iusto, modò non amplius assumere, &c. Et Galenus in commentario bujus Aphorismi : est, inquit, uniformis quequè consuetudo periculosa; cùm omnes homines inopinatis rerum sortibus subjiciantur. Nè igitùr aliquandò repente incidentes in insueta, magnoperè ledamur, satiùs esse, inquit, omnia tentare. Iterumque Celsus l. 1. cap. 3. : *Nimis otiosa vita utilis non est, quia potest incidere laboris necessitas.**

Quamvis autem valde utile sit varia ad sanitatem tuendam tentare, atque indiscriminatim cùtis uti, quæ in humanæ vitæ decursu Corporibus accidunt, nèc tamen facile vitare possumus, imò, ut consultit Hippocrates, etiam ad insueta transire expediat; nihilominus in ejusmodi permutatione, omnino cavendum, nè repente consueta deserantur, ac subito transeat ad contraria, & insueta, quemadmodum idem Hippocrates sequenti Aphorismo animadvertisit: periculorum enim. Sed neque immaturiori ætate permutationes istæ tutæ sunt; tunc enim ægrius feruntur, cùm à levissimis etiam Cau-  
v. Gal. his senilia Corpora offendantur; quamobrem licet  
5. de solùm in Adolescentiâ, ac Juventute sensim Cor-  
tuend. pora in oppositum assuefacere, quo tempore in-  
cap. 7. commoda quæcumquæ facilius tolerantur. Verum-  
tamè adhuc in ejusmodi mutationibus perpendiculariter oportebit, num à bonis, vel malis consuetis, ad insueta meliora, vel pejora procedatur, & an etiam à bonis ad mala, aut contrà à malis ad bona trans-

transitus exoptetur : Evidèm à malis ad bona , & à bonis ad meliora , tutior sempèr mutatio existimabitur , sed non adeò extrema , ut cùm voluerimus ad mala , vel pejora redire , penitus sufferre nequeamus ; longè verò intolerabilius erit à malis ad pejora procedere , cùm indè facilè transmigretur ad ægritudines . Quare multùm conferet in tèr mediocria versari , atquè illis rebus potissimum assuescere , quæ pro Corporum habitudine , ac constitutione ferri possunt , & speciatim in malis ita , ut in eis diutiùs minimè perseveretur , nè certa sanitatis , ac vitæ jactura subeat . Hæ namquæ mutationes non aliâ certè de causâ videntur commendatæ , nisi ut valetudinē tueantur , non destruant , minùsque , quoàd fieri possit , obnoxiam reddant Causis illam alterantibus , atquè ad ægritudines dependentibus . Sed propositi Consilii rationem ex sequenti Aphorismo uberiùs explanemus .

## APHORISMUS LI.

Plurimum , atquè repente evacuare , vel replere , vel calefacere , vel refrigerare , sive quovis alio modo Corpus movere , periculosum . Omne enim nimium Naturæ inimicum . Sed quod paulatim fit ; tutum est , cùm alias , tūm cùm ab altero ad alterum transitus fit .

**Q**uoniām precedingeti Aphorismo doctuerat Hippocrates conferre aliquandò ad insueta trāsire , nè quis crederet statim , ac violentè ejusmodi mutationes esse faciendas , monet nūnc

illas paulatim fieri oportere, nām quovis modo Corpus movere, plurimum, ac repente, periculoseum.

Inquit autem plurimum, ac repente, ut scilicet denotet vehementiam simūl, & violentiam alterationis: quædam enim alterant quidem plurimum, sive calefaciendo, sive refrigerando, at finè violentiâ, & longo temporis tractu; quædam verò violenter, ac citissime, at non cum tanto excessu. Si autem utrumque præstent, plurimum sanè exagitabunt; subitam simūl, & ingentem mutationem inferendo. Et quamvis alterarum, si humano Corpori accidat, grave sit, potentèque immutet, ac depravet illius oeconomiam; ubi tamè utrumque conjugatur, periculum Vitæ minabitur, diversatâ nimis impensè Naturâ, quæ mediocritate solùm gaudet, & immoderationem nullatenus ferre potest.

Subdit insuper, *evacuare*, *vel replere*, *caleficere*, *vel refrigerare*. De Evacuationibus, & Repletionibus immoderatis dixerat etiām 1. *Aphor.* 3. illas ad extrellum ductas esse periculosas: Siquidem inanitionibus immodicis exfolvitur Corpus, membra lassantur, & vires deficiunt. Repletionibus verò cuncta gravantur, infaciuntur, suffocantur. Vehementè quoquè caleficere, periculoseum; quippe à calore nimio, carnium mollities, ac laxitas, imbecillitas nervorum, mentis torpor, sanguinis profluviū, & animi defectio exoriuntur, quibus tandem Mors succedit, ut dicitur 5. *Aphor.* 16. Frigidum verò convulsiones, tetanos, livores, & rigores febriles parit, estque inimicum Ossibus, Denticibus, Nervis, Cerebro, Spinali medullæ, ibidem s. 17., & 18.

Utque omnem violentam, ac repentinam mutationem

tionem complectatur , addit : *Sivò quovis alio modo Corpus mouere : Omne enim nimium Naturæ inimicum ; & sanitas in quadam commensurazione , ac mediocritate consistit : quo etiàm argumento duetus idem Hippocrates hoc eodem libro t. 3. docuit : Somnum , & vigiliam , utraqùè excedentia , malum : Et t. 4. nèc satietatem , nèc famem , nequè aliud quidquam , quod modum Naturæ excesserit , bonum .*

Tàm ergò ad valetudinem tuendam , quàm ad morbos abigendos , & tùm in usu alimentorum , tùm etiàm in usu medicamentorum sententiā hanc prolatam esse demonstrant adjecta verba , *evacuare , vel replere* . Undè Medicamenta cathartica validiora , Sanguinis detractiones , victus plenioris frequens exhibitio , immoderata quies , idque genus alia , sunt omnino devitanda . Elegantè itaqùè , & scitè Phocylides hujusmodi effatum ad universos actus humanos transtulit , commèdans in ipsis mediocritatem , ut sit modus in rebus cunctis ; & Cicerò , ad omnem usum , cultùmque Vitæ referendam eamdem esse censuit , ut in omnibus præ oculis sit ipsa sempèr habenda .

Cùm igitùr repentinæ , & vehementes mutatio-  
nes periculosæ sint , consulit propterea Hippocra-  
tes , sensim illas esse faciendas , quià quod paulatim fit , tutum est ; idque sive in eodem statu per-  
manere , sive ad insuera , & vicissim transire de-  
beamus . Quamobrèm in Aphorismo subditur , tùm aliàs , tùm si ex altero in alterum transitus fiat .  
Sic qui alternè cibum capere , ac jejunare consue-  
verunt , si ab inediâ transitum faciant ad immodi-  
cam satietatem , Ventriculum procùl dubio grava-  
bunt , & vitam oppriment . Itémque qui cenopota  
fuit

fuit, si repente hydropota fiat, graviter afficietur. Juvabit ergo gradatim semper in ejusmodi mutationibus procedere, ut illæ feratur facilius, & profint. Hinc quoque idem Hippocrates lib. de ras. vicit. in acut. consulit, securius omnino esse ad sanitatem, in similibus, & assuetis consistere, quam repente, etiam in melius, permutare.



### APHORISMUS LII.

*Omnia secundum rationem facienti, si non succedat secundum rationem, non est transeundum ad aliud, suppetente quod ab initio probaveris.*

**N**onnumquam Medicamenta, aliaq; in ægrotantis opem à solerti Medico, summo iudicio, sanaque ratione sunt præscripta, sive in acutis morbis, sive in chronicis, quæ etiæ subito non juverint, nō propterea ad alia transeundum imprudenter, monet hoc Aphorismo Hippocrates: quoniām, ut subdit Galenus, *non mediocris prudentia est, non discedere ab iis, quæ recta visunt, etiæ nondum manifesta appareat utilitas ex iis ita factis, consequi*; cùm sæpèxpius quod ab initio manifestè non juvit, possit progressu temporis, sensibilitè proficere.

At verò dicuntur secundum rationem fieri remedia, quoties per suas indicationes ritè, recteque examinatas, fuerint opportunè adhibita; Siquidem rationabilitè Medicus operari dicitur, cùm, cognitâ Causâ morbi, congruentibus tūm in ratione vixtus

victus, tūm in usū medicamentorum, auxiliis ute-  
tur, quæ si fortassē brevi tempore eam opem, quæ  
desideratur, non præstiterint, erunt procū dubio  
allatura procedente morbo ad statum, ac declina-  
tionem, cūm non raro longius tempus exquirā-  
tur, ut causa morbi, quæ ob crassitatem, tenacita-  
tēque repugnat, coctioni, secretionique subjicia-  
tur; quamobrēm insistendū magis erit iisdem, quæ  
à principio conferentia judicata sunt, suppetente  
nimirūm eādem ratione, eādemque indicatione,  
quæ efficax visa est ad ejusmodi remedia ministrā-  
da. Quod si temporis decursu Morbus, ejusque  
Causa cum adjunctis symptomatis mutationem ali-  
quam subierit, non persistente eādem indicatione,  
certè ad alia transitus tutò faciendus erit.

Non tamē hinc velim, ut quis pertinacitè in-  
sistens præcōceptæ suæ opinioni, idem prorsùs me-  
dicamentum commendare, ac præscribere non de-  
finat, cūm illud visum est non solum non profui-  
se, sed etiā obfuisse ægrotanti. Non enim de-  
funt, qui errorem semel conceptū, adhuc in per-  
niciem hominum, cueri non verecundantur, & cūm  
incostantes, aut falsi videri nolunt, grave dede-  
cus; & propriæ famæ jacturam sibi pariunt. Sed  
enīm, quod gravius est, nēc Morbum multoties,  
nēc Causam Morbi cognitam habentes, sibi multa  
flingunt, multa quoquè ex proletariis Auctōribus  
congerunt, & perperām conficta, pejusque gesta, in  
medium afferunt. His quippè effatum hoc Hippo-  
cratis nullatenus suffragatur, nīque rationabile  
suppetit, quod à principio rectum, probatūmque  
fit. Enimverò ex eventu solum, atquè successu,  
dijudicare possumus, nūm secundūm rationem fuc-  
rimus operati, in eorum genere, quæ intè Naturæ  
pene-

penetralia latet, cujusmodi sunt Medicæ notiones, & solùm à juvantibus, & nocentibus, ad investiganda, quæ ægrotantium salutem pariunt, manuducimur. Quare non esse transcendum ad aliud ex Hippocrate monemur, cùm exhibitum medicamentum, licet omnino non juverit, minimè nihilominus nocuerit; quippè aliquandò juvare subito non solet, vel ex repugnantiâ Causæ morbificæ, quæ tempore superabitur, vel ex languore Naturæ, quæ sensim oppressa vigebit, & morbum excutiet. Unde Celsus lib. 3. cap. 1. oportet itaque, inquit, ubi aliquid non respondet, non tanti putare auctorem, quanti agrum, & experiri aliud, atquè aliud; sic tamè; ut in acutis morbis citò mutetur, quod nibil prodest; in longis, quos tempus ut facit, sic etiam solvit, non statim condemnetur, si quid non statim profuit; minus verò removeatur, si quid paulum saltet juvat, quia profectus tempore expletur.

At verò, quæ per morborum tempora variante, diversum planè exigunt medicamentorum usum, ut propterea ad alia, atquè alia, pro ratione, transcendum sit; sicut enim cum re mutare consilium prudentis est, ita expediet omnino in his pro re natâ permutare medicamenta. Ita quidem in morbis Pectoris, in Tumoribus, Inflammationibus, cæterisque, quæ ab initio probantur proficere coctioni, suppurationique, omnino mucanda deinceps erunt in detergentia, expurgantia, consolidantia, postquam maturuerint. Verumtamen ejusmodi mutationes, veluti favorabiles, Rationi adhuc congruentes dicendæ sunt, cùm idipsum non suppetat, quod ab initio, ex mutatione Causæ morbificæ, probatum fuit.

APHO-



## APHORISMUS LIII.

*Quicumque alvos humidas habent, si quidem Juvenes  
sint, in melius commutantur iis, qui siccas  
habent. Qui verò in Senectute, eo de-  
cerius commutantur, nàm sene-  
scentibus magna ex parte  
exiccantur.*

**S**imilis omnino videtur hic Aphorismus illi, in quo dicitur: *Quibus Juvenibus alvus humida est, iis senescentibus exiccatur; quibus verò Juvenibus alvus siccata est, iis senescentibus humectatur.* Attamen differunt, quia in eo mutationes solummodo per ætates Hippocrates notavit, alvi humidioris in sicciorum, & è converso; in hoc verò meliorem, vel deteriorem ex his constitutionem addidit. At verò aberratum ferè communiter faciunt Interpretes Leonicenum, quod è græco Codice ἀπαράστατο malè verterit *commutantur*: legendum propterea malunt, *meliùs degunt*, quam *in melius commutantur*; ut inde sensus sit, Juvenes alvos humidas habentes pejus in senectute degere, qua iis tūm sponte exiccatur, cùm alvus lubrica sempèr adstricta melior reputetur. Sed tamèn, qui in ætate juvenili duriorum alvum sortiti sunt, constituti tandem in ætate senili magis, & magis exiccabuntur; undè in deteriorem statum abibunt. Quamobrem præstaret Juvenes ex arctiori alvo mutationem subire senescentes in lubriciorum, ut excrementa per senectutem cumulationora promptius deponantur; quamquam Celsus l. 1. cap. 3. *melior est*, inquit, *in Juvene*

S f

fusor,

*fusor, in Sene affrictior.* Atqui hæc tam variè acci-  
dant hominibus, pro variâ eorumdem habitudine,  
& peculiari constitutione, ut certa regula ex hoc  
deduci nequeat: sunt quippe qui melius se habent  
cum alvo duriori, quam laxiori, si præsertim  
laxitas vitium chyloſis subsequatur, & Venter non  
adeo obdureſcat, ut quotidianis saltē excrementis  
non exoneretur. Verum tamè per comparationem  
tantum sunt hæc ab Hippocrate in Aphorismo tra-  
dita. Immò verò magnâ ex parte dicitur exiccati  
alvos senescentibus; nam perpetuò id verum esse  
non experimur, sive quod distillationibus corripiantur,  
sive quod male cibos conficiant, sive demum  
quia laxatis fibris intestinorum, ac muscularum ani,  
obſcuram veluti paralyſim in his partibus patiantur.  
Hanc autem alvi lubricitatem, vel ſiccitatem, neu-  
tiquam à cibis, vel ab ægritudine, sed à propriâ  
illarum ætatum habitudine, & viscerum, ac fer-  
mentorum conditione Hippocrates deſu-  
mit: hæc enim omnia ſuapte naturâ de-  
currentibus annis in nobis va-  
riant, eti perfecṭa sanitate  
fruamur; ut aliàs  
quoquè memi-  
nimus.



APHO.



## APHORISMUS LIV.

*Magnitudo Corporis, Juventa quidem nequè indecens,  
nequè illiberalis; Senecta verò inutilis, & de-  
rior parvitate.*

**C**onvenientem, vel inconvenientem molem Corporis in etatibus considerans hoc Aphorismo Hippocrates, proceram inquit, & magnam staturam, Juventuti nec indecentem, nec invenustam esse; Senectuti verò inutilem, et parvitate deteriorem.

Quamvis autem Fuchsius de Corporis potius proceritate, seu longitudine, sententiam hanc interpretetur, fatus etiam authoritate Galeni in commentario, & Celsi lib. 2. cap. 2. dicentis: longa statura, ut in juventa decora est, sic matura senectute conficitur; non tamè video, quin etiam de totius Corporis magnitudine secundum trianam dimensionem adacti, exponi non possit; quemadmodum scitè quoquè existimat Cardanus, qui acriter hac occasione invehitur in Galenum, de sola longitudine sententiam interpretatum. Quid enim, is inquit, absurdias, quam dicere, proceram exilitatem nequè indecentem, nequè illiberalem Juventa, cum sit ridicula etiam parentibus, & fratribus, vix que non contempta in Principibus? deinde quis docuit Galenum hos, non illos vere magnos in senecta incurvari, cum oppositum ostendas experimentum, & ratio etiam subscribat; majore enim pondere prægravantur, & cum sint etiam humidiiores, magis curvantur macilensis, nam & ligna viridia ab igne magis fractiuntur, siccis. Hæc Cardanus.

S f 2

Hanc

Hanc ergò magnitudinem Juvenibus indecentem non esse, nequè proportione excedentem scribit Hippocrates; quoniam per hanc ætatem æquè adolescunt, & partium comparatione per omnem ambitum magni evadunt, quamobrèm cùm secundùm naturam incrementum in longum, latum, & profundum æquabilitè suscipiant, illiberalis, excēdens, scè non proportionem servans, dici non poterit: Juvenes namquè decet simùl increscere, & incrementum naturale æquabilitè suscipere. Ubi pro Juventute etiàm Pueritiam, & Adolescentiam intelligere licet juxta morem ejusdem Hippocratis, ut superiùs monuimus. At verò Senibus inutilis illa est, & deterior parvitate. Inutilis quidèm, quià à languidâ senectutis virtute tanta moles sustineri non potest, si fortassè perseveret; si verò, ut naturâ accedit, debito marcore afficiantur, extenuatâ crassitudine, per solam longitudinem, ac exilem proceritatem, necùm inelegantes, atquè inconcinni remanent, verùm etiàm capite deorsùm incurvati, ac sèpenumero etiàm gibbi sunt. Deterior verò, quoniàm proptèr virium languorem, ac Viscerum, & sanguinis hebetudinem, gravatur magnitudo Corpus, non regitur, & facile vitæ flammula ab oppidente mole, atquè obesitate, suffocatur, & extinguitur. At verò qui parvo sunt Corpore, vivaciores, agiliorésque esse solent, atquè ad quævis vitæ munia promptiores; quamobrèm & diutiùs, & salubriùs illos vivere experimur, nèc præterea tam obnoxii illi sunt incommodis, quæ ex magnitudine Corporis senibus accidere ostensum est. Uerum tamèn deterior solùm dicitur parvitate, nàm si fortassè comparetur cum eâ Corporis magnitudine, quæ pinguem habitum consequitur, certè melior

cen-

censenda est ; cùm carnosa , & lacertosa Corpora  
præstent pinguibus , & obesis , quæ omnium deter-  
rima esse solent . Atqui nèc parva , ac pusilla Cor-  
pora senuum omni prorsus vitio exempta putan-  
dantur , sed dumtaxat meliora , atquè alacriora opi-  
mis .

Hinc modò colligere est , lenius tractâda esse , cùm  
præsertim ægrotaverint , senu corpora , ingenti carniū ,  
& adipis mole gravata , quām parva , & gracilia .  
Illa enim , utpotè languidiora , facilè labore , vi-  
giliâ , & quocumquè evacuante medicamento , ex-  
solvuntur ; ac viribus deficiunt , si diætâ regantur aspe-  
riori : utraqùe autem facilius ferre solent parva ,  
atquè adeò vivaciora .

## SECUNDI LIBRI F I N I S.



Quæ in

**Quæ in hac prima Parte irrepserant**

	<i>Errare</i>	<i>sc</i>	<i>Corrigere</i>
Pag. 16 lin. 20	effætus		effectus
22	3 palestris		palæstris
26	26 intellexerit?		intellexerit,
27	27 symetria		symmetria
33	17 schirrho		scirrho
38	9 phrenitide, pleuris		phrenes, pleuritide
65	24 iudigendum		iudigendum
97	17 quodammodo		quodammodo
103	13 Animalibus		Animalibus
104	32 prandebant:		prandebant,
301	29 leviorum aliquo		leviorem morbum aliquo

**Cætera minoris momenti Lectoris prudentiae  
relinquuntur.**





# INDEX

## TERUM NOTABILIUM

### Primæ Partis.

#### A

<b>A</b>	<i>Bscessus an Criseos nomine donari possit.</i> pag.	123
	<i>Abscessus boni in convalecente signa.</i>	214
	<i>Abstemii, voraciores.</i>	234
<i>Accessiones.</i> vide <i>Paroxysmi.</i>		
<i>Accessiones dicit Galenus in Principium, Inequalitatem;</i> <i>Augmentum, &amp; Statum.</i>		117
<i>Acuti morbi tenuem victum expostulant ex Hippocrate</i> 42. <i>&amp; seq.item 49. &amp; seq.</i>		
<i>Acuti morbi qui dicantur à Galeno.</i>		42.226
<i>Acuti morbi aliquando tenuem victum non exigunt, &amp; qui-</i> <i>nam bi sint.</i>		44
<i>Acuti morbi quo sensu dicantur cibo minuent e vires indige-</i> <i>re.</i>		45
<i>Acuti morbi quomodò prenoscantur.</i>		47
<i>Acuti morbi, dum in vigore sunt, tenuissimo victu tractandi,</i> <i>nisi eorum vigorem mors excipiat.</i>		69
<i>Acuti morbi an intèr initia purgantibus opus habeant.</i> 158		
<i>Acutorum morborum non sunt certæ prænunciationes.</i> 226. <i>&amp; quare.</i>		228
<i>Acutes morbis undè accidat.</i>		227
<i>Acuti morbi in quatuordecim diebus judicantur.</i> 238. <i>&amp; qua-</i> <i>re.</i>		239
<i>Acuti ex decidentia etiam intrà quatuordecim dies judicari</i> <i>dicuntur.</i>		238
<i>Par.I.</i>		

Tt

Acu-

I N D E X

<i>Acuti morbi cur aliquandò ultrà decimumquartum protra-</i>	
<i>bansur.</i>	239
<i>Acutis morbis minùs afficiuntur Senes, quām Juvenes.</i>	277
<i>Adolescentes an jejunium ferre possint.</i>	89
<i>Adolescentes an, &amp; quomodò, plurimum calidi innati obti-</i>	
<i>neant.</i>	91
<i>Adolescentes plurimo indigent alimento, &amp; quare.</i>	96
<i>Aeger obtemperans que præstet, quæ inobedient.</i>	7
<i>Aegri partes que sint.</i>	6
<i>Aeger in cathartici exhibitione considerandus.</i>	160
<i>Aegrorum peculiaris constitutio cathartici vim retundit.</i>	
<i>pag.</i>	• 164
<i>Aeger recidiva causa esse potest.</i>	207
<i>Aegrotantes si pluri cibo nihil proficiant, malum.</i>	261
<i>Aegri in melius procedent si inter morbi initia cibum fassi-</i>	
<i>diant, quām si vobementer appetant, &amp; quare.</i>	262
<i>Aegri levius ferunt purgationem, quām sani.</i>	274
<i>Aegrotantibus gratificandum.</i>	275-276
<i>Aer &amp; famem adimere, &amp; proritare valeat.</i>	220
<i>Aëris vis in perturbanda humani corporis æconomia.</i>	207
<i>&amp;</i>	245
<i>Aestate an loca subterranea algeant.</i>	101
<i>Aestate cur languent corpora.</i>	102
<i>Aestate imbecillia ceteroqui corpora melius se habent, &amp;</i>	
<i>quare.</i>	103
<i>Aestate cibi minùs tolerantur.</i>	112-114
<i>Aetas in evacuationibus consideranda.</i>	17-160
<i>Aetatum mutatio varias parit in corporibus mutationes.</i>	232
<i>Aetatum babenda ratio in victus administratione.</i>	86.
<i>&amp;</i>	113
<i>Aetati si congruat morbus minùs periculosus.</i>	266
<i>Aetates omnes ad duas revocantur ab Hippocrate.</i>	279
<i>Aetatis mutatio Epilepsiam solvit.</i>	296. & seq.
<i>Alimenta v. Cibi, Victus.</i>	

Ali-

# R E R U M N O T A B I L I U M.

<i>Alimenti naturam induit quandoquè Catharticum.</i>	166
<i>Allevationibus absquè ratione contingentibus non est fi-</i>	
<i>dendum.</i>	252
<i>Allevationes sine ratione quæ dicantur.</i>	252
<i>Alvi fluxus futuri signa.</i>	210
<i>Alvi stuxus species.</i>	211
<i>in Alvi profluviis exrementorum mutatio quæ bona</i>	
<i>pag.</i>	212
<i>Alvi lubricitas, vel stypticitas, quomodò etatum varietate</i>	
<i>variari possit.</i>	230
<i>Alvus lubrica, &amp; sicca undē.</i>	231
<i>Alvus humida an sicca melior.</i>	321.322
<i>Amara, &amp; parumpèr adstrictoria febres fugant.</i>	246
<i>Analeptice, quæ Medicina pars.</i>	193
<i>Angina quid.</i>	214
<i>Animi defectio quandò lethalis.</i>	283
<i>Animi defectio quomodò accidat.</i>	284
<i>Animi defectio quibus præcaveatur.</i> 285. v. <i>Leipotymia.</i>	
<i>Anni temporis ratio habenda in purgationibus.</i>	17.161
<i>Anni tempora morborum accessiones, &amp; constitutiones praef-</i>	
<i>gnificant.</i>	82
<i>Anni tempus respicit quoquè vietus ratio.</i>	99.114
<i>Annus in septem tempora ab Hippocrate divisus.</i>	100
<i>Annī tempori quod ad vietus rationem aliquid concedendū.</i>	
<i>pag-</i>	112
<i>Annī tempus morborum longitudinem, vel brevitatem paris.</i>	
<i>pag.</i>	244
<i>Annī temporis congruat morbus minus periculosus.</i>	266
<i>Annī tempus an Epilepsiam solvere possit.</i>	297
<i>Anticipantes febres breviores.</i>	83
<i>Antiperistaseos futile commentum.</i>	101
<i>Aphorismorum necessitas.</i>	1.2
<i>Aphorismorum connexio non est anxiè perquirenda.</i>	197
<i>Aphorismorum doctrina ab experimentis posius deducta,</i>	

# I N D E X

<i>quam rationibus conquista.</i>	229
<i>Apoplexiā fortē solvere impossibile; debilem verò non facile.</i>	286
<i>Apoplexiā quid.</i>	286
<i>Apoplexiā quatuor differentia ex Galeno.</i>	286
<i>Apoplexiā nō sit ab obſtructione ventricularū cerebri.</i>	287
<i>Apoplexiā cur aliquandò immedicabilis.</i>	287
<i>Apoplexiā quomodo contingat.</i>	ibid.
<i>Apoplectīcīs qui respiratio offendatur.</i>	ibid.
<i>Apoplectīcos quenam juvare consueverint.</i>	288
<i>Apoplectīcīs spuma circa os lethalis.</i>	289. & quare.
<i>Aquis demersī quomodo restitui possint, ni penitus sint extincti.</i>	291
<i>Aqua gelida potus an aestum febrilem temperet.</i>	36
<i>Aqua ardens instantem famem tollit.</i>	234
<i>Aqua, edax ab Hippocrate vocatur, &amp; quare.</i>	ibid.
<i>Aqua frigida an perfundendi sint Tetano correpti.</i>	250.
<i>Aspera arteria ossēa obſervata.</i>	292
<i>Aſſidentium conditiones ex Hippocrate, &amp; Galeno.</i>	8
<i>Athletarum institutum.</i>	22
<i>Athletarum habitus quare solvendus.</i>	ibid.
<i>Athleta quibus subjaceant discriminibus.</i>	23
<i>Athleta quomodo juxta Galeni sententiam famescere possint.</i>	ibid. & seq.
<i>Athleta cur nequeant in eodem bonitatis statu permanere pag.</i>	25
<i>Athletis imminentia pericula quomodo præcaveantur.</i>	26
<i>Athletarum habitus calidus undē.</i>	106
<i>Attenuans victus qualis, &amp; quibus à tenui differat.</i>	46
<i>Augescentibus accessionibus febrilibus tutò cibus non exhibetur.</i>	117
<i>Augescentibus morbis melius est à catharticis abſtinere.</i>	258
<i>Autumno corpora debiliora.</i>	112
<i>Autumno cur longiores agritudines, &amp; lethales.</i>	103. 244
	Au-

# RERUM NOTABILIUM.

Autumnī cibūs parcior.

112.114

## B

- |  |         |
|--|---------|
| <b>B</b> Ellaria impensè nocua .   | 276     |
| Bezoardica medicamenta quandò utilia .   | 176     |
| Bilis, & succus Pancreaticus invicem infringuntur.                                     | 231     |
| Bilis usus .   | 212.230 |
| Bilis ferè sempèr in febrib. depravatur .  | 78      |
| Bilioſa evacuationes in convalescentibus, corpus purgatio-<br>ne indigere significant. | 214     |
| Brevitas accessionis, & morbi, unde colligi possit. 82. &<br>seq.                      |         |
| Bulimos unde .   | 187     |
| Bulimos quid ex Gal.   | 233     |

## C

- |  |       |
|--|-------|
| <b>C</b> Acocbyma corpora purgatione affatim instituta de-<br>bilitantur .     | 272   |
| Cacocbyma corpora per epicrasin purganda .                                     | ibid. |
| Cacocbyma corpora copiosori alimento lœduntur magis.                           | 200   |
| Calor corporis an sanguinis missione competi possit .                          | 35    |
| Calor innatus, atquè ascititus, qui .  | 92    |
| Calidum innatum quid, & innumere, eaque variae de illo<br>Auctorum opiniones . | 93    |
| Calidum innatum ens quoddam fictum reputatum .                                 | ibid. |
| Calidum innatum an sit quid cœlestē, an elementare, an<br>utrumque.            | 94    |
| Calidum innatum sanguis ex Harvejo .   | 94    |
| Calor nullus in animantibus præter cum, qui à corde , &<br>sanguine.           | 94    |
| Calor influens in animalibus nullus ; nisi questio sit de no-<br>mine.         | 96    |
| Calidum innatum pabulo eget .  | 96    |
| Calidum innatum an sit, & vita, & interitus causa .                            | 98    |

Ca-

I N D E X

<i>Calor innatus cur Hyeme, &amp; Vere vegetior.</i>	102
<i>Calor hic qualis sit juxta Hippocratis mentem.</i>	104
<i>Calefacere vehementer, periculoseum.</i>	316
<i>Cantharides cur Vesicam solum ledant.</i>	170
<i>Cardanus Galenum increpat.</i>	156
<i>Catbarica medicamenta v. Purgatio, &amp; Medicamentum.</i>	
<i>Cauteria an sint remedia magna.</i>	60
<i>Cauteria quid praestent.</i>	ibid.
<i>Cauteris inustae partes, humoris, qui illac educuntur, minime attrabunt.</i>	61
<i>Cauteria sanguinis, aut lymphae portionem educunt.</i>	61
<i>Cauteria in succiplenis toleranda, secus in extenuatis.</i>	61
<i>Cauteriorum detrimenta.</i>	ibid.
<i>Cerebri veniculi spiritus non continent animales.</i>	287
<i>Xanthorrhae nomine quid veniat.</i>	154
<i>Chronicī morbi pleniorēm victūm requirunt ex Hippocrate.</i>	
<i>41. &amp; seqq.</i>	
<i>Chronicī morbi ab humorum multitudine, crassitie, viscoseitate, &amp;c.</i>	42
<i>Chronicis morbis afficiuntur senes.</i>	279
<i>Chronicorum morborum certiores sunt prænunciationes fatalis, aut mortis.</i>	229
<i>Chronicī morbi an in principiis medicamentum purgans exquirant.</i>	159
<i>Chronicī morbi quā prenoscantur.</i>	47
<i>Chymica medicamenta longe tutiora benedictis vulgo vocatis.</i>	149
<i>Ciborum digestio ad solidas partes possūs, quam ad spiritus pertinet. 44. v. Victus.</i>	
<i>Cibus plenior nostra tempestate agrotantibus exhibetur: secus tempore Hippocratis, &amp; quare.</i>	45
<i>Cibus ad tertiam usque diem apud Aegyptios agris interdicitatur.</i>	50
<i>Cibus pro mensura virium agris exhibeat.</i>	52

Ci-

# R E R U M N O T A B I L I U M.

<i>Cibus</i> inbibendus tempore paroxysmi	75.	& antè illum.	76
<i>Cibus</i> quo tempore in morbis sit exhibendus.		ibid.	
<i>Cibi</i> in paroxysmo exhibitio cùr tām nocua.			77
<i>Cibus</i> qua ratione febricitantibus morbus ex Hippocrate dicatur.		ibid.	
<i>Cibus</i> qua mensura extenuatis exhibendus.			194
<i>Cibus</i> impuris corporibus nocuus.			200
<i>Ciborum</i> digestioni complures opitulantur causa.			77
<i>Cibus</i> quandoquè exhibendus ex Galeno in ipso accessionis initio.	78.	quibus autem hoc conveniat.	79
<i>Cibus</i> quo tempore sit febricitantibus exhibendus.			80
<i>Cibus</i> quo tempore morbo quocumquè affectis sit exhibendus.			81
<i>Cibus</i> etatum.		à pag. 89. ad 98	
<i>Cibus</i> anni temporum.		à pag. 99	
<i>Ciborum</i> confectionis somno melius, an vigilia peragatur.	104		
<i>Ciborum</i> confectionis, & distributionis historia.	105. 230		
<i>Cibus</i> convalescentium.	193. & seqq. & 200		
<i>Cibus</i> quoties sit exhibendus.		111	
<i>Cibus</i> parūm, & sāpē exhibendus, ubi viros defecerint.	ibid.		
<i>Cibus</i> ubi multis, & sāpē concedendus.		112	
<i>Cibus</i> quando multūm, & rārō prāscribendus.		112	
<i>Cibi</i> in exitiosos quandoquè degenerant humores.		167	
<i>Ciborum</i> repletio in peste olim utilis.		201	
<i>Cibi</i> liquidiores convalescentibus aptiores.		202	
<i>Cibi</i> solidi, an liquidi prāstantiores.		ibid.	
<i>Cibi</i> plus iusto ingesti morbum faciunt.		221	
<i>Cibi</i> quantitas undē mensuranda.		222	
<i>Cibi</i> prāter naturam ingesti qui dicantur.		ibid.	
<i>Ciborum</i> excessus quotuplex.		ibid.	
<i>Ciborum</i> excessus quomodò corrigatur.		223	
<i>Cibi</i> velociter nutrientes veloces patiuntur excretiones.	224		
<i>Cibi</i> cenuiores celerioris sunt difflationis, & contrā.	225		
<i>Cibis</i> avidē utentes sē nibil proficiant, malum.	260		

Ci-

# I N D E X

<i>Ciborum nausea in principiis morborum tolerabilius, quam eorum vehementer appetitus.</i>	262
<i>Cibi immodi in principiis morborum perperam offeruntur.</i>	263
<i>pag.</i>	
<i>Cibis pravis utentes à medicamento purgante statim debilitantur.</i>	271
<i>Cibus suavior, parum licet deterior, melior, sed minus suavi est preferendus.</i>	274
<i>Cibus suavior, &amp; deterior, quinam.</i>	275
<i>Cibi consueti faciliter feruntur.</i>	276
<i>Circituum incrementa, morborum accessiones, &amp; constitutions praesignificant.</i>	83
<i>Circitus sanguinis. v. Sanguinis circulatio.</i>	
<i>Climactericorum annorum observatio vana.</i>	241
<i>Clysteres catharticis procedere debent.</i>	198
<i>Coctio in morbis quid.</i>	70
<i>Coctio duplex, utilium, &amp; inutilium.</i>	135. 138
<i>Coctio inutilium minime à calore perfici potest.</i>	135
<i>Coctio melius dissolutio ex fermentatione vocatur.</i>	136
<i>Coctio quæ requiratur ad humorum vacuationem.</i>	ibid.
<i>Coctio quæcumque calorificis promoveri dicuntur.</i>	138
<i>Coctionis nomine quid apud Hippocratem.</i>	ibid.
<i>Coctioni hanc subjiciuntur restagnantes humores.</i>	143
<i>Coctio medicamenti propinazione remoratur.</i>	145
<i>Cæliaci fluxus causa.</i>	211
<i>Cœna intempestiva lethalis.</i>	78
<i>Cola Pilicis amphibiis par.</i>	292
<i>Comitialis morbus. v. Epilepsia.</i>	
<i>Communantes morbi, unde.</i>	206
<i>Cōpressions quid significant apud Hippocratem ex Fucbo, Leoniceno, Heurnio.</i>	26
<i>Concocta medicari oportet. 134. &amp; quare</i>	139
<i>Conferentia, &amp; tolerantia à vacuationibus perseverans esse debet, non momentanea.</i>	13

Con-

## R E R U M N O T A B I L I U M .

<i>Confidentia agri in Medicum quantum prebet.</i>	7	
<i>Consensus unus, conspiratio una.</i>	128	
<i>Consensus quidam incomperi.</i>	132	
<i>Consentientes morbi qui dicantur.</i>	266	
<i>Consistentis statis homines quomodo jejunium ferre possint . pag.</i>	86.89	
<i>Constitutus vietus sanis noxius.</i>	53	
<i>Constitutiones morborum.v.Status.</i>		
<i>Consuētudinis efficacia.</i>	110.111.188.276.	
<i>Consuētudinis congruas morbus minus periculosus.</i>	266	
<i>Consuētū solitos ferre labores, ceteris licet imparibus, lassitudinem difficiilius sentiunt.</i>	309	
<i>Consuētudo potius, quam robur, laborum pars tolerantiam. pag.</i>	310	
<i>Consuētudo altera Natura à Galeno dicta: immo Naturam ipsam superat.</i>	ibid.	
<i>Consuēta longo tempore, et si deteriora, infuctis minus molestare solent.</i>	311 &c.	
<i>Consuēta modum excederint etiam molesta erunt.</i>	313	
<i>Consuētudo uniformis periculosa.</i>	314	
<i>Consuētorum ad infucta mutatio non repensè fiat, &amp; quamcumque etate .</i>	ibid.	
<i>Contabescensia summa in mediocri febri debilitatem significat. 254. quin, &amp; morbi pravitatem.</i>	255	
<i>Continuae febres ex Galeno tempora particularia habent.</i>	76	
<i>Contrarietas vera inter qualitates versatur.</i>	57	
<i>Contraria an contrariis curentur.</i>	236	
<i>Convalescentes avidè comedentes , &amp; cibum fastidientes. pag.</i>	260. &c.	
<i>Convalescentes catarticis leduntur.</i>	272	
<i>Convalescentium regimen.</i>	193. & seq. 200	
<i>Convalescentes cibo baud gravandi.</i>	195	
<i>Convalescentes quamobrem aliquando cibum non capiant. pag.</i>	196	
<i>Par.I.</i>	<i>V u</i>	<i>Con-</i>

I N D E X

<i>Convalescentes quando purgatione indigeant.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Convalescentes quā evakuandi.</i>	197
<i>Convalescentes solidis cibis, an liquidis tractandi.</i>	202
<i>Convulsioni si febris superveniat melius, quam contrā.</i>	248
<i>Convulsiones pueris familiares.</i>	249
<i>Convulsioni quānam febris proficua sit.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Convulsionis curatio.</i>	250.251
<i>Copia excretorum in evacuationibus non est estimanda, sed si talia, &amp;c.</i>	153
<i>Corpus si à febre non gracilescat, vel si summè contabescat, malum.</i>	254
<i>Corporis moles juvenibus decora, senibus verò inutilis.</i>	323
<i>Corpora purganda fluida priùs reddenda.</i>	197
<i>Corticis Peruviani efficacia in febribus.</i>	246
<i>Coryza quid.</i>	281
<i>Crassi admodūm citiùs intereunt, quam graciles, &amp; id qua-re.</i>	293
<i>Crassis sanguis modicus ineft.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Crassities corpori undē accedat.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Crassities quomodò tolli possit.</i>	295
<i>Crassi humores catharticum contraindicant.</i>	162
<i>Crescere qui propriè dicantur.</i>	90
<i>Crisis perfectæ conditiones.</i>	12.123
<i>Crisis signa in morborum statu, &amp; quare.</i>	71
<i>Crisis fermentatione perficitur.</i>	209
<i>Crises in paroxysmis accident.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Crises nox præcedit molesta, levior subsequitur.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Crises per quæ loca futurae sint, quî prænoscatur.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Crises optimæ, quomodò quandoquæ periculosæ.</i>	210
<i>Criseos salutaris indicia.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Criseos perfectè per abſceſſum factæ signa.</i>	214
<i>Crisi imminente cibus subtrahendus.</i>	116.118
<i>Crises dum rectè accident nihil innovandum.</i>	120
<i>Crisis quid.</i>	120.208

*Cri-*

## RERUM NOTABILIUM.

<i>Crisis imminente, cave Naturam distrabas.</i>	121
<i>Crisis imperfectæ causa.</i>	122
<i>Crises imperfectæ recidivas faciunt.</i>	204
<i>Crisis imperfecta à Medico juvanda.</i>	122.127
<i>Crises imperfectæ quod ad loca.</i>	123
<i>Crises imperfectæ quod ad quantitatem, vasorum consensum, tolerantiam, tempus morbi.</i>	124
<i>Crises imperfectæ quod ad dierum numerum.</i>	125
<i>Crisis diminuta à Medico promovenda per loca conferentiora &amp; quò Natura vergit.</i>	128
<i>Critici dies qui.</i>	240
<i>Criticorum dierū vis Lunæ male appingitur à Galeno.</i>	242
<i>Criticorum dierum inanis observatio.</i>	125.241
<i>Criticus dies ille, in quo bona crisis ex Averroë.</i>	125
<i>Cruda, &amp; non cruda, Commentatorum confusio.</i>	140
<i>Crudi humores movendi non sunt ex mente Hippocratis, &amp; Galeni.</i>	141
<i>Crudis humoribus differtos nèc lavare, nèc omnino movere expedite.</i>	142
<i>Crudi humores an possint lenientibus medicamentis moveri. 143.cur non.</i>	146
<i>Crudi humores si nequeunt eradicantibus medicaminibus educi, quî poterunt lenientibus?</i>	148
<i>Curatio an contrariis instituatur.</i>	236

## D

<i>Eclinatio morborum undè.</i>	70
<i>Declinante febre cibo est locus.</i>	118
<i>Decrepiti jejunium ferre non valent.</i>	87
<i>Decrepiti lucernis penè extinctis à Galeno cōparantur. ibid.</i>	
<i>Decretorii dies superstitionis commentum.</i>	125
<i>Dejectione quando salutaris. 12.v. Evacuationes.</i>	
<i>Delirium quid.</i>	176
<i>Delirium quî fiat.</i>	177

I N D E X

<i>Deliramentorum genera septem.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Delirium cum risu, &amp; studio.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Delirium quodnam somno compescatur ex Heurnio: an potius omne.</i>	178
<i>Derivativa sanguinis missio ineptum cogitatum.</i>	36
<i>Dietâ solâ optimè ad purgationem preparâtur corpora.</i>	199
<i>Dieta ab Hippocrate primùm inter Medicinæ præsidia connumerata.</i>	41
<i>Dieta nomine quid apud Hippocratem, &amp;c. Galenum veniat pag.</i>	42
<i>Diarrhœa hædâ Jecore.</i>	212
<i>Diatritarii Medici qui.</i>	41
<i>Dierum observatio in morbis.</i>	240. &c.
<i>Dies in morbis hædâ numerandi ex Celsô, sed accessiones pag.</i>	243
<i>Diocles Carystius Hippocrati adversatur circa consensum morborum cum etate, semperie, &amp;c.</i>	267
<i>Dissentientes morbi qui.</i>	266
<i>Dolentes qui dolorem non sentire possint.</i>	191
<i>Dolor quid.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Dolor vehementior leviorē obscurat. 301. &amp; quare. 302.</i>	
<i>Dolorum acerbitas, &amp; levitas unde.</i>	302
<i>Dolorem dolore levare an boni sit Medici.</i>	304
<i>Dolores dum pus conficitur unde.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Dolores quare dum consettum jam pus est remittant.</i>	305
<i>Dolor internus si cessérit de suppuratione dubitandum.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Dofis medicamentum purgans inefficax reddere potest.</i>	165
<i>Dulces cibi noxii.</i>	276
<i>Duratio morborum unde præcognosci possit.</i>	82. &c. seq.
<i>Dysenteria neutiquam Hepatis culpâ.</i>	212

E

<b>E.</b> <i>Lôdes febres qua.</i>	182
<i>Embryonis innatum calidum.</i>	95

Epi-

## RERUM NOTABILIUM.

Epilepticis circa os spuma haud leibalis, & quare.	291
Epilepsia mutatione statis, locorum, &c. tolli potest.	296. s.
idiopathica sit: & quare.	298
Epilepsia quo coningat modo.	299
Epilepsia non sit cerebri ventriculis pueritosis succis applets.	
pag.	298
Epilepsia sympathica.	300
Epilepsie qua resistant medicamenta.	ibid.
Epiphomena signa, morborum durationem praesignificant.	84
Eradicativa sanguinis missio an unquam locum habere possit.	
pag.	32.33
Eradicantia medicamenta dosis efficit, ac preparatio.	146
Evacuationum divisio.	9. & seq.
Evacuationes symptomaticae qui fiant; ac earumdem utilitas qua.	10
Evacuatio bona ex Sanctorio.	12
Evacuatio sine conferentiâ qui fiat.	13
Evacuationis utiliter futura indicia.	14
Evacuationes arte promote quando utiles; itemque sponte naturae facta.	15
Evacuationes ut ritè instituantur qua consideranda.	16. &
seqq. & quare, contra Sclanum.	20
Evacuationes an nullâ habita etatis ratione sint celebrande, ex Celsi prescripto: locus insignis.	18.19
Evacuationes ad extremum non perducenda.	26.316
Evacuationes extreme an alibi interdictae, alibi commendatae ab Hippocrate.	27.28
Evacuationes citâ pleniorum victum expostulant.	44
Evacuationes per loca cōférētia, & quò Natura vergit.	127
Evacuationes si modum non servent cobibenda.	129
Evacuationes ubi a grē feruntur quid agendum.	ibidem
Evacuationes per qua loca congruentiores.	130
Evacuationes convalescentes quandoq; indigent.	196
Evacuationes compendiosori viâ, minimâ molestiâ, &c. sunt pro-	

I · N · D · E · X

<i>promovenda.</i>	131
<i>Evacuationes arte promota non multitudine astimanda.</i>	
<i>153. sed si convenienter.</i>	154
<i>Evacuationes an ad animi usq; deliquium facienda.</i>	155
<i>Evacuationes basce quo sensu, Hippocrates facienda esse dixerit.</i>	156
<i>Evacuationibus levissimis quandoq; morbi cedunt, qui potentioribus non cesserunt.</i>	208
<i>Evacuationes biliosae in convalescentibus corpus una sumul egrotare significant.</i>	214
<i>Evacuatione duplii nunquam utendum.</i>	217
<i>Evacuationes celeres fieri dicuntur illorum ciborum, qui affatim nutriunt.</i>	224
<i>Evacuationes per aluum factae, &amp; atalii mutatione variantur, &amp; aliis de causis.</i>	232
<i>Evacuationem curat repletio, &amp; vicissim.</i>	235
<i>Exercitium quid.</i>	218
<i>Exercitiis nativus calor augescit.</i>	106
<i>Experimentum in Medicinâ pericolosum, &amp; quare.</i>	5
<i>Experientia quid sit.</i>	ibid.
<i>Experientia non ritè instituta detrimenta.</i>	ibid.
<i>Experimentum qui in Medicinâ fallax.</i>	6
<i>Exquisiti victus incommoda. 40. &amp; seqq. v. Tenuis.</i>	
<i>Extenuata corpora quomodo reficienda.</i>	193
<i>Extenuatio corporis quibus breviter, quibus post multum accidat tempus.</i>	194
<i>Extenuata corpora quo alimentorum genere reficienda.</i>	195
<i>Extenuatio summa imi ventris in morbis malum.</i>	270
<i>Exteriora quæ sint.</i>	8. & seq.
<i>Extremi morbi, remedia extrema. v. Morbi, Medicamenta.</i>	

F

**F**acultates animales, & naturales, si in morbis valeant, bonum, non contraria. 265. v. Vires.

Fæ-

RERUM NOTABILIUM.

<i>Faces obdurate medicamenti purgantiis vim præpedire pos-</i>	
<i>sunt.</i>	165.
<i>Fames in Athletis undè, ex Brasavolo, Argenterio, &amp; Ca-</i>	
<i>gnato.</i>	24
<i>Famis genuina causa secundùm Recentiores.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Fames modum natura excedens mala.</i>	186
<i>Famis naturalis causa juxta Galeni sententiam, &amp; Recen-</i>	
<i>tiorum.</i>	88. & 187
<i>Fames Canina undè.</i>	187
<i>Fames laborem recusat-</i>	217
<i>Fames quænam laborem recusat.</i>	218
<i>Famem quoq; viventia tolerent animalia.</i>	219
<i>Fames in principiis morborum an bona.</i>	263
<i>Fames quibus modis adimi vivente animali possit.</i>	220
<i>Famem quo pacto explere dicantur Britanni, &amp; Indi.</i>	221
<i>Fames quænam vini potionē sedetur.</i>	233
<i>Fames Canina, Lupina, &amp;c.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Fames naturalis quoq; vini potionē solvitur,</i>	234
<i>Fames aquæ ardente tollitur.</i>	234
<i>Famis Canina curatio.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Fames Canina à vermisbus.</i>	235
<i>Faucibus à morbo agrotantibus, excretiones inspicienda.</i>	
<i>pag.</i>	214
<i>Febrilis calor an sanguinis missione remittatur.</i>	35.36
<i>Febrisfuga ipso accessionis tempore propinata.</i>	79
<i>Febricitantes quo tempore sint cibo reficiendi.</i>	80
<i>Febres Senum, &amp; Juvenum.</i>	97
<i>Febris an calorem omnino, &amp; per se præferat.</i>	97
<i>Febres quare senibus periculosa.</i>	98
<i>Febricitantibus vietus humidus. 106. &amp; quare.</i>	109
<i>Febris natura secundùm Veteres.</i>	107
<i>Febricitantibus cur vietus frigidus non competit.</i>	109
<i>Febrium invasiones Galenus in Accessiones, &amp; Remissiones</i>	
<i>divisi.</i>	117.

Fe-

I N D E X

<i>Februum brevitas vel longitudo unde.</i>	243
<i>Febrisfuga cuius generis sint.</i>	246
<i>Febris non est morbus.</i>	247
<i>Febres suā naturā non mala.</i>	248
<i>Febris si convulsioni superveniat melius, quam contrā.</i>	248
<i>Febris quænam convulsioni superveniens proficia.</i>	249
<i>Febris an tutò convulsis excitari possit ab Arte.</i>	250
<i>Febricitantium corpora si nibil gracilescant, vel si contabescant plusquam decet, malum.</i>	254. &c.
<i>Febribus incipientibus si quid tibi videtur movendum, move.</i>	258
<i>Febrientes impensè laaduntur à cathartico intempestivè exhibito.</i>	ibid.
<i>Febres extinctæ vomitorio in principiis exhibito.</i>	ibid.
<i>Febres, dum pus conficitur, unde.</i>	304
<i>Fermentatio ciborum. v. Ciborum confectio.</i>	
<i>Fermenta quadam morborum recondita recidivas quandoque pariunt.</i>	207
<i>Fonticuli v. Cauteria.</i>	
<i>Frigefacere vehementer periculosum.</i>	316
<i>Euror quid.</i>	177.

G

<i>Galenus Hippocrati, contrà Dioclem Caryftium, patrocinatur.</i>	267
<i>Galenus Hippocrati injurius : ob id reprobens à Cardano.</i>	I.
<i>Galenus quid sentiat de Medicina progressu.</i>	4
<i>Galenus Asiaticæ loquacitatis notatus.</i>	51
<i>Galeo Vesicantia non innoluerunt.</i>	64
<i>Galenus Hippocrati contradicit de Nonanarum febrium existentiâ.</i>	84
<i>Galenum mitia cathartica baud latuerunt.</i>	148
<i>Galenus à Cardano impugnatur in textū Hippocratis expon-</i>	

RERUM NOTABILIUM.

positione.	157
Galenicorum ad evacuationes indiscriminatim persolvendas ansa à Celso desumpta, ex eodem diffracta.	18.19
Gemmarum inutile subfidium ad vires reficiendas.	285
Glandulæ internæ, & subtercutaneæ in plerisq; morbis vi- tium patiuntur.	215
Glandulæ omnigena excipiunt vasa.	215
Glandulæ quibus de caussis agrotent.	ibid.
Gracilibus crassi admodum cūiūs intereunt, & quare.	293
Graciles qui dicantur ab Hippocrate.	294
Gravedines in valde senibus coctionem an admittant.	280.
&	281
Gravedo quid.	281

H

<b>H</b> Abitus quidam corporum evacuationes quasdam to- lerant, quas alii omnino respuunt.	132
Habitus assiduis actibus acquiritur.	310
Hamorrhagia futura signa.	209
Harvejus commendatus, ejusque sententia de calido inna- to.	94
Hepatici fluxus. 211. inculpato Jecore.	212
Hepar sanguificandi munere non fungitur.	ibid.
Hippocrates prolixitatis notatus. 21. excusatione tamèn di- gnus.	ibid.
Hippocrates impietatis notā inuftus.	28
**Caniculares**, ab ortu utriusquè Canis ad finem usque Augusti, de quibus Hippocrates 4. *Aphorif.* 5. *sub Cane, & antè Canem*: Dies Halcionii, qui circa festum Divi Martini tranquilli, & aprici esse solent. Ortus etiàm, & occasus Hyadum elabente Majo, atquè imminente Decembre; itēmque Lunæ elationes, ac depressitatem circà Tellurem insuis Apogæis, & Perigæis, aliisque hujus generis plura ab Agricolis potissimum, & Nautis passim observata, cùm ex his putent Aërem plurimum immutari, exoriri ventos, grandines, procellas; undè corpora etiàm vehementer affici contingit.

Cùm insupèr Anni tempus naturalem, & consuetam non servat constitutionem, varias, diversasque ægritudines progignit; putà cùm per Aestatem pluviae ingruunt, & per Hyemem Austri perflant impetuosiùs, Ver alget, æstuat Autumnus. Ità namquè graves, morbosásque constitutiones accidisse refert idem Hippocrates *in libris Epidemiorum*, & notatur *hoc eodem 3. Aphor. à tex. 11 inferius*.

De cæteris verò mutationibus meminit idem Hippocrates *hoc eod. 3. Aphorif. 4.*, inquiens: *In Temporibus quandò cùdem die modò calor, modò frigus viget, autumnales morbos expectare oportet*. Nequè solum caloris, aut frigoris vehementes, & subitæ alterationes, sed etiàm humiditatis, & siccitatis mutationes morbificæ esse consueverunt, ut propterea quacumquè de Causâ Aér permuteatur, aut afficiatur, humana Corpora perturbari continget; undè si crassus, nebulosus, turbulentus, nimbus, ventis agitatus; mòx omnino tranquillus, apricus, fervidus, densatus, aut laxatus fiat, non leviter nocebit: Natura enī nostra, quemadmodum congruentibus, & assuetis gaudet, ità repentiñas,

nas, ac incongruentes mutationes, atquè vicissitudines ægrè ferre solet. Quamobrèm subdit Hippocrates, & in quibusdam temporibus magna mutationes aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione, eodem modo; quibus comprehendendi quoquè videntur, quæ incolatu, exercitiis, indumentis, aliisque similibus subitæ mutationes fiunt, ut in dies experimur; ab his etenim repente mutatis, diversimodè quoquè Aér Nos afficit, interturbatâ præsertim perspiratione.

Quanta autem fit vis Aëris in Corporibus qui buscumquè permutandis, alterandisque, vel ex eo quisquè conjicier, quod quæ ab eo defenduntur, diutissimè perdurant: sic Vinum ad annos. integros servatur ferens ætatem, atquè vigorem inconcussum, cùm oleo ab ambiente Aëre præmunitur. Fructus recentes cerâ oblii ad remotissimas Regiones devehuntur, & nedum incorrupti, sed perinde ac ab arboribus tûm decerpti. Pari modo multa servantur in melle, vino, ejusque spiritu, cæterisque liquoribus; sed et in millio, arenâ, cineribus, aliisque, quibus illa ab Aëris contactu præcaveantur; Et in Machinâ pneumaticâ Boylei, exhausto Aëre, diutissimè carnes, fraga, mora, cerasa, pruna, aliique fructus, florésque varii, adeò illibata asservantur, ut nèc marcescane, nèc acorem contrahant. Vinum quoquè, cervisia, ac sanguis ipse ab animalibus eductus, et si longo tempore in eadem sint reposita, non aliter indè posteà extrahuntur, ac fuerunt inclusa. Aëris quippè vi, atquè efficaciâ, quâ Elateris nomine insignitam Recentiores Philosophi voluerunt, suscitantur in Corporibus fermentationes, commotionesque internæ, ut & acerba quæquè maturitati subjiciantur, atquè in jàm maturis mobiles, tenuiorésque partes adiganturn, exsolvanturque,

que , quinimmò pro variorum Corporum, halituum,  
& vaporum cum ipso intermissione , variæ , multi-  
genæque excitentur mutationes ; undè experimur  
ædificia ad oras maritimas exposita per elaterem  
cum vaporibus acido-muriaticis Aequoris commissū,  
sensim corrodi, atquè manifestè consumi . Quamob-  
rèm jure optimò credi potest vorax Tempus cuncta  
consumere dētibus ab Aëre mutuatis, præsertim cùm di-  
versimodè is affectus per tempestatum vicissitudi-  
nes , multifariam quoquè halituum , & vaporum cō-  
miftione acuitur , & erodentior evadit . Atquè hinc  
non temerè Olymp. Nemesian. Eclog. 3. cecinit .

*Omnia tempus alit, tempus rapit, usus in arcto est.*  
Ab uno siquidèm Aëre consumimur simùl , & ali-  
munt , undè principium alimenti Aër Hippocrati di-  
citur , & enarratorum haçenùs accidentium causa :  
atqui usus ejus in arcto quoquè est ; nàm sicuti ju-  
vat in plerisque , ità in multis aliis nocere solet:undè  
Causa indifferens flatuitur à Medicis , cùm pro vario  
illius usu , & obesse , & prodesse possit .

At verò præter Temporum Anni varietates , nota-  
biles quoquè in Aëre fiunt mutationes , indéque cor-  
porum alterationes , atquè ægritudines , à Ventis: hi  
V. Hipp. de hum. namquè non solum Aërem vel repurgant , vel inqui-  
niant , adeoque serenitatem , vel nebulas afferunt , æ-  
stum , vel algorem ; sed etiām variis , multigenisq;  
vaporibus , ac halitibus inficiunt,nitrosis,sulphureis ,  
aluminosis,vitriolicis , mercurialibus,aliisq;; quibus re-  
spiratio in Animātibus non minimum offenditur , &  
permeans sanguis per pulmones inficitur , undè sæpe  
numerò Catarthi , Tusses , Hæmoptoës , Pleuritides ,  
Anginae,Dysenteriæ , Febres , aliæque ægritudines per-  
niciössimæ exoriuntur . Sunt autem ex his aliqui  
& ratis temporibus perflantes , ut etiām aves ad Nos  
per-

perducant: sunt & alii, qui indifferentē. Verumtā-  
mēn & Regiones plerāque certis quibusdam flati-  
bus subjiciuntur, ut Urbs hēc nostra Neapolis Au-  
stralibus ventis ferē perpetū afflata, ut proptereā  
distillationes, atquē artuum dolores, & Capitis  
languores subeat; sed & quidam Telluris tractus  
peculiares ventos sunt sortiti statis temporibus pro-  
speros, vel adversos. Historiis est jām notissimum  
fæviisse in Græciam diram Pestem ventorum affla-  
tu ex Aegypto delatam, quam perpetuis monimen-  
tis descripsere solutā oratione Thucydides, atque  
heroico carmine Lucretius. Has autē ex depra-  
vato Aēre affectiones, alterationēsque, solus ignis  
corrigere, atquē delere poterit, cūm & Hippocra-  
tes ipse in Græciæ pestilentiis integras sylvas in-  
cendi jussérat ad Aēris repurgationem. Cæterū  
quiā non omnes Homines in ejusmodi Temporum  
mutationibus, & Aēris alterationibus æquabilitē  
afficiuntur, vel ægrotant, sed qui solum, aut habi-  
tudine, aut humoribus, sunt dispositi, proptereā se-  
quentibus Aphorismis, quibus Tempestatibus, ac  
particularibus Temporum mutationibus Corporum ha-  
bitudines specialitē subjiciantur, sigillatim enucleat.



## APHORISMUS II.

Naturarum aliae quidēm ad Aestatem; aliae verò ad  
Hyemem, benē, malēve, se habent.

**I**nnumeris Experimentis est comprobatum, non  
omnes Homines quāvis Anni tempestate æquē  
benē Vitam degere, atquē inculpatā valetudine

Par. II.

B

frui

frui , sed quosdam in unâ , alios in aliâ salubriùs vivere : & quidem lacertosos , atquè obesos , ambienti frigido faciliùs obſistere , meliusque valere ; graciles verò multùm affici , atquè offendī : cùm tamèn contrà hi melius se habeant Aestate , illi deteriùs ; Unde ex Temporum mutationibus potius uni , quam alteri afficiuntur , prout ipsorum habitudo , ac propensio huic , vel illi tempeſtati magis ſubjicitur .

Naturas tūm hīc , tūm alibì Galenus Temperies interpretatur , quippe qui omnia corporibus humānis contingentia , calore , frigore , humiditate , ac ſiccitate , veluti primis qualitatibus , eſt metitus : quamobrēm in Aestate melius quam in Hyeme illos habere ait , quorū Temperies frigida , humidāq; eſt ; qui verò Temperamento ſunt prædicti calido ſicco , ſalubriùs in Hyeme , deteriùs in Aestate . Verūm hāc ratione obesa Corpora , quæ frigida , & humida , ab ipſo dicuntur , ſalubriorem dege-rent vitam Aestate , quam Hyeme ; & contrà gracilia , veluti calida ſicca , male ſe haberent in Aestate , & bene in Hyeme ; cùm tamèn obesa Corpora efficiunt ſubſtant hyberno , frigidoque ambienti , à quo graviter gracilia offenduntur .

Naturas hīc igitur exponere oportebit , quas ali-bi Nos Corporum conſtitutiones , & habitudines appellavimus , deſumptas à texturā partium ſimilariū organicas componentium , unâ cùm ſanguinis illas irrigantis conformatiōne : quibus enim ſanguis in eſt floridus , vegetus , vividus , qui quaqua versum par-tes ſubeat , & ad obcundas operationes agilitet , hos calidam temperiem , ſeu conſtitutionem , nactos dicemus ; quibus verò , parte potius auctiſticā refe-rentur eſt , obcesiores erunt , ſed minùs calidā prædicti tem-

temperaturā. Confert autēm ambiens Aēr, sive calidior, sive frigidior evadat, ad ejusmodi Corporum constitutiones vigorandas, vel permutandas, inspiratione simūl, & perspiratione; quamobrem tempore aestivo, quia tenuior sanguis evadit ex inspirato aëre, & ex cute rariori promptius perspirant crassiora ejusdem repurgamenta, propterea hebetes, & humidæ Corporum constitutiones, salubrius tunc degunt; deterius verò hyeme, impeditâ ejusmodi perspiratione, & sanguine à frigidiori Aēre aliquantulum constipato. Ita pariter reliquæ Corporum habitudines melius Aestate, pejus Hyeme degent, quatenus ab utróque, hoc, vel alterutro Aēris beneficio, emolumētum, aut detrimentum ex adverso sortientur. Nequè verò perpetuò verum est frigidas, quas vocant, aut calidas temperaturas, Aestate benè, Hyeme malè, ac vicissim se habere, nisi ex memoratis Causis inspirationis, transpirationisque, sanguis benè, vel male afficiatur; siquidem fieri potest, ut frigido prædicti temperamento, sicut & calido, obesi simūl & graciles, æquè male se habeat in Hyeme, atquè in Aestate, si nimirūm effæctus in illis sanguis, in his valde tenuis, facilè dispéndatur, & evanescat, ab ingenti Aēris æstu; & oppressatur, atquè hebetetur à Brumæ algore. Unde plerosque novi ex utrâque Anni tempestate asperâ, scè quotannis ægrotare, & solùm vitam ducere salubriorem tempore verno, aut etiām aestivo, modò calor remissior foret, aut aērem incolerent températiorem, zephyrisque perflatum; quoniā in his imbecilla sanguinis constitutio, & laxa textura membrorum, utrumque excessum ferre non poterat. Sic levis lucernæ flammula citò extinguitur, cùm si algenti, densatōque aéri exponatur, tūm si distraçto,

ventilatōque , imò etiam radiis solaribus vehemen-  
tēr verberato , aut alitēr intensius excalefacto . Jure  
ergò optimo Hippocrates Naturas Hominum indi-  
scriminatim commemoravit , nullā caloris , aut fri-  
goris , alteriusve qualitatis factâ mentione.



### APHORISMUS III.

*Morbi quoquè , alii ad alia benè , vel malè se habent ,  
& quedam ætates ad tempora , & loca , & victus  
genera .*

**Q**uod dixerat de Naturis , & Corporum con-  
stitutionibus , nūnc de ægritudinibus , déq;  
ipſis ægrotantibus , illorūmque ætatibus pro-  
nunciat , ut sensus sit , Morbos in quibus  
dam mitiores evadere , & securiores , in aliis verò  
graviores , periculösque , prout ægrotantes ipſi  
hāc , vel illā habitudine prædicti , in unam , vel  
alteram morborum constitutionem proclives fue-  
rint . Sic graciles ex distillationibus , Tufsi , Dysen-  
teriā ; obesi verò ex Asthmate , Hydrope , Sopore ,  
Palpitatione gravius afficiuntur : In ætate puerili mi-  
nus periculosæ sunt Variolæ ; quām in ætate confi-  
stenti , ac senili . Facilius pàritèr , citiusque definiunt  
Quartanæ , Obſtructions , & Articulorum dolores  
Aestate , quām Hyeme . Hydropes , & Cachexiæ ,  
in montanis , ac maritimis locis levius affligunt , me-  
liusque curantur ; In campeſtribus verò Phthises , &  
Atrophiæ . Attenuans victus gravior in juventute , &  
in morbis à tenuibus humoribus exortis ; ut & ple-  
nior , ac consistentior in succiplenis . Horum autem  
om-

omnium latissimè meminit *in libris Epidemiorum Hippocratis*, ubi Epidemios morbos referens populatè grassantes, non omnes tamè aegros æquabilitè affectos narrat, sed pro variâ cujusq; habitidine, ac naturâ, itemquè aetate, tempore, regione, diætâ, alios gravius, alios levius aegrotas, nequè singulos cum uno, eodemq; genere symptomatum.

Sed nûm ad Morbos potius, an verius ad Causas respexerit Hippocrates, & undè benè, vel male aegritudines se habere dixerit ad alia, atquè alia comparatas, dubitari poterit. Et quidem in textu videtur solum aegritudines memorasse, ut effectus nostris sensibus magis obvios. Sed revera Causas magis prospexitse dicendum est: nam morbi benè, vel male se habent ad alia, aut alia, quatenus Causæ illos efficientes, aut conservantes, abscinduntur, vel emendantur, aut contrâ augentur, & exasperantur: non enim aliâ de causâ tertianæ febres Aestate breviantur, & ingravescunt, nisi quia humor illas fovens promptius dissipatur, aut contrâ acuitur. Sic pariter dolores articulares citius desinere solent Aestate, seriùs Hyeme, quia per aestum vitiosi succi attenuantur, & exolvuntur, per hibernum verò frigus detinentur, & incrassescunt. Perperam proinde agunt, qui in prescribendo victu aegrotantibus, summo studio adnituntur adversus morbos pugnare, cum in calidis, quas vocant, aegritudinibus frigefaciëtia cibaria præcipiant, etiam si humores prædicent crudos, & phlegmaticam, tenacemq; pituitam; quamobrem febricitantes omnes pari modo cibant, oleribus, jusculis, consumptis, cum seminibus, syrupis, & electariis refrigerantibus, ut propterè Morbos insanabiles reddant, vel protrahant.

Præ-

Præterea adjecit Hippocrates, quasdam ætates ad quædam tempora, loca, & victus genera, etiam benè, vel malè se habere, videlicet quia, *Pueri*, *lib. 2. cap. 1.* ut inquit Celsus, *proximique bis, Vere optimè valent, & Aestate primâ tuisissimi sunt, Senes Aestate, & Autumni primâ parte, Juvenes Hyeme*, quique inter juventam, senectutemque sunt: *inimicior autem Senibus Hyems, Aestas Adolescentibus est. Quidam salubriorē ducunt vitam in maritimis, alii in montanis locis: & nonnulli uno victus genere benè valent, alio quamvis perfectiori, non item.*

Hinc ergo prudens Medicus pro variâ Corporum constitutione, atq; habitudine, diversimodè in illorum ægritudinibus se gerat, & proīt noverit in hanc, aut aliām, cùm morbos, morborūmque Causas, tūm ægrotos, ipsorūmq; naturas, atquè ætates propendere constitutionem, ita hoc, vel illo uteatur victu, ac medicamento, cavens ea, quæ omnino dissentanea ejuscemodi Tempestatibus, & Constitutionibus videbuntur. Non semel autem contigit populares quosdam morbos felicitè depulisse indicito statim a principio vomitu, sed & alios, propinatis potionibus gelidarum aquarum, quæ vim alexipharmacam participarent. Quandoquè præstat morbum protinus validissimis remediis adoriri; interdūm verò ejus impetum effugere, ac declinare, Celsi consilio lib. 2. cap. 5. dicentis: *Nequæ ullæ alia spes in malis magnis est, quâm ut impetum morbi trabendo aliquis effugiat, porrigiturque in id tempus, quod curationi locum præstet. Qui itaque sciverit ægritudines per suos impetus, ac tempora, in variis Corporum habitudinibus, atquè ætatibus, secundūm vicissitudines moderari, planè is in Medicinâ faciendâ magnus erit.*

APHO-

## APHORISMUS IV.

*In temporibus, quandò eādem die modò calor, modò frigus fit, Autumnales morbos expectare oportet.*

**D**Amna ex mutationibus Temporum universim oriri anteā exposuerat, nūnc speciatim morbos futuros autumnales pronunciat, quād cumquè eādem die modò calor, modò frigus vigeat, idque sive in Verc, sive in Aestate, sive in cæteris Anni temporibus contingat. Nequè solùm si eādem die, sed etiā si longā dierum serie, ejusmodi mutationes fiant; sed enīm eodem die contingentes frigoris, & caloris mutationes, periculosores procūl dubio sunt, quippè quæ subitanæ, & repentinæ, celeritè Corpora agitantes, perturbantésque ad opposita; undē speciatim etiā notantur frigoris, & caloris alterationes; velut quæ sensibilius solidas Corporis partes commovent, atq; in contraria deducunt: Calore enīm humores liquantur, & ad sudorem disponuntur, viscera laxantur, pori cutis rarefiunt, & halituum perspiratio uberior fit; frigore verò ista cohibetur, densantur humores, & promotus sudor impeditur; quare ex inæquali, & subitâ hâc commotione, graves noxas ingruere necessum est, quales sunt Autumnales. Morbi siquidēm in Autumno evenientes incostantes sunt, & mali moris, quandoquidēm nullum planè tempus eo majores habet inæqualitates: etenim manè, & circā Solis occasum frigus persenteitur, & longè majus noctu; Meridie verò, calor nimius invalescit; ut propterea eā tempestate plurimi, gra-

ves-

Yésque morbi passim ingruant :

Noa tamèn quis existimet, ex unico dumtaxat die, mutationem è calido in frigidum vicissim habitam, morbos portendere graves, & autumnales, sed cùm diù perduraverit : siquidèm quod semel accidit facilè à quocumq; etiàm debili toleratur; nequè tantæ efficacitatis esse potest, ut vehementer corpora concutiat, & sensibilem noxiam imprimat. Itaque oportet, ut iteratis diebus ejusmodi permutations contingent ; quemadmodùm & Ovidius expressit, 2. de Arte Amand.

*Quùm modò frigoribus premimur, modò solvimur astu:  
Aëre non certo, corpora languor babet.*

Et Celsus lib. 2. cap. 1. ex tempestatibus , inquit , optima æquales sunt , sive frigidae , sive calidae , pessima quæ maximè variant : quo sit ut Autumnus plurimos opprimat , nàm fere meridianis temporibus calor , nocturnis , atquè matutinis , simùlque etiàm vespertinis frigus est . Cùm & lib. 1. cap. 3. diætam per id temporis præscribens , proptèr Cœli varietatem , maximè periculosam , monuerit , nequè sine ueste , nequè sine calceamentis prodire oportere , præcipueq; diebus frigidioribus , nequè sub dio noctu dormire . Ubi præfatos Auctores non de unius dici vicissitudine , sed de pluribus plurimorum dierum , palam est suis loquutos .

Subitæ igitur , & repentinæ vicissitudines nedùm ipso vigente Autumno , sed etiàm extrà hoc tempus , quandocumquè contingent , timendæ sunt , cùm subinde vagari soleant illa morborum genera , quæ eâ tempestate grassantur ; siquidèm non à tempore , sed ab ipsâ vicissitudine , morborum Causæ , ipsiq; morbi , proptèr subitas Corporum alterationes progignuntur . Quamobrem plurimum degenera-

bunt à consuetâ , & naturali constitutione , reliquæ Anni tempestates , si fortassis non æquabilem servaverint aut̄ caloris , aut̄ frigoris habitudinem ; & longè deterior fiet Autunanus , si & ipse in sua inæqualitate adhuc sit inconstans . Cæterum si mutationes istæ , atquæ vicissitudines Aëris repentinæ nocent sanis , multò magis affacent ægrotos : unde experimur ægritudines cæteroqui leves , ac benignas , ob Autumnalis tempestatis varietatem , atquæ incôstantiam , protinus in malignas , & exitiales commutari . Perperam proindè agunt , qui prætèr Aëris inclem̄tiam , ultroneas sibi excitant ejusmodi permutationes , cum modò calido , modò frigido Aéri se exponant , modò æstuent , & fudent , modò refrigerescant , & frigida laventur , modò integrumentis duplicitibus utantur , modò simplicioribus : quod & non rarò Médi ci à febricitantibus factitatum turpiter & laudant , & commendant .

**APHORISMUS V.**

*Austri auditum bebetant , caliginem visui offundunt , Caput gravant , tarditatem , & languorem inducunt . Quando igitur invaluerint , talia in morbis accidunt . Contrà si Aquilonia sit Tempestas , susces vi- gent , faucium asperitates , alvi durae , difficultates Urinæ , borrores , Costarum dolores , & Pectoris . Quandò igitur hæc viget , talia in morbis expectare oportet .*

**D**etrimenta à Ventis oriunda h̄ic cnumerac Hippocrates , potissimum autem ab Australibus , & Boreis , qui cæteris infensores , fre-

Par. II,

**C**

quen-

quentiorēsque esse solent , & quodammodo reliquos  
alios è collateralibus complectentes , utrumquè Or-  
tum , atquè Occasum , æstivum , & hyemalem , cum  
eà amplitudine , quæ Tropicis , ab Aequatore , &  
ab Ortu Autumnali , ac Verno , competit : quippe  
non solum Auster , sed Africus , & Notus , Venti  
Australes appellantur ; sicuti Boreales ex adverso ,  
Aquilo , Boreas , & Corus ; & quemadmodùm illi  
consimilem in humectando , & calefaciendo vim ,  
facultatēmque referunt ; ita isti in exiccando , &  
frigefaciendo .

At verò sicuti Ventorum vis , atquè efficacia ,  
varia observatur , ita Origo diversa esse debet , quæ  
planè tandiū Physiologorum ingenia fatigavit , ut  
intèr arcana Naturæ illam plerique repositam exi-  
stiment , cùm post longam , continentēmque inquisi-  
tionem , needum hactenùs patuerit . Certum autem  
unicuiq; est , in his Aërem diversimodè agitari , atq;  
huc , vel illuc violentijs commoveri , unde pleris-  
què putatum , Venenum non esse aliud , quam Aé-  
rem motum : quibus assentitur Hippocrates lib. de  
flatib. , definiēs Ventum , Aëris fluxum ; & fusionem .  
Ut autem Aér impetuosiùs moveatur , quidpiā om-  
nino alienum , ac differens , quod agitet , atquè  
impellat , cum illo intermixeri necessum est , cuius  
causā varias quoquè excitet alterationes . Aristote-  
lei halitus , è Terra queo globo erumpentes , causam  
commoti Aëris dixerunt , qui vi Solis in altum elati ,  
ubi ad secundam ejus Regionem offenderint ,  
repercutiuntur , ac nequeentes deorsum , contrà levium  
naturam , tendere , in gyrum priuū revolvuntur ,  
deinde huc , aut illuc dissiliunt , & ventos gignunt  
in hanc , vel illam plagam excurrentes . At si ex-  
halationes istæ uniusmodi sunt , eamdemque semp̄  
ter-

certam naturam participant, profecto Venti omnes  
 siccitatem præseferrent, & ejusdem oblerarentur  
 conditionis. Nequè verum est, quod Macrobius af-  
 ferit lib.2.in *Somm. Scip.c.5.*, variari ventos à locoru, v. Gaf-  
eandem rationem: Nàm deberent quoquè, qui send. 5.  
Aestate calidi sunt, fieri per Hyemem frigidi, &  
qui Hyeme frigidi, per Aestatem calidi, cùm Re-  
giones ex opposito rigentes, aut ferventes pervade-  
rent; quin & nulli per Aestatem frigidi forent, &  
nulli per Hyemem calidi, sed omnes temporis cō-  
stitutionem sequi deberent, aut etiā locorum  
 conditionem; atquè sub Zonâ Torridâ calidissimi,  
 in Temperatâ moderati, in Frigidâ frigidissimi  
 semp̄r essent. Atqui falsum omnino est ventos sub  
 Zonâ Torridâ æstuosos esse, etenim qui eas Regio-  
 nes perlustrarunt, referunt suaves Zephyros, ac lar-  
 gos imbres, ventososque, ibi vigore, temperatèque  
 plurimū perpendicularē Solis radios, ut propterea  
 perperā creditum sit Aristoteli, cæterisque Vete-  
 ribus, Zonam illā esse inhabitabilem. Nequè pre-  
 terea verum est Ventos tam vastas, remotasq; Re-  
 giones percurrere, cùm peculiaribus quibusdam lo-  
 cis concludantur, & suos unaquæque Regio pro-  
 prios, particularēsque habeat flatus, quibus seren-  
 itate gaudeat, aut imbris irrigetur, caleat, aut  
 frigeat. Auster, & Notus venti Nobis Neapolim  
 incolentibus humidissimi, Apulis afferunt serenitatē,  
 quibus tamè pluit flante Euro, vel Cæcia. Sed &  
 non raro alicubi Venti perflant sevissimi, quo

C a tem-

tempore alibi , modico Telluris tractu interjecto , neq; levis aura persentitur . Cùm hic Neapoli anno 1688. Nonis Junii horribilis ille Terræ tremor accidit , quiescente post dirum præsterem Aëre , viguit Romæ Auster vehementissimus . Unde liquet , oriri , aut perire fatus , Ventosque , longè proprius , quām ut vulgò putatur , ex specubus , è clivis , fastigiis , & radicibus Montium , è Mari , Fretis , Sinibus , nèc è tām diffitis locis proficiunt .

At verò varietas Ventorum , ferentium sive frigus , sive calorem , referenda videtur ad halitus quidem , & vapores , qui è Terrâ , vel Mari erumpentes , per Aërem diffunduntur , sed naturam diversam referunt spirituo-salinam halinitri , ammoniaci , aluminis , sulphuris , vitrioli , bituminis , alijsve , quique sæpenumerò dissiliunt , atquè feruntur , quò radii Solis impellunt , & Luna Telluri propinquior deprimit , aut peculiaris quædam loci habitudo coarctat . E quidem halinitrosi Aërem infrigidant , aluminosi , sulphurei , & ammoniaci calefaciunt ; misti , grandines simili , & procellas adducant , & bituminosi etiā tonitrua , ac fulmina ; Ut propterea sit , cur primi post æstatem Imbres procellis , grandinibus , tonitruis , ac vehementissimis statibus consocientur , quia ex præarefactâ Tellure varii , diversiq; salium spiritus per Aërem sunt interspersi , qui mōx nubibus conclusi , procellas excitant . Statis etiā temporibus spirant non raro Venti ejus planè pravitatis , ut illis sata , fructus , flores , folia , palmites urantur , & veluti siderata vitâ priventur , ob hostilem , pessimamque vaporum , aut exhalationum fatus , ipsos promoventium conditionem , undè eos etiā , ac pruina ex his decidua insensissima vegetantibus esse solet , transīque in rubiginem . Sic quoquè experimur

mur Sale Nitro aquam congelari, & congelatam à spiritibus ex alumine, & ammoniaco elicitis exfolvi, & calefieri. Etesiae Venti ab Hippocrate memorati circà Solstitium aestivum, cum Nilus exundare incipit, quotannis spirant, atq; per eas Regiones aestum Aëris mirificè temperant, quoniā tūm aquæ ipsæ, tūm spiritus perflantes plurimā nitri copiā sunt referti. Hinc etiā est, ut Boreales vēti Aërem serenum, & frigidum faciant; Austrini, verò cōturbent, & nubilum, ac pluviosum reddant, quiā vapores aquei à spiritibus nitrofis conglaciantur, ac præcipitantur; ab aluminosis verò dissolvuntur, & attolluntur. Sed & Radii Solis, ac Lunæ motus propinquior nostræ Telluri solent quoquè sēpēcēpius ventos in hanc, vel illam plagam propellere; undē oriente Sole Venti plerumquè spirant orientales, Eurus, Subsolanus, & Vulturinus; & occidui Favonius, Circius, & Zephyrus, ipso in Occasum inclinante: in signis Australibus Austrini, & in Borealis Borei sēpissimè perflant; quin immò ab Austrinis flatibus calor in Aëre sensibilius persentitur, frigus verò à Borealis. Luna insuper circà Tellurē depressior vim aëris elasticam comprimendo, & coarctando, Ventos quoquè excitat, plerumq; turbulentos, & irregulares, ob variam elateris commotionem, protractionēmque, nisi tamèn restâ ex concordi impetu feratur. Diversa demum locorum habitudo fatus etiā vel excitat, vel variat. Etenim in Montibus, Speluncis, Isthmis, & in cuiusvis generis fodinīs, peculiares quidam fatus observantur; itēmque in quibusdam Maris sinibus, Fretis, Scopulis, quiā nimirūm halitus, aut vapores illinc erumpunt, aërem commoventes, & magis, minūsque agitantes, huc, aut illuc, pro loci, & vaporum con-

conditione : Hac ratione Venti in montibus plerumq; frigorifici esse solent, in oris maritimis humectantes, & calorifici, atquè in aliis locis alii, pro fossilium varietate, quibus Aër diversimodè refertus, diverso quoq; modo nostra Corpora afficit.

Hinc modò facile ratio reddi potest, cùr Austri complura Corporibus, præcipue debilibus, incômoda afferant, præsertim verò Auditum hebetent, caliginem Visui offundant, Caput gravent. Quoniām vapores plurimos concitant, & Aërem turbant, qui propterea viscera relaxat, & inquinat, cunctos liquores auxiliores reddit, sed speciatim sanguinem à suā compage laxiorem; undē gravedines, catarrhi, hebetudines membrorum, totius Corporis laxitates, gravis auditus, & visus caliginosus. Gravius autem præ cæteris Caput afficitur, quiā debilius, atquè externis alterantibus magis obvium, quo circā universo postmodùm Corpori corpor accidit; siquidem gravato Cerebro, nervi quoquè, membranæ, & musculi afficiuntur. Accedit, quod nedūm respiratione, sed etiām cōtactu vapores per Aërem diffusi Corpora madefaciunt, ac poros Cutis infarcentes interturbant trâspirationem; sed enim tunc etiām marmora exsudare conspicimus à vaporibus ibi consistentibus in aquam. At verò expertum est, phialam nive repletam exteriùs in ambitu vapores per Aërem dispersos cogere in Aquam, ut exindè modicum post tempus plures amphoras colligere liceat. Nuperrimè etiām excogitatus est Nobis Modus (& quidem alias ab eo, quo, per salem plus, minusve in lance ponderosum, usus est olim Galileus) internoscendi copiam, vel inopiam humoris in Aëre, ope cuiusdam Instrumenti in planisphaerii formam instructi, atquè in XII. partes di-

distributi. Id enim per suum gnomonem indicat in designatis partibus quantus humor cum Aëre sit commixtus. In pluviosa tempestate usque ad XI. progrereditur hic Neapoli; in boreali verò, & aestuosa, nonnisi ad V. solùm regreditur. Non mirum igitur, si tantoperè Capitis affectibus, artuum doloribus, & distillationibus obnoxia illa sit, musculi Corporis per id tempus relaxentur, & Organorum sensuum obtundantur.

Cum ergo hujusmodi tempestas Australium flagrum prævaluerit, diuq; perduraverit, talia in morbis accidunt: idest ægrotantes, licet aliis morborum generibus sint correpti, his tamèn præterea symptomatibus afficiuntur, quæ sanè non sequentur eorumdem morborum naturam, sed Austrinam temporis constitutionem. Quamobrèm solers Medicus minimè ex his morbo supervenientibus decipietur tam in prognosi, quam in Curatione, si Tempestatis habitudinem scrutatus, exploratum habuerit, quid vi morbi, & quid vi causarum exteriorum ægris contingat, ut bene etiàm advertit Heuenius.

At contrà in Aquiloniâ tempestate, Tusses vigent, præsertim aridæ Celso dictæ, & Faucium asperitatem, à frigidâ, & nitrosâ Ventorum Borealium condizione, quæ pectori inimica est, ex eodem Hippocrate. *Apb.* 18. Fiunt etiàm alvi durae, tunc quia felicus humor in ejusmodi Aquilonaribus Tempestatis minuitur, figitur, aut hebetatur; tunc quia absumptis humiditatibus, quæ alvum laxare solent, venter adstringitur, & fæces obdurescunt: nam sicut non exigua humitas unâ cùm Aëre humido per inspirationem in Corpus hauritur; ita cù siccо absumitur; undè flante Boreâ magis sitire so-

le-

Iemus, quām flante Austro, et si hic calidus, ille frigidus percipiatur. Horrores pariter, non quidem ab internā causā inducti, ut in febribus intermittentibus, sed ab eodem ambiente frigido perspiracionem comprimente. Denique difficultates urinæ, costarum, & pectoris dolores, sive à concrecenti sanguine, qui facilè Pusmonibus, cæterisque partibus Respirationi inservientibus hærescit, sive ab impeditâ, inturbatâque perspiratione; sive etiā quā nitroſi Spiritus inspiratione Aëris hæusti acorem Sanguini communicant, ejusque Serum cogunt, ac exprimunt; undē adaugetur urina, & acrior evadit, atquè dolores laterales, & quandoquè etiā internæ inflammations ibidem excitantur. Utramquè hanc Tempestatem Borealium, & Australium ventorum sic latinus Hippocrates expressit lib. 2. cap. 1. *Ex Tempestatibus Aquilo tuffim movet, fauces exasperat, ventrem astringit, urinam suppressit, horrores excitat; Item dolores lateris, & pectoris: sanguinem tamē Corpus spissat, & mobilius, atquè expeditius reddit. Auster aures bebetat, sensus tardat, capitis dolores movet, alvum solvit, totum Corpus efficit hebes, humidum, languidum.*

Eiusmodi autem à Ventis impetuosis tūm austrinis, tūm boreis, incommoda, quā ratione vitari possint, edocuit Vitruvius, Palladius, atquè in medicè magis Galenus in suis libris de sanitate suenda. Memorabile verò est, quod olim est molitus Acron Agrigētinus (Laërtius id etiā factū scribit ab Empedocle ejusdem Acronis auditore) insignis sui temporis Medicus, atquè Hippocrate vetustior, ad vindicandam ab immani peste Siciliam. Is enim coriis bubulis, ad id affabré comparatis, ventos primū, quorundam montium, undē illi spirabant, angu-

angustiis interceptis, coēcuit, mōx ignes plurimos accendi jussit, ut pravi halitus per Aērem dispersi absumerentur, isq; meliorem noctus conditionem, remedio in posterū foret sanguini, & Cordi, quod prius infecerat; Idipsum quoquè gestum legimus ab Hippocrate, qui integras sylvas comburi præcepit, cùm Græcia pravo Ventorum afflatu pestilentia vexaretur. Cæterū partibus speciatim affectis ex malâ earumdem Tempestatum Constitutione succurrendum erit iis præsidiorum generibus, quæ à Nobis alibi sunt memorata. Solum hic referam, quod Aristoteles *in suis problematis*, sedari Tussim animadvertisit, illamque veluti momento desinere, cohībito spiritu. Verumtamēn siccām esse decet, quæ ab aquiloniâ tempestate accidit, non autēm humidam, quæ cùm à concretis humoribus in cavo pectoris, aut pulmonis oriatur, nonnisi, anacatharsim moventibus medicamentis, curari poterit.



## APHORISMUS VI.

*Quandō Aestas fit Veri similis, sudores in febribus multos expectare oportet.*

**D**E his, quæ accidūt ægrotantibus, ab Aquiloniâ, vel Austrinâ Tempestate, præcedenti Aphorismo egit Hippocrates, nūnc ea prosequitur, quæ à mutatâ, variatâque constitutione temporum eveniunt; præsertim verò Aestatis meminit, cùm Veris naturam æmulatur, aīrque febricitantes plurimū sudaturos, cùm Aestas fit Veri similis, idest ingenti suo ardore deficit, & temperiem quamdam refert, non absimilem ei, quæ

Par. II.

D

in

in Vere naturaliter contingit: & quoniām Morbi per Aestatem vagantes plerumquē sudore finiuntur, quo carere solent ægritudines hybernæ , idcircò de Aestate solummodo hęc specialiter notavit.

Nequè verò à temperie solūm Aëris vernali per Aestatem contingente, plerique volunt futuros in febribus sudores, sed à pluviosa constitutione, quippe quia Ver pluviosum esse solet; undē Aristoteles in Meteoris asseruit pluviosum magis esse Tempus Vernalum, quām Hybernum: tunc etenim Sol moderato Calore vapores è Terraquo globo elicit, elevat, & in imbræ commutat, qui sanè per Aestatem extenuati dispereunt, & in Hyeme congelascunt, vel aliò ab Aquiloniis Ventis amandantur. Cūm igitur Aestas fit Veri similis, imbræ abundans, sudores multi in febribus aderunt consequentes ejus tempestatis humidam, & pluviosam constitutionem. Hinc 2. epidem. sect. 1. dicitur *pluvias minutæ in Aestate febres Sudorificas efficere*. Modò minutæ pluviae sunt propriæ Vernalis tempestatis.

Ex his autem facile deducere licebit, quā ratione Hippocrates sudores asserat multos in febribus expectandos: cūm enim Corpora multo humore per id temporis imbuantur, necesse est motu Naturæ, causam morbificam depellere conantis, illum subindè educi sudoribus, qui tūm febris impetu, tūm æstivi temporis ratione plurimi fient; quinimò etiām à principio comparebunt, exudante nimisimum sponte aqueo humore, poros Cutis, & glandulas subtercutaneas occupante, vel impetente.

Febres autem speciatim memoravit, non quod in cæteris ægritudinibus, quæ eo tempore contingere possunt, sudores ejusmodi nulli fiant; sed quia hi potissimum febres comitantur, & ab æstu febri-

li promptius erumpunt. At verò non distinxit febris speciem, fortè quia omnes voluit comprehensas, eā solum differentiā, quod in quibusdam sudores isti critici, & salutares sint, in aliis symptomatici, & inutiles. Quamobrem tacite Medicos admonet, nē sudoris copiam, ac promptitudinem omnino reformident, aut ultrò commendent; quasi verò damnum, aut emolumentum pro re natâ non sit interdùm allaturus: etenim ab humidâ Temporis constitutione, non verò à causa morbifica, sudor ille provenit. Quamquam possit etiā cum humore febrili conjungi, & similē excerni salubritè, si nimirum cætera concurrant, quæ crism salutarem comitantur. Porro quemadmodum præcedenti Aphorismo adjectum est: *talia in morbis expectare oportet;* sic pariter nunc dicitur, sudores multos in febribus esse expectandos, cùm Aestas fit Veri similis, non quidem à febre, ejusq; causa, sed ab ambientis humili, ac pluviosis constitutione.

Quod si fortassè ejusmodi Verna constitutio vigeat per Aestates, nèc tamèn febricitantes sudare videantur, oportebit omnem industriam adhibere, ut illi ad sudorem disponantur; secùs duplice malo conflictabuntur, altero à febrili causa, altero à tempestate pluviosa, undè impediat perspirationem, febris in longius producetur, vel in pejorem commutabitur.



## APHORISMUS VII.

*In Siccitatibus febres acuta fiunt. Quòd si amplius talis pergas esse Annus, qualem fecerit constitutio- nem, tales plurimùm morbos oportet expectare.*

+3 Apri: 15

**P**RIMÀ fronte videtur hic Aphorismus opponi illit, in quo dicitur : *siccitates sunt imbris salubriores, & minus mortifera*. Nàm si siccitates dicuntur salubriores, cùr est, quòd nùnc febres acutas parere ferantur? Verùm in Grèco Codice scribitur : Ἐτοῖς αὐχμοῖς : idest *in squaloribus*, qui extremam siccitatē, illámque diurnam significant, ut proptereà non quamcumquè siccitatē, sed summam, vehementemque adnotat hic Hippocrates, ut accuratiōes Interpretes exponunt, quā scilicet nimio ardore cuncta penè exarfacta, atquè ambusta videntur. Nequè verò absolutē is protulit salutares omnino esse siccitates, sed tantūm imbris, sènī Austrinis tempestatibus pluviosis, salubriores, factā nimirūm intèr se invicem comparatione; de qua re postea dicetar.

Sed cùr in siccitatibus extremis febres acutæ fiant? Plerique rationem desumendam putant ex ipsamēt naturā siccitatis, quæ ferè sempèr cum calore jungitur, ut proptereà vigente constitutione calidā siccā febres acutas exoriri necessum sit. At non video, quo jure isti mentem Hippocratis sicutem velint extorquendam. Si enim de tempestatibus calidis siccis hanc sententiam protulisset, sanè dixisset potius, in *caloribus*, aut *aëribus*, quām in *siccitatibus*, cùm ceteroqui Calor habeatur potior,

&amp;


& efficacior qualitas, vi prædita excellentiori intè  
eas, quas primas vocant. At verò videtur congruē  
tè Hippocrates notasse siccitates, non calores, quià  
mens ejus erat referre detimenta constitutionis op  
positæ ei, quam in præcedenti Aphorismo protule  
rat de Aestate, in humidum vergente; ut proindè  
gratiâ exempli notatum voluerit, quòd quemadmo  
dum ab humida tempestate longi morbi, ità ab  
arida breves orientur. Accedit, quòd à siccitate  
extenuantur humores, absunturq; aquosæ Cor  
poris superfluitates, quæ morbos vel protrahunt,  
vel hebetant, undè non immeritò brevitatem, &  
acutiem illi præferent. Cùm insupè Aphorismus  
singulas Anni tempestates complectatur, & què enīa  
de Aestate, ac de Autunno, Hyeme, & Vere vi  
detur pronunciatus, propterea usus est Hippocrates  
eā, loco exempli, constitutione, quæ communis  
omnibus esse potest, & indifferentè per utraslibet  
vagari: modò & Ver, & Autumnus, Aestas, &  
Hyems siccitatem præferre possunt, idest pluvia  
rum vacuitatem: nequè enīm aliter res siccæ fieri  
dicuntur, nisi quià extendatæ, atq; exsuccæ, omni  
penitus humore exhauiuntur, ut in expressâ, exu  
stâque spongâ palam sit. Modò per siccitatem ex  
tremam pori Cutis suprà modum constipantur, par  
tes obdurescunt, & perspiratio plurimùm impedi  
tur; quin & sanguis ipse per Pulmones trajectus,  
non leviter à sua crasi, & fluiditate declinat, un  
dè alicubi restagnans, & præsertim in apicibus ar  
teriarum, febres excitat vehementissimas, atquè ad  
modum periculosas. Sicut enīm præhumidus Aër,  
& austinus, nocuus ex unâ est, sic ex alterâ parte  
aquinonius, & plus justo attenuatus, distracto vide  
licet, ac, ut ità dicam, nimirum furente ejus elat  
era.

Cæ-

Cæteram secunda pars hujus Aphorismi desumpta est ex libro de humoribus, ubi & plura alia ad Annorum tempestates pertinentia scripta leguntur. Nequè aliud ex illa inferre vult Hippocrates, nisi quòd morborum per tempora affectiones magnâ ex parte sequantur ipsius Anni constitutionem, ut propterea si tempestas sicca admodum esse pergit, per universa Anni tempora, per omnes etiâm tempestates, febres acutæ magnâ ex parte sint expectandæ, sicut quoquè aliis generis ægritudines pro ratione vagantis constitutionis. Quo enīm diutiū squalor in Aëre, ac Tellure perduraverit, eo etiâm acutæ ægritudines graviores fient. Scriptum est autem magnâ ex parte: nām satis est, si plerumquè Tellus, & Aér imbribus non madescat, nēc huīnfectetur, adeoque rarenter pluat: vix enim fieri potest totum, integrūmque Annum in nostris Regionibus imbribus fore cariturum.

Sed nūm per idem omnino tempus, quo sicca, & imbribus vacua Constitutio viget, acutæ febres, hic ab Hippocrate notatæ, observandæ sint, an verò in posterūm, non levis est hujus loci difficultas. Et quamvis aliquibus videri possit, nonnisi quo tempore arida tempestas urget, acutas febres vagari, juxta effatum illud Physicorum, Causas tūnc reipsā effectus parere, cùm adsunt, & vi, atquè impulsu, operationes promovent. Nihilominus si verba Aphorismi perpendantur, planè etiâm imminentes, & futuras comprehensas affirmabimus: dicitur enim, *tales morbos oportes expectare*. Si ergò expectandi, igitur per idem tempus, quo sicca viget constitutio, nō sunt. Nequè verò effatum illud Physicorum perpetuò verum est in Causis Procatarcticis, & externis, sed solū in Syneæticis, conjunctis, & pro-

proximis: illæ namquæ, ut morbos inferant, debet primò internas Causas excitare, quas intèr, & morbos est necessaria connexio; secùs verò cum Causis Procatarecticis: etenim adhuc vitato Aëre, atq; remoto cibo, aut motu, qui morbus ab his semel inductus est, perseverat, nèc definit, nisi Causa interna, & proxima auferatur. Cùm itaque Hippocrates de Causis externis, & Procatarecticis hic agat, nimirum de Anni Constitutionibus, procul dubio non modò de præsentibus, sed & de imminētibus quoquæ, futurisque ægritudinibus exponendus erit. Rectè ergo dicebat Celsus lib. 2. cap. 1. *Nemquæ solùm interest, quales dies sint, sed etiā quales antè processerint.*

*APHORISMUS VIII.*

*In legitimis Temporibus, ac convenientem servantibus temperaturam, morbi legitimi, & boni judicii fiunt; intempestivis autem, non legitimi, & mali judicii.*

**D**E Aegritudinum successu in Anni tempestibus sermonem hic habet Hippocrates, ut nimirum ex his variè procedentibus sagax Medicus prælagire sciat quem modum illæ sint servaturæ, & quem quoquæ finem habituræ sint; aitq; morbos legitimos, & boni judicii futuros, si Anni tempora convenienter processerint; illegitos vero, maliq; judicii, si præpostere, atquæ intempestivæ se habuerint, & à propriâ, ac naturali constitutione declinaverint.

*Quamobrem inquit primò in legitimis Temporibus, vel*

vel, ut alii vertunt, *in Temporibus constantibus*, aut *moderatis*, ut mavult Fuchsius. Legitima autem, & *constantia tempora intelligit*, cum singula propriam servant naturam, & suis unumquodque limitibus cōcluditur, ut scilicet statu tempore incipiat, desinatq; nec ultrà quam deceat, & consueverit, progrediatur, aut morem, conditionemq; naturalem excedat, vel prævertat. Hac ratione si Ver sub Aequinoctio Arietis moderato calore inchoet sensim Aerem ab exceptis Solaribus radiis hyemali exuere rigore, & succedens à Solsticio Cancri Aestas calorē augeat, qui deinde paulatim mitescat, Sole in Aequinoctium Libræ inflexo, legitima, & constantia tempora dicentur, suāmq; servare temperaturam, & consuetudinem. Itaque tunc tempora legitima erunt, & constantia, cum tempestivè adveniunt, desinuntque, & convenienti vicissitudine invicem succedunt.

Insuper, & *convenientem*, ait, *servantibus temperaturam*: ubi nimirū Ver moderatum referat calorem, longè majorem, & excedentem Aestas, temperatiorem Autumnus, commutatum verò in algorem Hyems, prout ipsæmet Temporum Constitutiones expostulant: Quæ sanè non aliâ ratione variant, & vicissitudine regulari commutatur, quam à motu Solis accendentis, vel recedentis à nostro vertice, qui prout Spiras efficit modò sublimiores, modò humiliores suprà nostrum Horizontem, ita radios immittit vel propè perpendiculares, vel admodum demissos, adeoque Aestatem, & Hyemem parit, atquè in mediis temporibus Ver, & Autumnus.

Præterea addit, exinde *morbos legitimos oriri*: legitimi autem Morbi intelligi possunt, aut qui simplices, & uniformes sunt, eundem sempè modum

ser-

servantes; atquè ab eodem fomite pendentes; aut qui cum aliorum morborum symptomatis nō junguntur; aut etiām qui constantes, & sinceri observantur, non autem inæquales, fallaces, & varii, ut Autumnales, sicuti exponit Fuchsius; nec malè mortati velut maligni, quemadmodū vertit Heurnius.

Et demūm boni judicij, videlicet salutaris judicationis, & exitus, absq; ullā recidivā, nequè cum ingenti corporis perturbatione, aut in locis incongruentibus, & pericolosis. Cūm enim ab inæquali, & heterogeneâ materiâ non dependent, citius planè, ac facilius Naturæ viribus subiguntur, atquè coctione, secretionēque extrâ corpus ablegantur: Quippè non aliâ de causâ spuriæ, & illegitimæ febres diæ graviores, difficiliorēsq; solitu esse solent, nisi ex commissione diversorum succorum, aut ex variâ fermentorum febrilium conditione. Hippocrates etiā Hemitritæum periculosum dixit, quià unius generis febris non est, sed Quotidianæ, & Tertianæ naturam æmulatur.

Quòd si hæc non servaverint, sed intempestiva, inconstantia, immoderata fuerint, putà si Aestas humida sit, nequaquam calida; Vere nix, aut grādines contingent, aliæque tempestates. sibi iplis promore non respondeant, inconstantes, illegitimi, & mali judicij, oppositis planè de causis, morbi fient.

Unde autem boni, vel mali judicij signa perenda sint, inquisitione videtur dignum. Et quidem à symptomatibus potissimum adjunctis, atquè à coctione, vel cruditate illa facile desumi poterunt. Symptomata enim leviora, vel morbo non dissimilata, salutarem exitum portendere solent; graviora verò, & morbo dissimilia, periculosum denunciant. Coctiones etiām citò comparentes, nedium,

bonum, sed & brevi futurum Morbi judicium significant: Coctio siquidem prævalente Naturam arguit, & Causam morbificam jām evictam, atq; secretam, adeoq; certam salutem portendit; undē Hippocrates 1. epidem. sect. 2. *Coctiones*, inquit, judicii celeritatem, & sanitatis securitatem significant. *Cruditates* verò *judicationis sublationem*, aut diuturnitatem, aut mortem, aut eorumdem recidivas.

Cæterū sententia hæc clariū videtur expressa 2. epidem. sect. 1., undē desumpta est, his verbis: *In quietis, ac constantibus temporibus, & aprimis, tempestivè tempestiva præbentibus, boni status, & judicatu facillimi morbi fiunt. In inconstantibus verò, inconstantes; & qui difficulter judicantur.* At verò nedum frigus, ardorem, siccitatem, aut pluvias, in his considerandas præcipit, sed etiā Ventos, Ortus, & Occasus syderum, ut ex libro de Aër. Aq., & loc. memorat Gal. in Comment., de quo legatur Fuchsius hic Annos. in Gal. Comm.

Quæ verò in his locis Hippocrates commonuit, sanè experti sumus Anno 1690. in omnibus terè ægritudinibus. Cùm enim ab ineunte Vere Tempestates sibi invicem succedentes inconstantes admodum, atq; intempestivæ processerint, nām ipso Vere algores, & imbræ, Aestate pruinæ, nubes, grādines, & venti occidui, nobis frigorifici, potissimum spirarunt. Ad Autumni principium, æstus ingens meridie, & Sole ad vesperam inclinante, mōx noctu, & sub aurorā frigus molestum, quod deinde circā finem, dūm hæc scriberem, asperius percrebuit, vicissim flante nūnc Borea, nūnc Africo; morbi visi sunt, pauci licet, sed varii, inconstantes, & illegitimi simūl, atquè fallaces, ac malæ *judicationis*. Sed & utero gerentes plerumque aborsum pas.

pars sunt : pueræ vehementissimis doloribus vexatae , vel interierunt , vel variis , atquæ inopinatis symptomatum generibus fuere affectæ , vel saltè post diversas carneas moleculas excretas , tardissime convaluerunt . Deliria quoquæ melancholica , Tussis efferæ , dolores artuum contumaces , ac sèpiùs repetentes , febres malignæ cum exanthematibus , & morbillis , capitis dolores , Cerebri hebetudines , & sanie ex aurium ductibus , vel è parotidibus eruptions , aliaq; similes ægritudines populatèr sunt grassatae . Atqui Senibus potissimum , & puerulis , hostilis fuit hic annus . Fructus quoquæ omnes debitam maturitatem non sunt adepti , atquæ uvæ præsertim acerbæ , ut etiàm ad mensem Novembris perductas , tempus apùd Nos Vindemiæ novissimum , nondùm dulcem , gratumq; saporem nactas , in usum Vini colligere necessum fuerit .

*APHORISMUS IX.*

*Autumno Morbi acutissimi , atquæ exitiales maxima ex parte . Ver autèm saluberrimum , & minimè exitiale .*

**P**ostquam accidentia legitimorum , & constantium , atquæ illegitimorum , inconstantiumq; temporum retulerit , comparat nunc Hippocrates quæ Veri , & Autumno , veluti Temporibus mediis , contingunt , atquæ inquit in Autumno morbos magnâ ex parte acutissimos , & exitiales fieri ; Vere autèm , vel nullos , vel salutares , minimèque exitiosos . Fert igitur judicium duorum Annî Temporum , quæ apùd Nos mediocria existimantur .

Non omnes eodem modo Tempus Autumni me-  
tiuntur. Nonnulli ex Priscorum monumentis ab or-  
tu Atcturi ad occasum Vergiliarum ejus limites de-  
finiunt. Alii cum Astronomis circumscriptum putat  
Aequinoctio Libræ, & hyberno Solstitio Capricor-  
ni. Agricolæ, & vulgus Hominū à primoribus imbris  
Septembribus in choari, & usquæ ad supra Sationis  
tempora protendi. Medicorum denique plerique, cù  
primùm inæquales vicissitudines caloris, & frigoris  
dies tubeunt, & quoysquè frigus æqualiter in Aëre  
consistere videatur: idque coherentè Hippocrati *hoc*  
*eadem libro t. 4;* qui Autumnales ægritudines por-  
tendit à temporis inæqualitate, & inconstantiâ. Et  
sanè potior Causa, cur Morbi in Autumno acutissimi,  
& exitiales accident, videtur esse illius vicis-  
titudo, atquè inæqualitas.

Quamvis autem vagari per Autumnū dicat mor-  
bos acutissimos, qui scilicet brevi finiantur, non  
tamè omnes, eo tempore evenientes, tales erunt,  
cùm & non raro pleriq; in longius tempus protra-  
hantur, ut ex *Aphor. 22. hujus* clarè deducitur. Quam-  
obrem adjectit fore etiam magnâ ex parte exi-  
tiales: quasi dicere voluerit, qui acutissimi accidunt,  
plerumquè in exitium terminantur; aut si exitiosi  
futuri sint, in longum tempus haudquaquam pro-  
trahentur; & si fortasse diutiùs ferantur, vacabunt  
exitio, ut in quartanis, vel in quartanas desinen-  
tibus febribus præsertim experimur. Verum crede-  
re quoquè licet paroxysmos dumtaxat ægritudinum  
in ejusmodi extremâ morborum acutie voluisse de-  
signare, exclusâ eorumdem remissione, seu declina-  
tione; quare cùm dixit acutissimos fieri morbos  
autumnales, idem fermè intelligere voluit, ac cito  
ad augmentum illos pervenire: sunt etenim mor-  
bi,

bi, qui tardè admodum omnia quatuor tempora percurrunt, quales chronici sunt: & alii, qui licet tardum exhibeāt principium, celerius tamē augmentum pertransiunt, quemadmodum videntur esse inflammations, & abscessus interni. Alii deniq; vix inchoant, ut statim ad augmentum, & statim deducātur, quemadmodum Ardentēs febres, & partium principallū ægritudines, Lethargi, Apoplexiæ, atq; de his videtur mētionem fecisse hoc loco Hippocrates, statuens morbos autumnales acutissimos, idest ejus fore conditionis, & naturæ, ut postquam inceperint, statim augmentum acquirant. Et quidē si exitialēs sunt, procūl dubio declinationē carent, cùm certū sit apud omnes, lethales morbos declinationem non pertingere, sed vel in augmento, vel in statu interimere ægrotantes.

At verò adjectum est *maxima ex parte*: nām non omnino, ac perpetuō mortem afferunt; quandoquidē in longius tempus perduicti, sicuti acutiē amittunt, ita & perniciem: quā ratione observamus ægrotantes Autumno, si mortem effugerint, longissimam pati declinationem, sed tandem convalescere.

Undē autē tanta acuties, & pernicies Autumnalibus morbis adveniat, hīc dubitare contingit. Major pars Medicorum incusat pravitatē humoris atrabilarii, eo tempore exundatis, qui cùm suapte naturā virulentus existimetur, morbos proindē lethales progignit. Alii ad immoderatum fructuum esum referunt, quibus ajunt pluriū congeri in humanis Corporibus excrementa, atq; sanguinem generari valdē obnoxium corruptioni. Sed Galenus in *comment.* plures causas commemorat: Inquit enim Autumno hoc in primis inesse, quod eādem die aliquandō calor, aliquandō frigus percipiatur. Deinde astivum subsequitur tempus, in quo multis quidērum humores assati sunt, quibusdam verò

Verò & vires sunt debilitatae. Neq; solùm bac ratione Autumnus malus est, sed etiā quia primū quidem bumores movebantur ad cūtem, atq; difflabantur; Autumno verò ab Aëris ambientis frigiditate truduntur, atq; ad interiora impelluntur.

Verūm qui Attrabilem insimulant, coguntur adhuc ejus humoris tunc geniti, ac prævalentis, causam reffere; quam enī ab Aestate bilem naturalem adutēte desumunt, non levioribus implicatur difficultatibus, quām ipsiusmet atrabilis generatio; utraq; autēm fictitia est, tucati coloris specie Nobis imponens, eiusdem omnino aspectus interius exitisse. Verumtamen quo pacto se res hæc habeat, explicabimus in Commentariis IV. libri.

Qui præterea ab esu fructuum causam deducunt, Naturam ipsam reūm omnium opificem primam, atq; supremam, infamare non verecundantur, quod fructus prociearit, quo tempore in perniciem hominum cōspirent, cūm tamēn cōpertum habeamus, ipso quoq; confirmante Galeno, opimari Rusticos, Agricolas, atq; custodes Vinearum ab assiduo uvarum, ficuum, similiūmq; fructuum esu. Summo quippè consilio, atq; divinā providentiā factum est, Arbores per Aestatem, & Autumnū fructus suos edere, ut humano forēt usui, in alimentū ventribus tunc debilibus valdē accōmodum. Atqui damna accidunt ex cibis solidioris substantiæ, & difficilioris digestionis, qui cum fructibus cōmiscentur, atq; intemperantē, & intempestivē ingeruntur; undē cruditates, putrefactiones, atq; ex his Vomitus, Lienteriæ, Choleræ, Diarrhœæ, Dysenteriæ, Febres, & alia mala exoriuntur.

Vicissitudo verò Aëris videtur quoquè Verno Tēpori convenire, cūm adhuc tūm contingat è frigido in calidum Aërem mutari, nequè minor mutatio

tio sit frigoris in calorem Vere , quām caloris in frigus Autumno .

Verum tamēn quiā Sol propriū semp̄ accedit nostro vertici , & dies efficit longiores noctibus , sensimque Aērem calefacit , quo congruentius vitæ fovendæ pro usu Respirationis utamur , proptereā sit , ut salubrior sit mutatio frigoris in calorem Vere , quām ea , quæ Autumno contingit caloris in frigus . Calore enim cuncta viventia evalescunt , & vigorātur ; frigore verò hebetantur , & languent . Aēr quo-  
V.Gal.  
3. de  
suend.  
vater.  
cap. 10  
 què , qui per æstatem tenuior , & laxior est effe-  
 ctus , confertioribus vaporibus adventante Autumno inficitur , imbribus , & frigore crassescit , ac densatur , undē perspirationes , inspirationesque non leviter interturbantur . Sed & Vere repurgantur in Nobis humores , & leni quadam , atquè insensibili fermentatione cuncta Viscerum fermenta impuritatum , superfluitatūmque secretionibus resflorescunt , & sanguis ipse floridior redditus , atquè vegetior , tūm vivificandis , tūm nutriendis partibus accommodatior evadit , & quemadmodūm Annum tūm veluti repuerascere observamus , ità Viventia quoquè omnia repubesccere , & novam videntur induere corporis habitudinem .

Non tamēn cunctis Terræ habitatoribus idipsum eodem tempore evenire fatendum est ; nām , ut antea est notatum , cùm Nobis Zonam temperatam Septemtrionalem habitantibus Ver accedit , Sole perlustrante signa Arietis , Tauri , & Geminorum , aliis vel Aestas fit , vel Hyems , vel etiā Tempestas alia Autumno non dissimilis . Nequè præterea indiscriminatim Ver omnibus saluberrimum fit , cùm in Aegypto mense Majo , vel ineunte Junio Epidemiam quādam ægritudine Incolas illos affici con-

tin-

tingat, quā, nonnisi *Gutta*, ut vocant, decidente paulò ante Nili inundationem, evadere datum est. Quæ namquæ Hippocrates protulit, non sunt adeò catholica, & immutabilia, ut alicubi saltēm non fallant, quippè is ea, quæ vidit, ac pluriès obser-vavit, summa quā decuit ingenuitate, literis man-davit, ac Posteris in usum Hominum consideranda tradidit, quæ aut Locorum varietate, atque Temporum differentiâ, non mirum si varient. Constat namquæ diversis omnino dogmatibus tractari Medicinam apud Aegyptios, Chinenses, Japponenses, Tartaros, Americanos, quæ monumen-tis Hippocratis parùm, vel nullimodè cohærent; cùm & his alii morbi, aliæque tempestates acci-dant, & alia quoq; alimentorum, ac medicamento-rum genera sine in usu. Nobis autem plerumquæ congruunt, quia in pluribus, imò fere in omnibus cum Græcis, & Asiaticis convenimus, & quæ his accidere Hippocrates expertus est, planè cæteris Europæis nullâ, vel modicâ varietate, in singulis Anni tempestatibus contingunt; At vero reliquis Terræ habitatoribus, sive Antæcis, sive Antipodi-bus, non item; sicuti nec aliis hinc procul dissitis, aut Soli, aut Ventorum, aut Ciborum, & potuum varietate, vel propter vitæ genus varium, differen-tiæque ab incunabulis consuetudinem.



APHO-



## APHORISMUS X.

*Autumnus Tabidis malus.*

**E**XITIOSUM ægrotantibus dixit Autumnum præcedenti Aphorismo Hippocrates, nunc specia-  
lius Tabidis nocuum pronunciae, ut sedùm  
acutos, sed etiā chronicos morbos complectatur,  
atquè in exēplum ducat. Indefinitè autem Tabidos  
nominat, haud distinguens, quā Marcoris specie  
affectiones velit; quocircā Galenus in Commentario ha-  
bet: utrūm verò illas solum nominet Tabidos, qui-  
bus Pulmo est exulceratus; vel omnes quomodocumq;  
extrema confessos macie, non possumus conjectari. Ve-  
rum tamē ratiōne, quā voce utitur Hippocrates,  
magis propriè significare videtur eos, qui ex affecto  
Pulmone maciem incurunt. Plura namquè Tabis ge-  
nera memorat idem Hippocrates 2. de Morbis, &  
lib. de Internis affectionibus. Senilis una est, in qua  
absquè ullo Pulmonis ulcere ejiciuntur purulenta, seu  
potius compacta, & phlegmatica excrements, simi-  
lia puri. Altera dicitur Dorsalis, in qua juxta dorsū,  
& spinam, sentiuntur ticillationes quædam, veluti de-  
currentes formicæ: de aliâ huic congenere eruditum  
libellum nuperrimè edidit Franciscus Glissonius de Ra.  
cbitide inscriptum. Tertia appellatur Pulmoniaca,  
quæ ex ulcere Pulmonis oritur, & primùm sanguinis,  
mox puris excretione ægros perimit. Aliæ  
quoquè aliis in locis referuntur ab affectionis, atquè  
obstructis visceribus; Unde Celsus lib. 3. cap 22.  
Hippocratis plerumquè dogmata sectatus, & Atro-  
phiam, & Cachexiam, præter Pathosim; atquè alii

Par. II.

F

Col-

V. ibi P.  
Salii.  
& Ron-  
fseu in  
Epist.

Colliquationem, & Marasmum, tūm torridum, tūm frigidum dictum, ad Tabem, veluti ad genus retulere.

Ex his autēm pessimā procūl dubio reputatur, quæ ulceratum Pulmonem sequitur, ac sputum purulentum, de quo idem Hippocrates in Coacis prænotionib. hæc protulit: *Quibus Tabidis sputum in igne gravem nidorem olet, & capilli de capite fluunt, pereunt, & quibus in aqua Maris in aeneo vase posita expuentibus, pus ad fundum sedet, brevi pereunt; & quibus Capilli defluunt, à profluvio alvi moriuntur.* Idipsum etiā animadvertisit 5. Aphor. 11., 12., & 14. Ex qua Celsus lib. 2. cap. 8. in Tabe, inquit, *sputum mistum, purulentum, febris assidua, quæ & cibi tempora eripit, & sibi affigit, in Corpore tenui, periculum subesse testatur.* Si quis etiā in eū morbo diutius traxit, ubi capilli fluunt, ubi urina quædam araneis similia supersidentia ostendit, atquè in sputis odor fædus est, maximeque ubi posthac orta dejectio est, protinus moritur, atquè si tempus Autumni est, quo ferè, qui cætera parte anni traxerunt, resolvuntur. Dicitur etiā 6. Epidem. sect. 7. *Tabescentibus Autumnus malus. Malum item Ver, cùm fici folia Cornicis pedibus similia fuerint: Quo nimirūm Tempore algorem spirat Favonius, & inæqualitatem in Vere parit.*

Nequè verò solūm his Tabescentibus nocuus est Autumnus, sed etiā emaciatis quibuscumquè. Plurimi namquè experti sumus à Diabete, ab ulceris Renum, ab obstructione inveteratâ, à doloribus Coxendicis, ab immodico hæmorrhoidum profluvio, similique ægritudine diurnâ extenuatos Autumno periisse, vel etiā mense Martio, cùm inæqualitatem refert, atq; vicissim modò calore, modò friiore, afflatu Ventorum vario, Aér inficitur.

Cūr

Èùr autèm Autumnus Tabidis malus fit? Galenus in Comm., quia siccus simùl, frigidus, & inæqualis est, inquit. At sibi ipsi, & Hippocrati contradicere videtur, ex 2. Aphor. 34., ubi dicitur: *in Morbis minùs periclitantur, quorum natura, aut etati, aut consuetudini, aut Anni tempori magis congruit morbus. Calida enim natura, subdit ibidem Galenus, & etati, & consuetudini, & tempori, & anni constitutioni, ac regioni, morbi calidiores sunt congruentes, frigidioribus vero frigidiores; eadem ratione, & siccioribus sicciores, & humidioribus humidiores.* Sed & ob urentem siccitatem, Tabidi periclitarentur quoquè Aestate; atq; ob siccitatem simùl, & algorem, magis Hyeme: At siccus Aér Pulmonis ulceri magnoperè prodesse consuevit ad saniem abstergendam, & ulcus consolidandum, ex eodem 5. meth. cap. 12., qui propterea Tabiarum Aérem Pulmonis exulcerationibus conferentem scribit.

Potius ergò Tabidis nocuus videtur Autumnus, quia Aérem suâ inæqualitate perturbans, atquè heterogeneis halitibus inficiens, in causâ est, ut sanguis per Pulmones trajectus, atquè cum eodem Aére commixtus, magis, magisq; indebitâ fermentatione exagitetur, & dissolvatur. Constat etenim sanguinem in Tabefactis fluidum, dilutumque nimis fieri, atquè muriaticâ quâdam acritate dissolutum, ineptum evadere partium nutricioni: cùm autèm ambientis Aéris inæqualitate is graviùs afficitur, atquè tot vicissitudinibus perturbatur, plànè nedùm Pulmonem ipsum, sed & reliqua alia viscera acriùs molestat, ad aquâ non minimum præconceptâ acritate, ac dissolutione. Atqui hæc longè graviora fiunt in Tabidis ex pure, & ulcere Pulmonis, cùm inquinatus, commotusque tam re-

pentè Aēr proximiūs partem ipsam affectam perva-dens, ulcus, pus, & circumcuntem sanguinem inficiat, undè majora procūl dubio mala expectanda sunt. Per idem quoquè tempus distillationes vagantur à compresso, gravatōque Aēre, perspiratio-nem inturbante, & quodammodo coarctantes glandulas, atquè aquosos liquores per illas excur-rentes; undè Catarri, Tusses, Gravedines: Sudor quippè per Aestatem uberrimus, omnino, vel magnā ex parte supprimitur in Autumno, undè hos, aliōsq; graviores morbos parere solet. Modò si hæc nocent sanis, quām acerbiūs Oberunt tabefactis? His planè perniciosissimæ sunt istiusmodi alternationes, atquè cuiusvis generis vicissitudines, veluti carni-bus, & sanguine consumptis.



### A P H O R I S M U S XI.

*De Temporibus: Si quidem Hyems sicca, & aquilonia fuerit; Ver autem pluviosum, & australe, necesse est, Aestate febres acutas fieri, & lippitudines, & intestinorum difficultates, præcipue vero Mulieribus, & Viris, qui natura sunt humidiores.*

**E**as in posterum prosequitur Hippocrates Mor-borum constitutiones, quæ mutationes Tem-porum consequuntur, certâ quâdam, constâ-tique serie sibi invicem succedentium, ut quemad-modum ex Anno, si uniuersus sit constitutionis, anteà scripsit consimiles futuras ægritudines, ita nunc ex illo per singulas tempestates vario, va-rias quoquè, differentesq; successuras prædemon-strat

stræ. Initium autem facit ab Hyeme, quam ( cum  
fincea, & Aquilonia est, cique Ver pluviosum, &  
Australe succedit ) parituram ait in Aestate ægri-  
tudines acutas. Hanc sententiam sic Celso vertere  
visum est lib. 2. cap. 1.: si Hyems sicca Septentriona-  
les ventos habuit, Ver autem Austris, & pluvias  
exhibet, ferè subeunt lippitudines, tormina, febres, ma-  
ximeque in mollioribus corporibus, prasipue in mulie-  
bris. At verò libet illam ex libra de Aëre, Aquis,  
& Locis, unde desumpta est, unâ cum ejusdem ra-  
tione hic transcribere, ut ex utriusq; loci contextu  
mentem Hippocratis assequamur. Si quidem Hyems  
sicca, ( ibi inquit ) & aquilonia fuerit, Ver autem  
pluviosum, & australē, necesse est, Aestate febres, &  
lippitudines fieri. Et nō addit: Cūm enim Aestas  
de repente accedat, dum Terra adhuc humida est à  
Vernis imbris, & Austris, necesse est astum dupli-  
catum esse, & à terra irrigua, ac calida, & à So-  
le urente, cūm ventres in Hominibus nondūm constricti  
sint, nequè Cerebrum resiccatum: non enim fieri po-  
test, cūm Ver tale existat, ut Corpus, & Caro, non  
humore fluida fiant, adeòut febres acutissimæ in om-  
nes irruant, maximè autem in pituitos. At Dysen-  
terias par est fieri, & mulieribus, & viris humidio-  
ribus. Et si circa Canis exortum accedat aqua, ac tem-  
pestas, & Etesiae spiraverint, spes est cessationis, &  
ut Autumnus salubris fias; sin minus, periculum est,  
nè & pueri, & mulieres moriantur, minime verà  
Senos; & nè qui superstites evadunt, in Quartanas  
desinant, & ex Quartanis in Hydroperes. Hec ille.

At verò quamvis sententia hæc uberioris ex libro  
de Aër., aq., & loc. explicata videatur, non ta-  
men omnino difficultatibus vacat. Et quidem pri-  
mo dubitare contingit, cur Hippocrates Hyemem,

voluerit considerandam in ægritudinibus eventuris in Aestate: si enim ægritudines acutas Aestate contingentes non aliundè deduxit, nisi ab humidâ Tellure ob imbres, & ventos austrios in Vero, procùl dubio satis erat notasse Vernum tempus pluviosum; & australe, nullâ mentione factâ Hyemis siccæ, & aquiloniæ. Verum, quia ex siccâ, & aquiloniâ constitutione hyemali Tellus aridior effeta Vernis imbris largius humescit, nequè solùm superficie-tenus, sed altius in hiatibus, & voraginibus pluvias excipit, propterea fit, ut per Aestatem vapes indè elevati Aërem inficiant, & coquincent, undè postmodum ægritudines acutæ.

Cùr præterea dixerit Hippocrates, necesse esse Aestate febres acutas fieri; fortè quia inevitabiles: quippè quod necessarium dicitur, inevitabile quoque est. Sed reverà non adeò futura certò est ejusmodi acutarum ægritudinum constitutio, ut penitus vitari non possit, cùm & insalubritas illa Aëris correctionem admittat. Nequè audiendus Galenus, id asserens pronunciatum ab Hippocrate, veluti ex naturâ rei persuaso, & non ex observatione: Näm nulla convincens ratio apparet, quæ cogat isthac omnino eventura. Sed & contrarium nupèr experti sumus, ab hybernâ tempestate siccâ, & succedente Vero pluvioso, nullas per Aestatem extitisse ægritudines acutas, sed, quas anteà retulimus, medio fere Autumno, et si hujus initium fuerit æstuosissimum. Nequè verò Hippocrates quod scripsit, ex confictis ejuscemodi ( ut Galenus ipse ) argumentis colligere unquam ausus est, sed potius ex iteratis, accuratisque observationibus, quas fortassè etiam aliis à Vetustioribus habitis comparavit. His ergò solùm fisis, omissis fallacibus argumentis, ex nef-

cessitate dixit sic morbiferam futuram Aëstatem, cùm Naturæ effectus plerumquæ conformes esse soleant, ubi eadem ad illos gignendos concurrant. Verum quemadmodum à Ventis Etesiis, & ab imbris circà Canis exortum supervenientibus, spes est cessationis, ut ipse subdit; ita poterit ejusmodi constitutio aliis quoquæ de causis, vel infringi, vel aboleri.

Insuper cùr dixerit à Terrâ irriguâ, & à Vernis imbris duplicatum æstum fieri, cùm potius imbres, & Terra humectata calorem, & æstum temperare debeant, ex doctrinâ Aristotelis, & Galeni, qui volunt humidum, aetione saltè indirectâ, igni, & calori obsistere. Galenus pro more confudit ad putredinem, *babiles enim*, is inquit, *sunt humiditates modum excedentes, ad putrescendum*. Sed nimis inaniter; indè enim inquinari potest Aér, non incalescere. Potius ergo à vaporibus in Aëre consertioribus æstus germinatur. Etenim cùm Aér crastior, & dēsior sit, radii Solis ad Terram trajecti, ex regulis Dioptricæ, magis intenduntur, & impensis Nos feriunt; quin & incidentes in madidam Tellurem resilunt, iterumque deducuntur in Aëra, undè tot, tantisque solaribus radiis, veluti spiculis, nedum Aér ipse exstuit, sed & Animantes cunctæ urenti ardore molestè admodum lacessitæ, graves, ardentisque subeunt ægritudines, ut adhuc in rabiem siccissimè agantur, in iis præsertim Regionibus, quæ suapte naturâ calidores esse solent. Hinc autem contingit, ut ex Aëre vaporibus consertiori æstum molestissimum patiamur, atquæ ab apparentibus per ipsum staminibus veluti in Araneorum telis futuros imbres conjicere soleamus, quos præsentientes quoquæ Anseres, & Anates impensis ob-

obstrepunt, & prætèr morem volitant; muscæ verò solito infensiōres fiunt, undē & ab his futurum imbreū Meteorologici præagiunt. Eādem ex causā loca quæcumquè fluminib⁹, aut stagnis circumvallata, aut propè palustres aquas extructa, Aestatem patiuntur æstuosissimam ab Aëris crassitudine, quæ non nisi à vaporib⁹ cum illo plurimū intermis̄tis exoritur.

Ampliūs, quā ratione subjunxerit febres acutissimas exoriri ab Austris, & imbribus, quibus carnes molles, & humores fluidi, & aquosi fiunt; Immò Corpora potissimum pituitosa, ac Mulieres, & Viros humidiores affici doceat. Febres siquidēm acutissimæ hīc præsigitæ potius picrocholos, & bilioflos, quām homines pituitosos corripiunt: pituitosū namquè succi diurnas, & spurias febres pariunt, ex Galeno 1. *Epidem.*, & 2. *de differ. febrium.* Verūm hæc difficultas sicuti Galeni doctrinam vulnērat, ità Hippocratis dogmatibus suffragatur. Hic emīm nèc ab humorib⁹ febrin⁹ periodos deduxit, nèc ab iisdein putrescentib⁹ febres pendere arbitrat⁹ est, sed solum à mot⁹ sanguinis perturbato, vel ab ejusdem recrementis vitiatis, atq; in acidum, salsum, amarum, aliāmve degeneratis, quemadmodūm expressè docet lib. de Veteri Medicina, ubi nō proptèr calidum simpliciter homines febricitare, neq; hoc esse febrium Causam, inquit, sed amarum, acidum, salsum, aliāq; innumera. A commotis autēm, turbatisque humorib⁹ febres, cæterāsque ægritudines acutas proficiisci pluriēs repetit lib. 4. *de morbis.* Nequè verò acutas febres hīc fieri dixit ab humorib⁹ pituitosis, ut putat Galenus, sed futuras febres, aliāsque ægritudines acutas ex Temporum inæqualitate, illāsque magis foeminas,

&

& humidiores viros afficere, desumptâ fortassis ratione, vel à majori horum Corporum impuritate, vel ob minorem ejusdemodi causâ alterantibus repugnantiam: sunt etenim in his carnes moliores, laxior cutis, & sanguis ipse hebetior, undè facilius alterationibus subjiciuntur.

Postremò, quare spirantibus Etesiis spem faciat cessationis malæ Tempestatis æstivæ, causa in promptu est, quoniām Etesiæ Venti sunt salutares, & spirare solent quotannis ab exortu Caniculæ, quem <sup>V. Plin.</sup> & alii præcedunt prodromi dicti, quasi præcursori <sup>I. 2. c.</sup> Intèr cætera autem commoda, illud videtur præc- <sup>47. &</sup> lib. 37. puum, quod serenitatē afferant, & Aërem ab inqui- <sup>cap. 5.</sup> namenti repurgent: participant enim boream, & <sup>& Aut.</sup> Gutt. nitrosam conditionem, valentem superfluitates hu- <sup>lib. 2.</sup> morum ab obesis, & muliebribus Corporibus ab- <sup>cap. 18.</sup> sumere, atquè emendare.

Cæterum speciatim narravit Hippocrates ex processu istiusmodi Tempestatis non solum febres acutas, sed & eventuras lippitudines, seu Oculorum Inflammationes, & Intestinorum difficultates, græce Dysenterias. Acutæ febres non tam ab humore, quam à loco, ubi is colligitur, & fermentescit, exoriuntur; quippe illæ non fiunt, nisi sanguis incitatiorem motum adigatur, ut seipsum exuat à copage alterius in arterias, & venas præter morem intrusi, aut etiā hærentis alicubi. Lippitudines verò non dissimiliter oriuntur à sanguine in adnatâ tunica restagnante ab impedito illius motu, qui per exiles ejusdem tunicae arterolas in venulas foret traducendus. Porro ab importunâ ejusdemodi Tempestate facilè crassescit sanguis, pori cutis obstruuntur, Cerebrum gravatur, hebetantur oculi, & universæ tunicae mollescunt; undè hæc, & alia ma-

la Caput Iædentia, facile est hominibus evenire , & anteà idem Hippocrates Aphorismo V. animadvertisit. Iisdem de causis contingit Dysenterias excitari ; si quidèm excrementa Corporis cå constitutione procùl dubio cumulatiora , & succi dissolventes tûm Ventriculi , tûm Intestinorum nimium diluti , benè poterunt omnis generis profluvia per alvum conciere . Quò sit , ut Hippocrates referat fœminas potissimum , & viros humidiores hisce alvi egelitionibus infestari , quippè qui cæteris excrementosiores , molliorésque , pluviosâ , & austrinâ constitutione magis offenduntur , præsertim in Ventris laxitate , veluti illum à natura naesti reliquis omnibus lubriciorem . Verumtamen his , aliisque ingruentibus ex hac tempestate ægritudinibus expediet obsistere recto , convenientique usu ciborum attenuantium , parco potu , exercitiis ad sudorem usquè promotis , & medicamentis cùm Caput , tûm Ventriculum roborantibus .



APHO-

## APHORISMUS XII.

Si verò Hyems Australis , & pluviosa , ( & serena ) fuerit ; Ver autem siccum , & aquilonium , mulieres , quibus partus in Ver incidit , ex quacumque occasione abortiunt : Quae verò pariunt , imbecilles , & morbos infantes pariunt , quare vel statim intereunt , vel tenues , & valetudinarii vivunt . Cateris verò Mortalibus difficultates Intestinorum , & lippitudines siccæ fūnt ; Senioribus autem distillationes , quæ citò intereunt .

**H**ic etiā Aphorismus est desumptus ex libro de Aëre , Aquis , & Locis , ubi fusiori sermone constitutionem hujusmodi describit , & ægritudines subinde futuras cum suis Causis enarrat . Sic autem exponitur à Cornario , & Cardano . Si verò Hyems Australis fiat , & pluviosa , & clemens ( Cardano ex Veteri versione tranquilla , clariū placida ) Ver autem boreale , & siccum , & tempestuosum , primū quidem mulieres , quæ uterum gestant , & partus ipsis ad Ver instat , abortum facturas esse verisimile est . Quæ verò etiā pepererint , impotentes , ac morbos pueros parere , itaūt aut statim pereant , aut tenues , & debiles , ac morbos vivant . Atquè hæc quidem mulieribus , reliquis verò Dysenterias , & lippitudines siccas , & aliquibus defluxiones à Capite in Pulmonem . Pituitosis igitur Dysenterias fieri verisimile est , & mulieribus , pituita de Cerebro defluente propter Naturæ humiditatem . Bilioſis verò lippitudines siccas , propter Carris caliditatem , ac siccitatem . Valde autem Senibus defluxiones propter raritatem , ac eliquationem

venarum, adeoūt aliqui quidē de repenlē pereant; ali-  
qui verō semisiderati, aut̄ dextra, aut̄ finistra parte-  
fiant. Cūm enim Hyems sit australis, & pluviosa, ac  
calida, & Corpus non adstringatur, nequē vena, Vere  
accedente boreali, & sicco, ac frigido, Cerebrum post-  
quām ipsum dissolvi, ac purgari contigit à gravedine,  
ac raucedine, tūc simūt cum Vere stabilitur, ac costrin-  
gitur; quare repente Aestate accedente, & ardore, ac  
mutatione contingente, bi morbi incident, & intestino-  
rum levitates, & aqua intercus, ferè reliquis morbis  
desinentibus, superveniunt, quūm non queant facile  
Ventriculi à concepta humiditate exiccati.

Quoniām ergò in libro de Aēre, Aquis, & Locis,  
undē hic Aphorismus transcriptus est, expressè re-  
fertur Hyems Australis, pluviosa, & clemens, seū  
placida, non videtur expungenda vox hæc <sup>vñdix</sup>,  
<sup>nard.</sup> licet minūs aptè à Leoniceno serena exponatur; un-  
<sup>1. ep. 2.</sup> dè factum est, ut pleriquè nedūm illam omiserint,  
<sup>ep. 1.</sup> & <sup>4. 9.</sup> sed acriter in eos Interpretes sint invecti, qui reti-  
<sup>Fuchs.</sup> nendam illam omnino voluerunt; quinimò Carda-  
<sup>b. l.</sup> nus ad confusionem omnium inquit, id pertinere;  
quamquām posteà putet, in libro de Aēre, aquis, &  
locis, utrumquè, tranquillum scilicet, & tempestuo-  
sum, veluti invicēm opposita, benē convenire; in  
hoc autē Aphorismo neutrū. Ut ut autē res agatur, nō  
tanti ea momenti est, ut vel mentem Hippocratis  
extorqueat, vel sententiam depravet, vel Causas  
morbosæ istius Tempestatis adulteret. Perindè enim  
est si dictio hæc adjiciatur, aut̄ expungatur, & si  
clemens, tranquilla, placida, vel ut aliis placet,  
repida, aut̄ etiā serena exponatur, modò id reti-  
neamus, voluisse Hippocratem Hyemem ità constitu-  
tam, ut à rigidâ, & consuetâ suâ conditione non mini-  
mū deflectat: Evidēm Hyems, ob extremum Solis re-  
cef-

cessū à nostro Verte frigorifica solet esse; ut verò, ut morbi feram constitutionem hanc afferat, Australis simili, & pluviosa, atquè à consueto rigore declinans, hic ab Hippocrate expostulatur, quō nimis rūm fiat, ut vices permute cum succedente Vere, quod eādem de causā oportere siccum, & aquilonium esse is animadvertisit. Cæterū posse Hyemem placidam simili, & Austrinam haberi, fatetur idem Auctor *z. epidem. sect. 3.*, cùm inquit: *in Perinthum circā Solstitium fere aestivum venimus; facta autem est Hyems clementi Cælo austrina*, &c. Atqui passim in his nostris Regionibus ad Mare Mediterraneum positis experimur Hyemes tam placidas, clementes, & Austrinas simili, ut Vernum tempus referant. Placida autem, & clemens Hyems dicitur, cùm algida non est; Austrina verò, quæ australibus plerumquè ventis, haudquaquam tamē impetuosis, & per sublimiora discurrentibus persflatur. Sed & Pluviosa quoquè erit, si per intervalla imbres admittat exiguos, & fugaces. Aliter etiam Austrinā, & tranquillam Hyemem student alii compositam explicare, documento Galeni *lib. 3. epidem. sect. 3. comm. 1.*, Annum tranquillum, & austrinum, ab Hippocrate ibidem memoratum exponentis, quem vide sis; Nobis autem sufficerit hæc breviter adnotasse.

Talem igitur exigere videtur Hyemem Hippocrates, quæ Cutis poros potius laxet, caput vaporibus repleat, & sanguinem dilutiorem, atquè aquositatibus imbutum reddat, universumque Corpus molle, languidum, & succiprium efficiat, ut proinde, adventante Vere, frigorifico, & aquilonio, ob compressas, densatasq; partes, detentis humoribus, & halitibus, foetus in Utero gerentibus, & Viscera interiora in cæteris Hominibus graviter inficiantur.

Ne-

Nequē enim à solā Hyeme Austrinā , sed à succēdente Vere aquilonio, prædictit Hippocrates futuros abores in gravidis , aliásque ægritudines in Viris , cùm scilicet perspiratio interturbatur , & sanguis nequit convenienter repurgari .

At verò nēc ista tempestatum indebita vicissitudo satis est , ut abortum provocet , sed tantum disponit , ut is , quacumquè aliā de causā vel internā , vel externā accedente , subsequatur ; quamobrē tunc abortient Utero gerentes , cùm animi motionibus perturbatæ , aut immodicis exercitationibus commotæ , ait laxiori uictu , potuque usæ , cumulatas , ex præcedenti Temporum vicissitudine , detentasque humorum superfluitates , veluti consopitas excitent , & exagitent ; undē Uterus , ejusque vasa laxentur , atquè lubriciores viæ redditæ deponant , quod interius est reconditum . Hinc in Aphorismo adjectum est , ex quacumquè occasione gravidas abortire , veluti quæ commoveat , agitentque excrements , per Hyemem austrinam congesta , atquè ab aquilonio Vere detenta , ut hæc commota , & agitata delazent vasa Uteri , & abortum afferant . Contingit autem fœtum potissimum ab his labefactari , quiā , tenerior cùm sit , facile quascumquè alterationes suscipit , & succumbit .

Quod si Causæ istæ externæ desint , nullamque præbeant Utero gerentes ejuscemodi perturbationis occasionem , adeoq; ad legitimum pariendi tempus perveniant , fore adhuc subdit Hippocrates , ut ipsæ partus edant imbecilles , & valetudinarios ; quippe humores illi antea cumulati , per partum fieri nequit , quin commoveantur , & commoti tenellum fœtum non inficiant , & perturbent . Sed & verendum valdè , nē per tempora partum præcedentia , ad

Ute-

Uterum cum foetus alimento delati , teneras ejus partes etiām foedaverint , & coinquarint unā sanguinem ; undē postmodūm languor , & mala valētudo , vel etiām interitus statim à partu , cùm præsertim Aéri , per aquiloniam tempestatem algido , subjiciuntur .

Hæc speciatim de gravidis , atquè enixis adnotat ; Cæteris verò hominibus difficultates Intestinorum , & siccas lippitudines accidere subdit . Vocantur autem siccæ lippitudines , ut explicat in Comm. Galenus , quæ sunt sinè fluxu , nám cum oculis illachrymantibus humidæ dicuntur . At verò lippitudines potius graciles , & picrocholos corripiunt ; obesos verò , & humidos , intestinorum difficultates : quod & idem Hippocrates exposuit c. lib. de Aér. , aq. , & loc. , inquiens : *Pituitosis igitur difficultates intestinorum fieri , verisimile est , & mulieribus , pituita de Cerebro defluente , propter naturam humidiores , biliosiss autem lippitudines siccas propter Carnis caliditatem , ac siccitatem .*

Deniquè Senioribus accidere ait distillationes , quæ citò interiment . Has autem non simplices esse , quales ad os , & nares , feruntur , manifestè deducitur ex eo , quod hic in textu subjicitur , citò interimere ; & clarius explicatur c. lib. de Aér. , Aq. , & loc. , ubi propter raritatem , & eliquationem venarum ejusmodi defluxiones in Senibus fieri dicuntur , quibus aliqui repente pereant , & alii semiserderati dextra , aut sinistra parte fiant . Modò etsi defluxiones , distillationesque in Senibus difficultè concoquantur , non tamèn repente interimere solent , aut siderationem afferre . Quare putandum , ex aquiloniâ tempestate Cerebrum , per Hyemem Austrinam humoribus aquosis , & crassis repletum , quo-

quodammodo comprimi, ejusq; ductus, atque emissaria impediri, quo minus valeat seipsum ab hisce superfluitatibus repurgare, quæ propterè ex vito per moram, & per frigidum aërem contracto, si principium nervorum, & nervos ipsos occupent, Apoplexiā, vel Hemiplexiam affrent; si verò venas, aut Vasa lymphatica subeant, levitates Intestinorum, & Hydropses, similésque alios morbos patient; ut ipsemet prosequitur *cit. lib. de Aere, Aq., & Loc.*; quin & si in pulmones decumbant, & Cordis vascula pervadant, citò etiā interitem. Hæc autem facilius videntur Senioribus evenire, quippè qui distillationibus obnoxii sunt, & Capite, ac pectore prælanguidi, ambarum partium ægritudinibus sēpenumerò laborare solent.

Quaniā verò hæc mala Senioribus accidere inquit, verisimile admodum est prænotata Juniores arripere; quamobrè rationi consentaneum videtur, non solum pro ætatum diversitate, sed etiā pro cūjusq; variâ constitutione, & Corporis habitudine, vitâque anteactâ, diversimodè cùm viros, tūm fœminas, tūm Juvenes, tūm Senes, tūm pingues, tūm imacilentes, ab ejusmodi Tempestate laboratores, iis verò præsertim in partibus, quæ affectæ, debilésque fuerint.

Nūm autem ægritudines hīc ab Hippocrate recensitæ, ipso quidem Vere, an verò succedentes Aestate futuræ sint, non convenit intè Expositores. Verūm cùm in Aphorismo dicatur: *quibus partus in Ver incidit;* Et in lib. de Aér., aq., & locis scriptū sit: *Primum quidem mulieres, quibus partus ad Ver instat:* planè fateri oportet; abortus, & funestos exitus infantum, ipso verno tempore eventuros: si enī supervixerint, interitus periculum evasi, atque usū

usu lactis perpurgati conceptam in Utero malitiam facrum ut deponant, & salubriorem induant constitutionem; Multum enim ad id valet, nec non ad permutandas naturas, ac mores ipsos, proba lactis conditio, ut alias ostendimus. Celsus etiam lib. 2. cap. 1. hanc Hippocratis sententiam interpretatus sic habet: si Austri, pluvieque Hyemem occuparunt; Ver autem frigidum, & siccum est: gravida quidem foeminae, quibus tum adeat partus, abortu periclitantur; ha vero que gignunt, imbecillos, vixque vitales edunt. Quibus planè ostendit, foeminas ipso Vere parientes periclitari. Cæteræ vero ægritudines, aliis contingentes, pro Corporum, & habituum varietate, poterunt in sequentem etiam Aestatem protendi, & populariter grassari; Sed enim tunc potissimum morbi indè provenientes observabuntur, cum superfluitates humorum detentæ viscera opprimunt, & insciunt; istæ vero non nisi ex aquilonio Vere detinentur, adeoque tunc ægritudines parient, citius tamèn, vel serius, pro Corporum varietate, & humorum superabundantium dispositione. Si autem ad Aestatem usque protraherentur, facile possent æstivo calore attenuari, dissolvi, atquè etiam per sudorem educi.

Quid postremò agendum sit, ut, quoad fieri possit, ejusmodi calamitatibus occurritur, brevitè referamus. Et quidem si ab inquinamentis, & aquositatibus derentis, hæc mala imminent, ratio dictare videtur, illis potissimum repurgandis incumbendum, indictâ quoquè diætâ, quæ valeat sanguinem puriorem progignere, Capite una simùl, & Ventre roboratis. Quamobrem cibi vitentur humectantes, atquè obstruentes, potus rerum gelidarum, somnus immoderatus, ipsèque Aér aquilonius, & frigorificus,

cus, & quæcumquæ possunt sanguinem obtundere, & perspirationem impedire. Venter in Utero gerentibus præsertim assiduò foveatur aromatibus, ac sæpè etiā tūm is, tūm lumbi spiritu vini purissimo, tinctura Kermes; nēcnon Emplastro Comitissæ dicto, de crusta panis Montagnæ, aliisque roborētur, cavendo ab his, quæ vel bene, vel male olent, itēmq; trepidatione, saltu, ac vehementibus animi pathematis. Succum Astaci contusi, & expressi cum Vino semel, aut bis, singulis mensibus exhibitum ab abortu præcavere scribit Hartmannus. E' Vitriolo romano ad Solem in calcis formam redacto, atquè pelle Arierinâ acu pertusâ incluso, instar Zonæ, lumbis gestato, præcautas ab abortu plerasquæ prægnantes vidi, quibus levi quacumquæ ex causa is aliâs accidisset. Idipsum haberi à Magnete adnotat Helmontius de *Magnes. vuln. curat.*

Infantes jàm editi, si debiles videantur, præter fortus externos, vegeto lacte ex sanis nutricibus alantur, & oleo macis perungantur, stomacho, & spinâ, atquè interea detineantur in locis calidis, ut Aëris inclem tam evitent.

Cæterum in aliis proderunt, quæ cumulatos humores educunt, sudores movent, & Ventriculum, ac Cerebrum roborant, servatâ interea convenientiâ diætâ, pro Corporum affectorum diversitate.



APHO-



### APHORISMUS XIII.

*Si verò Aestas siccā fuerit, & Aquilonia; Autumnus  
verò pluviosus, & Australis; dolores capitis vehe-  
mentes ad Hyemem fiunt, & Tusses, Raucedines >  
atquè Gravedines, quibusdam autem & Tabes.*

v. lib.  
de Aë-  
re, aq.  
& loc.

**A** Constitutionibus Tempestatis hyemalis, & vernalē, æqualitatem non servantium, transit Hippocrates ad alias duas Aestivam, & Autumnalem examinandas, cùm suas quoquè patiuntur alterationes. Primum itaqùe considerat ea, quæ contingunt ex Aestate siccā, & aquiloniā, superveniente Autumno pluvioso, & Australi. Cùm autem inquirit Constitutiones Aestatis, & Autumni, nullam rationem habet Veris, & Hyemis, forte quia existimat eas suas habitudines servasse, adeoque præcedentes memoratas vicissitudines haudquam subiisse, nè scilicet quis eā ratione putaret ex Aestate siccā, & aquilonia, atquè Autumno pluvioso, & australi, unā cùm inæqualitatibus reliquum duarum tempestatum, futuras esse ægritudines, quas hic in Hyeme succedente recenset. Quare si cuti bina ibi, sic & hic duo solum inter se comparat Anni tempora vicissim permutata.

Inquit itaqùe: *si Aestas siccā fuerit*, id est plusquam naturalis illius conditio esse consuevit, atquè adeo, vel ob imbrum inopiam, quibus non raro humescere solet, vel ob ventos boreales per idem tempus spirantes, omnemque Aëris humorem absumentes, vel denique, si Etesiæ, Venti anniversarii, Aëris æstum quotannis temperantes, fortassis per Ae-

**R**ateim non spirent, ita sanè dies Caniculares, procul dubio fervidiores observabuntur, ut & Tellus ipsa, præ nimia ariditate, plures in hiatus diducatur. His quoquè de causis siccum Aërem appellamus, cùm vaporum est expers, & pluviis caret; ac ventis vapores, & nubes dissipantibus percellitur. Hinc idem Hippocrates adjecit, *si siccæ fuerit, & aquilonarij: sicca planè, à perstantibus Ventis aquilonaribus.* In hanc eamdem sententiam concessit Celsus lib. 2. cap. 1., qui sic Aphorismum latinè vertit: *si siccæ Aestas aquilones habuit, Autumno verò imbræ, Austris sunt, tota Hyeme, quæ proxima est, tuffis, destillatio, raucitas; in quibusdam etiā tabes oriuntur.*

Siccam, & Aquiloniam Aestatem si Autumnus excepit pluviosus, & Australis, ad Hyemem, inquit, dolores capitis vehementes fieri: Non enim satis est Autumnum fore pluviosum, sed Australem particèr esse oportet; quandoquidem solent pluviae per Autumnum ingentes fieri, præsertim sub ortu Arcturi, & Plejadum occasu, quæ tamè absquè Ventis austrinis, sed plerumquæ cum occidis contingunt; ut proptereà peculiarem habendam voluerit ratione ventorum Australium, qui majora, quam imbræ, damna nobis incutiunt: hi enim særissimè simplices, ac tempestivi, non levc emolumentum cunctis animantibus afferunt, ipsomet Autumno, vel ineunte, vel vigente, si præcipue ferantur à Ventis salubribus: At verò cum Ventis Australibus, omnino nocent; quippè Austri infestissimi sunt, ex superius araditis. Quamobrèm non immerito conjunxit Hippocrates pluviosam simùl, & Australem Autumni tempestatem, quâ scilicet Caput gravetur, & destillationes promoteantur, cum pulmonis laxione.

Do-

Dolores Capitis, qui exinde portenduntur, dicuntur esse vehementes, quoniā ex imbribus, & Austris Autumnalibus Caput multis humoribus, a queisq; succis repleri contingit, qui per meninges, cæterāq; partes nervis contextas diffusi dolores pariunt.

At quī fieri potest, ut ab humentibus succis, & ab aquositatibus dolor excitetur, isque vehemens, ut hic advertit Hippocrates? cūm tamen ex doctrinā Galenicorum humida intemperies dolorifica esse nequeat, veluti quæ potius hebetet, & obtundat, atquè sola corpulentia gravet, quā moleustum sensum interat, qui est illis Dolor.

Verū si molesta in sensu Tactus perceptio dolor est, quæcumquè vim habent poros Corporis scindere, dilatare, contrahere, aut aliter à consueto situ distorquere, poterunt quoquè dolorem inferre, & eò vehementiorem, quo violentius afficient. Modò humores cuiusvis generis id præstabunt, si malitiā pungant, scindant, erodant; si multitudine compri- mant, distendant, ac dirumpant; si motu affatim irruant, vel interciso cursu alicubi hæreant. Porrò aquosi humores per pluviosam, & Austrinam tempestatem in Capite collecti, ob salsilaginem, àrē acritatem subinde contractam, & multitudine, quā sunt cumulati, & violentiā, quā sunt intrusi, velli- cando, distendendo, oppiendo, & tumefaciendo, dolores vehementissimos incutient. Sed et si nullum suapte naturā dolorem excitarent, saltē perspiratio- nem, & circumfluū sanguinem, si solā corpulen- tia impedian, & retardent, nocui, & molesti partibus erunt, adeoque doloris Causam dantes dolorifici evadent. Sed enim Vasa lymphatica, quæ mul- ta per Caput circumquaquè feruntur, & Cerebri corticem, ac Meninges perreptant, plurimum aquo- sis

sis ejusmodi superfluitatibus , per Austrinam tempestatem à sanguine refluis , oppleri obseruantur ; itemque glandulæ Corporis universæ iisdem imbibi , quæ deinde à superveniente frigore hyemali compressæ hæc eadem , & graviora mala progingent , corruptiones , Tabes , Hydrops , tumores . Hinc autem contingit desinere non raro vehementes , ac diuturnos ejusmodi Capitis dolores spontinâ è naribus hæmorrhagiâ , vel sanie ex auribus prodeunte , aut acriori ex iisdem naribus destillante , vel per poros Cutis , aut in vias urinarias prolabente , post acutas febres de genere earum , quas Galenus vocavit ardentes spuriæ .

Eadem ratione , & Tusses per Hyemem aderunt , & Raucitates , & Gravedines , prout aquosi humores vel pectus , vel guttur , vel nasum occupaverint . Siquidem Cerebrum , magnæ glandulæ ab Hippocrate comparatum , cum aquositatibus repletum hyperno deinde frigore constipatur , & quodammodo costringitur , si protrudat in Nares , Coryzam , si in Guttur , & Asperam Arteriam , Raucitatem , si in Pectus , & Pulmonem , Tussim ingenerabit , aliasque etiam ægritudines , pro vario in alias partes vitiosorum humorum illapsu . Has autem solummodo Hippocrates memoravit , veluti eas , quæ partes Cerebro proximiores affectas denotant , promptiusque cum eodem laborante compatientes , & per glandulas attiguas , excurrentes , vel stagnantes humores solitas excipere .

Denique in fine Aphorismi additur : Quibusdam autem & Tabes . Verum de qua Tabo intelligat , potest etiam hic dubitari . Et quamvis de quacumque extenuatione exponi possit ; attamen cohæredit in agis Hippocratis menti , si ea speciatum explane-

tur ,

tur, quę Pulmoniaca appellatur: siquidem in textu græco scribitur *phtisēs*, quę propriè Pulmonis affectio est, & verisimilius induci videtur ex pluviosa, & Austrina Autumni tempestate, quā nedum Caput, sed etiā Pulmonem superfluitatibus aqueis repleri contingit, ac postmodū illarum repurgationem impediti à superveniente Hyeme Pectori potissimum, & Pulmoni inimica. Quamquam autem humores isti in pulmonibus harentes s̄pēnumerò acritudinem, acorem, vel falsedinem contrahant, etiā ex vitiato partis alimento, & ex consimili conditione, quam sortiri solent detenti halitus, ac vapores ē toto Corpore expirantes, itēmque sudores, & urinæ; nihil tamē minūs consueverunt adhuc omni malitia exuti solā corpulentiam, si diutiū restringant, non leviter Pulmonem inficere, & Tabem, ac Phthisim inferre. Unde Hippocrates 7. Aphor. 38. *Destillationes*, inquit, in *Ventrem superiorem*, ( idest in Thoracem ), *suppurantur intrā viginti dies*. Ubi cū usus sit græca voce *Catarrbi*, profecto ab humoribus vulgo pituitosis dictis, s̄eu lymphaticis, illas pendere existimandum.

Qui autem isti sint, quos Tabes ex hac Constitutione sit vexatura, Hippocrates tacuit. Profecto non omnes eo morbi genere affectum iri liquet, ex dictione, *Quibusdam*, quā aliquos dumtaxat Tabes laboraturos indicatur. Galenus in *Comment. interpretatur*, qui ad hunc morbum apri natura sunt, utpotē qui angusto sunt pectora, & quibus à Capite ad Pulmonem fluxio defertur. Sed clarius ex eodem Hippocrate 1., & 3. *Epidem.* videntur esse, quibus scapulæ instar alarum sunt exorrectæ, pectus angustum, collum oblongum, caput magnum, ut illi gracilibus, qui sanguinem naturā nacti sunt acriorem,

rem, tenuiorēmque, modico glutine, & multo sero scatentē; undē cūm à præcedenti tempestate pluviosā, & australi, Pulmones, & Cerebrum abundantiori sero perfundantur, facile in Tabem incident, labe nimirūm per sanguinem illatā. Harum imminentium ægritudinum præcautiones ex anteā traditis facilē innoescēt, prætèr ea, quæ inferiūs affēmus.



#### APHORISMUS XIV.

*Si verò Aquilonius, & siccus, iis, qui naturam habent humidiorem, & mulieribus conferet; reliquis autem erunt lippitudines siccæ, & febres acutæ, & diurnæ; nonnullis verò morbi melancholici,*

**A** Phorismus hic præcedenti adnectendus est, ut ex utroquè unica sententia colligatur, veluti serie quadam continuatâ plures in unum locum transtulit Celsus c. lib. 2. cap. 1., qui postquam ægritudines ex Aestate aquilonari, & Autumno austriño ex eodem Hippocrate commemoraverit, statim subjunxit: *sin autem Autumnus quoquæ æquæ siccus iisdem aquilonibus perflatur, omnibus quidem mollioribus corporibus, inter quæ muliebria esse proposui, secunda valetudo contingit; durioribus verò instare possunt aridae lippitudines; & febres partim acutæ, partim longæ, & hi morbi, qui ex atrabile nascuntur; quin & Hippocrates ipse cit. lib. de Aëre, aquis, & locis, uti præcedentis appendicem hanc eamdem sententiam his verbis describit: Quid si Borealis sit Autumnus, & siccus, & nequæ sub Arcturo pluviosus,*

con-

confert pituitosis natura, & maximè his, qui humidis sunt, & mulieribus; biliosis autem infestissima est hac constitutio: valde enim exiccatur, acciduntq; eis lippitidines aridae, & febres acutae, ac diurnae, & aliquibus bilis atra; si quidem quod liquidissimum, & aquosissimum in bile est, consumitur; densissimum vero, & acerrimum remanet: quod idem accidit, secundum eamdem rationem, sanguini, unde hi morbi his accidunt. Unde sic affectum Autumnum succedere Aestati pari modo siccæ, & aquilonari anteâ descriptæ, manifestissimè demonstrat, ut ex contextu ejusdem loci liquidò patet. Ejusdem quoquè sententia est Galenus, qui in *commentario hujus Aphorismi*, Apparet, inquit, sermonem nunc habitum non esse integrum *Aphorismum*, sed partem secundam unius *Aphorismi*, cuius priorem partem nuper, seu paulò ante desitimus explanare. Conferendus his item est Aristoteles, qui lib. I. problem. II. Causam secundæ valetudinis in mulieribus, & pituitosis, ex siccâ, & aquilonari Aestatis, & Autumni constitutione inquirit. Et mòx probl. XII., cur biliosi exinde infestentur; examinat, continuatâ omnino oratione, sub eâdem Aestatis, & Autumni siccâ, & aquiloniâ tempestate.

Confert autem siccâ hæc, & aquilonaris constitutio Corporibus humidioribus, abs sumptis nimirum, vel compressis, deductisque ad vias urinæ aquosis superfluitatibus, quibus illa, ut & muliebria, superabundant; Cæteris vero, idest biliosis, ut idem Hippocrates explicat, sive, ut mavult Celsus, durioribus corporibus infestissima est hæc siccâ Temporis constitutio, quæ illa magis extenuat, exiccat, & obdurat; quinimò aridis lippitudinibus, & febribus acutis, ac diurnis afficit: acutis quidem, quibus sanguis, & bilis ipsa tenuior, acriorque fit; diutur-

nis verò, quibus acidior, & consistentior, pro aliarū rerum nonnaturalium usu vario, ab ejusmodi Corporibus anteā servato; undè adjectum est in Aphorismo, *nonnullis etiā Morbi melancholici*: Cujus rationem idem Hippocrates c. lib. de Aëre, aq., & loc. afferens, inquit: *quod liquidissimum, & aquosissimum in bile est, consumitur, densissimum verò, & acerrimum remanet; quod idem accidit secundūm eamdem rationem & sanguini; undè hi morbi his accidunt.* Quemadmodūm autēm picrocholis, & gracilibus antea dixerat acutas febres, & lippitudines siccas evenire; ita nūnc durioris texturæ Corporibus, & sanguinem naētis consistentiorem, Morbos melancholicos, putā scirrhos, affectiones hypochondriacas, deliria melancholica, idque genus alia accidere portendit.

Hæc quippè longè notiora sunt, quām ut fusori egeant explanatione. Verūm quod de longis Gravedinibus à quibusdam memoratur, penitus non consonat: nām quæ unquām ratio afferri poterit, quæ suadeat longas Gravelines ex Aestate, & Autumno siccis, atquè aquilonaribus, futuras? cùm per ejusmodi exarefacientem tempestatem, si quæ in Corporibus humidæ superfluitates collectæ erant, satis, supérque extenuari, consumi, & egeri possint. Quocircā nēc illarum, nēc alterius humidæ ægritudinis, nē verbū quidēm fecit Hippocrates, in lib. de Aëre, aquis, & locis c.: Sed & nequè diligentissimus sententiarum ejus Compilator Celsus, qui sic locum hunc, ut anteā dictum, est rectissimè interpretatus: *durioribus verò instare possunt & arida lippitudines, & febres partim acutæ, partim longæ, & hi morbi, qui ex atrabile nascuntur.* Quamobrem jure optimo Fuchsius existimat librarium,

er-

*errore quodam, Kévzau scripsisse, pro πολιχάριοι, quòd ab una in aliam diktionem facilis sit lapsus. Nequè verò his contentus Cardanus, hanc errandi Causam Galeno adscribere non veretur, cùm inquit: Galenus suo more, legit in utroq; textu Gravedines, sēu Kópuzai, & utrinusque omittit expositionem: Gravitis, & accuratus certè Expositor, dignusque pro quo quidam tantum digradientur. Et paulò antè scripsérat: legi debet. Et diurnae: non Gravedines. Libera enim graca corrupta erat ex Πυρετοι ὥστε χειρικαὶ pro Kópuzai*

At verò cùr eam hic omiserit Hippocrates constitutionem, quam eodem libro de Aëre, aquis, & locis intèr jām relatas descripsérat, ex Aestate nimirū pluviosâ, & austrinâ, similq; Autumno, indeqne futuram Hyemem morbidam, pituitōsis quidēm per febres ardentes spurias dictas, biliōsis verò per costarum, & pulmonis inflammations, non est facile divinare: sicut pariter cùr alias temporū coniugationes deseruerit, quas Galenus comminiscitur, atquè artificiali schemate effingit Cardanus, pluribus identidēm in eumdem Galenum invectus, de Regionibus temperatis, & de ordine temporum ex ortibus, & occasibus stellarum. Verūm credere licet voluisse has solum veluti in cæterarum exemplum Hippocratem afferre, ut indē discerent Medici, quâ de causâ ipsem̄ scripsérat initio hujus Libri Temporum mutationes morbos parere. At quid est, quod nobis mortalibus non officiat? Currant, procedantque Anni, Annique tempestates, cā serie, cā salubritate, quam sibi singit Heurnius, forte Homines non ægrotabunt, non obibunt? Aër ipse, quem assiduo in ipsiusmet vitæ tuitiōnem inspiramus, nobis nocumento est: Cibo, quo vesci-

V. Gal.  
I. epi-  
dē.con-  
fit. I.  
comm.  
I. & 3.  
epid. et  
fit. 3.

Not.  
per 1  
aphor.  
V. etiam  
Hipp. de  
Aer. & I.  
& loc.

mur, gravamur: Aqua siti sedandæ peraccommoda; si frigidior debilitat, si abundantior opprimit, si importuna relaxat: Vino reficimur, exacuimur, amissumq; relunimus vigorem; Sed & dolemus, inebriamur, stupescimus: Somnus, qui fessa membra levat, otium parturit, hebetat Cerebrum; & Vigilia, quæ spiritus, & sanguinem acvit, infirmat. Sed & quo tempore re quapiam delectumur, fastidimur; & gaudium ipsum, tam nobis optabile, & jacundum, sepius simè exanimat; nec ulla res est, quæ proficit, quin ex adverso statim, & ultrò, non oblit. Quamobrem ruimus adhuc in ægritudines, & in Mortem, et si Anni tempestates prosperè, salubritérque procedant: *Quotidiè enim morimur, inquit Seneca, quotidiè demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoquè cum crescimus, vita decrescit, & hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte dividimus.* Et alter Tragicus

V. Sen.  
epist. 24

*Ubique mors est, optimè hoc cavit Deus:  
Eripere Vitam nemo non homini potest;  
At nemo Mortem: mille ad hanc aditus patet.*



### A PHORISMUS XV.

*Ex Anni autem Constitutionibus (in universum) siccitates imbribus sunt salubiores, & minùsmortiferae.*

**C**UM superioribus Aphorismis diversas Temporum Constitutiones retulisset, easque tūm siccias, & aquilonias, tūm pluviosas, & australes; ex quibus ægritudines varias imminenter dixit; nūnc omnes simul unico, sed generaliori Aphorismo, intèr se comparans decernit, siccitates semper

pèr imbribus esse salubiores, minùsque mortiferas. Et generatim inquit, (modò si cætera ex æquo procedant) sicce constitutiones pluviosis sunt salubries. Aér enim suæ naturæ talis est conditio-nis, qualem Animalium vita videtur exigere; quocircà si ex imbribus humidior evadat, sicuti ad complura Vitæ munia, præsertim ad sanguinis floriditatem, & Pulmonis perpurgatio-nem erit ineptus, ità morbis inducendis materiam suppeditabit: atqui sæpiissimè quoquè ex humescen-te sanguine, & aquosis superfluitatibus ægrotamus, quæ nèc regi, nèc exactè confici queunt, cùm sanguinè hebetent, viscera infarciant, & inquinent, & non raro in quasdam partes vitæ magis necessarias delatae morbos afferant immedicabiles. Sed præterea Aér im-bribus, & ventis australibus immodecè humefactus, & crassior effectus, non modò obest, dùm inspiratur, sed etiā contactu suo impedit, quo mi-nùs insensibilis perspiratio rectè procedat, ut anteà quoquè monuimus. Contrà verò ejuscemodi hu-more vacuus, & insensibilem perspirationem adju-vat, & melius internas superfluitates è sanguine absorbens per Pulmones expiratione repurgat; unde experimur nedùm siccas Temporum constitutio-nes, sed etiā Regiones, in quibus Aér tenuior, & siccior est, salubries omnino esse iis, quæ humiliorem, & crassiorem illum sunt sortitæ.

At plura aduersùs hanc Hippocratis sententiam pugnare videntur. Primò, quia Vita ex Aristotele dicitur, *Mansio Caloris in humido*; quamobrem vi-detur salubrior statuenda humida Anni constitutio, veluti Vitæ congener, neutiquam siccá illi contra-ria. Hinc Senes idcirco ad interitum festinare dicuntur, quia per ætates, sicciores sempè fiunt.

Dein-

Deinde, quoniā ex Hippocrate i. *Aphor.* 16. Vi-  
ctus humidus commendatur Pueris: Pueri autē  
humidi sunt, utque in cādem humidā naturā con-  
serventur, humidus vixit illis præscribitur. Præter  
eā, hoc eodem 3. *Aphor.* 9. dicitur, in Autumno  
exitiales morbos fieri; Ver autē saluberrimum  
esse, & minimē exitiosum: atqui Ver humidum est,  
Autumnus verò siccus, ut propterea Tabidis noxius  
dicatur. Insupēr. Pueritia omniū ætatum optima cen-  
setur, quiā humida; Senectus autē pessima, quiā  
sicca. Tandēm, propria Aéris qualitas, & Natura,  
humida ponitur; igitur humida, & non sicca con-  
stitutio, veluti salubrior anteferenda est, cùm per  
illam Aér in suo naturali statu servetur.

Verūm hæc facillimē dilinuntur iisdem planè Cri-  
teriis Aristoteleis, Galenicisque. Et quidē Vitam  
egere humido dicemus, sed proprio, consentaneo,  
& alibili, ut idem Aristoteles advertit, non autē  
extraneo, incongruenti, & aquo, quo potius illa  
extinguitur, quam foveatur; quocircà Vita compa-  
tur ab eisdem flammulæ, quæ oleo eger, ut con-  
servetur: Modò Hippocrates hic humidum ex im-  
bribus exteruum insalubre ait. Humidum vixit,  
idest liquidum, & potabilem pueris febrilentibus  
Hippocratem commendasse in commentario illius  
*Aphorismi* cum Heurnio exposuimus: Etenim is nō  
vult alendos esse febricitantes cibis duris, solidis-  
que, sed potabilibus, juxtā ea, quæ *Aphor.* 11. 2.  
clarius explanavit. Autumnus non siccitate, sed  
summā vicissitudine exitiosos morbos parturit, ut  
suo loco dictum est. Et Senes ad interitum festi-  
nant ab effero sanguine, & à Viscerum languore.  
Sed etiā ex siccitate mors continget, illa extre-  
ma esse debet, quæ vitæ somitem exhaust;

cūs

Etus verò quæ moderata est, & externa, superfluum humidum absumendo, vitæ potius opitulatur, quam aduersetur. Postremò Aér suā naturā nèc calidus, nèc frigidus, nèc humidus est, sed fluidus, & permeabilis, cujuscumquè alterationis suscipiendæ cœpax, atquè tunc solum à sua naturali conditione desciscere videtur, cum nimilim densatur, & crassescit, vel plus justo rarescit, & distrahitur, ut proinde immobilis, ac impermeabilis evadat, quemadmodum Florentinis, & Boylæis experimentis jam satis innotuit: sic enim præter naturam affectus vim patitur, & Animantibus cunctis intensissimus sit, ut etiam illas vitâ privet.

Constat ergo siccitates esse imbribus salubriores. Sed cur etiam minus mortiferæ sint, cum cætero-qui dictum sit in siccitatibus febres acutas fieri? Cardanus distinguit febres acutas à morbis acutis, & ex 1. epidem. Confit. 1., & 2. epid. sect. 3. colligit, acutas febres magnâ ex parte non esse mor- tiferas, quemadmodum vel ex Tertianis intermit- tentibus deducere est. Verum hujus Ratio petenda est ex Aphorismo sequenti,



APHO-



## APHORISMUS XVI.

*Morbi in pluviarum multitudine magna ex parte  
funt, febres longæ, alvi profluvia, putredines,  
morbi Comitiales, & Apoplexiæ, & Angina. In  
siccitatibus autem Tabitudines, lippitudines, articulo-  
rum dolores, stillicidia urinæ, & difficultates in-  
testinorum.*

**U**T quisquè Rationem præcedentis Aphorismi deducat, enarrat hoc loco Hippocrates ægritudines, quæ ex multis imbribus, & quæ ex siccitatibus oriuntur: ex his namquè intè se invicem comparatis facile innotescit, longè graviores esse, quæ in imbribus, quam quæ in siccitatibus contingunt. Hinc plerisque visum est, & præsertim Henrnio, ita ex græco in latinum sermonem hunc vertere: *Namquæ assiduis imbribus, qui Morbi incidunt, hujusmodi ferè sunt febres diuturnæ, &c. Quare consentaneum videtur voluisse Hippocratem, argumēto à morbis ipsis per ejusmodi tempora vaganeibus desumpto, præcedentem Aphorismum demonstrare; quod minimè advercit in commentario Galenus.*

Febres diuturnas ex pluviosâ constitutione oriri posse patet ex antea traditis, quoniā per eam plurimæ aquosæ superfluitates cumulantur, quæ sanguinem inficiunt, atquè ad indebet fermentescendum disponunt: cūmque partim multitudine, partim etiā crassitie diuturnum tempus exigant, ut dissolvantur, longas propterea febres pariunt.

Eadem fermè de causâ alvi profluvia ex humidâ constitutione proficiscuntur. Siquidem istiusmodi ex-

cre-

cremēntia plerumque deferuntur in Intestina, & alvum plus æquo lubricam reddunt. Et quidem alvi profluvia hic, haudquaquam Dysenteriæ, aut Diarrhoeæ, sed alvi dejectiones ab accuratioribus Interpretibus exponuntur, ut ex ipso textu græco palam fit, ac manifestissimè deducitur ex Celso, qui sententiam istam sic est interpretatus : *In siccitatibus*, <sup>c.lib.2.</sup> *acuta febres, lippitudines, tormina, urina difficultas,* <sup>cap.1.</sup> *articulorum dolores oriuntur. Per imbres, longæ febres,* *alvi dejectiones, angina, cancri, morbi comitiales, re-* *solutio nervorum, quam Paralysim Græci nominant.* Quin & Dysenteriæ connumerantur potius ab Hippocrate intèr ægritudines siccæ constitutionis. Quare Ventris laxitates, Intestinorum lœvores, & citrā dolorem ubiores egestiones designantur.

Putredines hoc loco non solùm intelligendæ sunt humorum, sed etiàm partium solidarum, quales in Gangrænâ, & Sphacelo : quippè in Tempestatibus humidioribus nedum humores à naturali suâ constitutione declinant, adeoque corrupti possunt, verum etiàm membra Corporis flaccescent, & in putrefactionem abeunt; undè postmodùm Gangrænæ, <sup>v.lib.2.</sup> & ulceræ sordida, malique moris.

Morbi Comitiales, & Attoniti, facile etiàm *ex* <sup>predic-</sup>  
largis imbribus eveniunt, cùm ex ipsis gravitèr <sup>v. Piz-</sup>  
Cerebrum afficiatur, & pravis humoribus gravetur; <sup>son. &</sup> *undè sensus, & motus torpor, atquè abolitio.* <sup>V. Vepfer</sup> <sup>de A-</sup> <sup>toplex.</sup>

Anginæ, seu gutturis, & faucium tumores ab humoribus eas in partes confluentibus cognoscuntur. Plerumque autem ex pluvia tempestate Tonsillæ, adenæ ibidem sitæ, ab abundantioris lymphæ confluxu tumescunt, & Anginas, quas spuriæ vocant, <sup>v.Ribb.</sup> inferunt; itemque Raucitates, & Tusses, Broncho-<sup>lib.2. c.</sup> <sup>3. de</sup> celes, & Parotides, pro circumiacentium partium <sup>morbis.</sup> *Par. II.* <sup>de Ano-</sup>

*gina ex affectarum diversitate, & à variâ stagnantis-lymphâ  
pistuita; conditione.*

*ratione* Nequè verò hæ solùm ægritudines ex multis im-  
*victus* bribus contingunt, sed & aliæ plures consimilis na-  
*in Acu-* turæ accidere possunt, non minùs graves, quàm  
antedictæ; quippè, ut antea notatum est, videmur  
ità naturâ comparati, ut molestiùs humido, quàm  
siccо tempore afficiamur, & potiùs inutilium hu-  
morum copiâ, quàm inopiâ salutarium: quamobrèm  
meritò Hippocrates morbos in pluviarum multitu-  
dine contingentes, periculosiores longè iis esse in-  
quit, qui in siccitatibus eveniunt. Tabitudines nam-  
què etiâ lèpesepiùs ad mortem quoquè perducant  
ægrotantes, in longius mèn tempus protrahuntur,  
& inducas præbent, quæ sanè sperandæ non sunt  
à prænarratis ægritudinibus. Præterquamquòd Ga-  
lenus, memoratas hic Tabitudines ad oculorum  
Lippitudines ait esse referendas; ut proindè putet in  
siccitatibus Lippitudines tabidas fieri, scè ad ta-  
bem oculorum terminari: lippitudines autèm peri-  
culi sunt expertes. Articulorum dolores, & urinæ  
stillicidia, non dissimilitè diù producuntur, & fe-  
rè cum ægrotantibus consenescunt. At verò ejusce-  
modi affectiones in siccitatibus contingunt potiùs  
ab acribus, & falsis humoribus, qui tunc magis  
exacuuntur, & tenuiores redditi promptius artuum  
juncturas subeunt, & periostia lacescant, vel cum  
sero urinario commisti, mingendi difficultatem  
pariunt, sive ad Stranguriam, sive ad Dysfu-  
riam illam referamus. Quare collatis invicem sic-  
cis, & pluviosis tempestatibus, facile nunc decer-  
nere erit, longè graviores, & periculosiores esse,  
quæ cum imbris, quàm quæ ex siccitatibus con-  
tingunt.

— *APHO:*

## APHORISMUS XVII.

*Quotidiane autem constitutiones, aquiloniae quidem cōgunt Corpora, firmiora, & agiliora, coloratoria, & melius audientia faciunt, & alvos exiccant, oculos mordent, & si peritus dolor aliquis prius obfederit, dolorem augent. Austrinae diffundunt Corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita aggravant, & Vertigines faciunt, oculis, atque Corporibus difficilem motum præstant, & alvos humectant.*

**C**omparat hoc etiā Aphorismo Hippocrates quosdam alios effectus, qui à constitutionibus siccis, & humidis, oriuntur, & fortassis, ut manifestius ostendat humidæ, atquæ austriñæ tempestatis incommoda, longè graviora esse iis, quæ à siccâ, & aquilonari proveniunt. Sed & quæ ex hac accedant Corpori emolumenta, simùl unà commemorat, ut nimirū omni ex parte concludat salubriores sempèr esse siccas constitutiones austrinis, & pluviosis.

At hic non videtur de totius Anni, vel integræ alicujus tempestatis constitutione, sermonem habere, sed de illis tantummodo vicissitudinibus, quæ in dies per quæcumquè Anni tempora contingunt, cùm Aér alternè mutatur, & oppositarum alterationum Aquilonis, & Austri vices subit. Verunitamē si quotidianis mutationibus aquiloniis, vel austrinis hos effectus parturit, procùl dubio majores, diuturnioresque erit allatus, cùm integrâ tempestate non dissimiliter perflatur, ut antea Aphorismo V.

notatum est; ut propterea Celsus int̄ ea, quæ Tempestates consequuntur, retulerit lib. 2. cap. I. Aquilonem Ventrem adstringere, dolores lateris, & pectoris afferre, sanum tamèn Corpus spissare, & mobilis, atquè expeditius reddere; Austrum verò aures hebetare, alvum solvere, & totum Corpus languidum efficere.

Aquilonares autem Constitutiones Corpora cogere, scù densare, certo certius est: siquidem humidas superfluitates absumit, poros constipat, & constipando membra condensat; undè totius Corporis firmitudo. Hac etiam de causâ frigidas, & septentrionales Regiones incolentes, durioris, firmiorisque exturæ observantur, atquè laborum omnium patientiores; Unde fortasse finxit etiam Antiquitas fortitudinem, & impenetrabilitatem in Corporibus exoriri. Nedum autem firmitatem, sed etiam agilitatem aquilonares venti conferunt, nam exhaustis humidis superfluitatibus, atquè aqueis excrementis, quibus plurimum Corpora gravantur, & hebetantur, illa graciliora reddita, fiunt quoquè agiliora. Eadem etiam ratione videntur redi posse coloratiora, quippè obesa, succiplena, & humida, plerumque decolorata, & pallida observantur.

Quod melius audientia fiant, patet similiter ex his, quæ super Aphorismo V. dicta sunt, ubi Austrum auditum hebetare scripsit Hippocrates. Fit namquæ s̄apenumero surditas, vel subsurditas, ob tympanum, scù membranam illam, primum à secundo meatu auditionis disternantem, nimia serositate laxatam, quò appulsus Aér eam non concitat motionem, percussionemque, quæ satís sit auditioni perficiendæ, undè vel sonus non percipitur, vel obtusè admodum, quemadmodum experimur in

Tym-

Tympano bellico madefacto , si tūm pulsatur : quod tamēn ingentem sonitum edit , cūm tensum , siccūmque evaserit .

Alvos præterea exiccati in constitutionibus aquiloniis , seu constipari , & obdurescere , ut excrementa promptè non deponant , anteà quoquè ostensum est , cūm & egestiones quæcumquè deficiant per ejusmodi sicciam , frigidamque constitutionem , urinā solūm copiosiori plerumquè perseverante , compresso è glandulis , & tubulis aquosis latice per universum Corpus disperso .

Additur & hīc *oculos morderi* , hoc est ardorem , ac pruritum in oculis , & palpebris excitari : aut quia impediat perspirationes oculos petunt , & per membranas , præsertim adnatam , diffusę molestam inferunt motionem ; aut quia corrugatione ibidem inductā præterfluentem sanguinem venę ex arteriis promptè non excipiunt , sed quodammodo retardant ; undē etiā aridæ lippitudines . Nèc mirum , si præ cæteris partibus oculi in his constitutionibus afficiantur , veluti qui obnoxii sunt cuicunque Aëris alterationi , omnēmque ejus vim primi sentiunt .

Augent quoquè frigidū , siccique Aquilones dolores pectoris , si prius isti partes illas obsederint . Siccitas enīm , faucium , & gutturis asperitatem inducit , undē Tussis facile exoritur , quam deinde dolor pectoris insequitur ; cūmque frigus eidem quoquè infensum sit , profectò si anteà doluerit , longè gravius ab aquiloniâ constitutione afficitur , per quam utrumquè jungitur Pectori molestissimum .

A Constitutionibus verò Austrinis Corpora delaxantur , & humefunt : nām Austri humidi sunt , & pluviosi ; Auditus obtunditur , imò & reliqui sensus

sus omnes hebetantur , Caput gravatur ; & multis repletur excrementis , undè Vertigines , & hebetudines oculorum , atquè totius Corporis ad motum impotentia , & ad cæteras operationes , præsertim animales , obeundas ineptitudo , ob nervorum scilicet laxitatem , à sanguine , ejusque nutritio liquore serosiori . Alvi denique lubriciores fiunt , tūm ex malā digestione , quæ , flante Austro , fieri solet , tūm ex facili inutilium humorum per humectiores ductus ad alvum depositione , præsertim quia fibræ Intestinorum per idem tempus austrinum promptè admodum laxantur , ipsæque fæces humidiiores redditæ facilius quoquè egeruntur . Quæ sanè cùm ex anteà demonstratis notissima sint , ulteriori non egent explicatione .

Solum paulò uberiùs Vertiginis causam examinemus . Evidèm non benè constare videtur , quod ex dialibus Austris , & ex diebus austrinis fugaci bus , Vertigines orientur : quippè Hippocrates ægri tudines referens ex austriñā , & diuturnā tempestate imminentes , nè verbum quidèm fecit Vertiginis , quam procùl dubio veluti cæteris periculosiorem recensere debuisset , eoque magis si ex diurnis Aëris mutationibus , atquè alterationibus ab Austro diali oriundam fateatur . Jure ergò existimat Cardanus legendum cum Theodoro Gazâ , (cui uni plus credendum esse , inquit , in hac causa , quam universis Interpretibus latinis , ut qui Græcus natus sit , & exquisitissimam scriperit Græcam Grammaticam , ut rationem dicendi melius callere potuerit : ) Vertigines in oculis fieri , pro eo , quod scriptum est se junctim : Vertigines faciunt , Oculis , atquè Corporibus difficultem motum præstant . Addit præterea nequam potuisse Hippocratem de Vertigine Cerebri , quæ

quæ cum Comitiali morbo convenit , sermonem  
habere , eoque unius diei constitutio minime  
possit materiam congregare Comitiali , aut Sidera-  
tioni aptam . Verum quenam sit hæc oculorum  
Vertigo ipse non explicat . Putaverim Ego esse  
quamdam in yisu Trepidationem , cum objecta per  
Aërem vapidum spectata quasi trepidare , concuti ,  
& vacillare videntur . Id autem quamvis in oculis,  
ipsisque nervis ocularibus , & in tunicâ Reticulari  
fieri possit , perturbatâ per serositates objectorum re-  
presentationem ; sibi tamè contingit ex radiorum  
Solarium in crassiori Aëre refractione , atquè lumi-  
nis ad oculos pertingentis quadam veluti inflexio-  
ne , titubationeque . Sæpius enim idipsum experi-  
mur cum fluctuantem aquam , scintillantes igniculos ,  
& tremulum lumen candelarum ex sevuo confecta-  
rum attentiùs intuemur . At verò accidit facillimè  
per austricas constitutiones Aërem istiusmodi per-  
turbationem subire , cum turbulentus simul fiat , cras-  
sus , & radiis Solaribus confertus ; sed & oculi una  
quoquè per idem tempus hebetantur , & caligine  
suffunduntur , ut propterea male objecta corpora  
cernere queant , vel nonnisi cominus , præsertim  
cum à densis nubibus Aér sit tenebricosus , aut lu-  
ce creperâ vix sublucidus .



APHO-



## APHORISMUS XVIII.

*Quantum ad Tempora Anni. Vere quidem, & prima Aestate Pueri, & qui hos proximè sequuntur etate, optimè degunt, & sani sunt maximè; Aestate verò, & Autumno aliquatenus Senes: per reliquum autem Autumnum, & Hyemem, qui medium etatem habent.*

**P**rosequitur nunc Hippocrates singulis Homini-  
num ætatibus convenientia Anni Tempora explicare, cùm inferius ægritudines iisdem contingentes sit enarraturus.

Ennumerat autem quatuor tantummodò Temporum mutationes, àut quia istæ sensibiliores sunt, & vulgo magis receptæ; àut quia de Regionibus in Zonis, & Climatibus Temperatis solùm sermonem habere voluit; àut quia demùm in his tantum observationes suas instituit, cùm ea, quæ experimentis comperit, consultò scripscrit, & Posterioris tradiderit.

Facto itaque initio à primâ Anni ætate, scù Vere, Pueros inquit optimè sub illo valere, quibus & Adolescentes adjunxit, ut significare videntur verba illa: *& qui hos proximè sequuntur ætate.* Etenim Hippocrates non quatuor ætates solùm in Hominum Vitâ, quemadmodùm visus est edocere Galenus, sed multò plures distinxit; quamobrè Celsus meritò eos hic interpretatur, qui illis ætate vicini, proximi, conjunctique sunt: atqui proximi, & conjuncti Pueris sunt Adolescentes. Sic pariter cum Vere primam Aestatem, scù illius prin-

ci-

cipium conjunxit, quod ejusdem sit ferè conditio-  
nis: quamquam Galenus superstitione nimis Adole-  
scentes Vere, Aestatis verò initio Pueros salubri-  
tè vivere commentatus est. Aestate autem, & Au-  
tumno non omnino, sed aliquā ex parte Senes sa-  
nos degere, & per reliquum Anni tempus, atquè  
succedente Hyeme eos, qui medium, sēcū consisten-  
tem ætatem habent.

Quibus Hippocratem reprehēdere libido est, quīq;  
nodum in scirpo querunt, multa in hoc Aphorismo  
notant. Primum, illum redargunt oblivionis, quod  
superioribus Aphorismis dixerit Naturarū alias qui-  
dēm ad Aestatem, alias verò ad Hyemem benē,  
malēve se habere: quō sanè inquiunt satis fuiss-  
constitutum, quod hic inutiliter videtur repetitum,  
cūm & Pueri, & Juvenes, & Senes sub generali æta-  
tum consideratione omnino comprehendantur. Ad-  
dunt insuper non recte dictum ab eodem: *Vere pue-  
ros, & qui proximè sequuntur ætate, scilicet Adol-  
escentes, optimè degere;* cūm id tempus suā naturā  
sit cunctis saluberrimum, ideoque non solum Pueris,  
& Adolescentibus, sed etiām Juvenibus, atquè in-  
consistenti, ac senili ætate constitutis, documento  
ejusdem Hippocratis *Aphorismo 9.* Si præterea, sub-  
dunt, Pueri Vere, ob consimilem Naturam, &  
Temperiei commoderationem, benē se habent, cūr  
est, ut etiām primam Aestatem addiderit? quæ cæ-  
teroquì calorem præfert aliquanto prævalentiorem  
puerili ætati penitus incongruentem, cūm hæc un-  
dequaquè moderamine fruatur, & gaudcat. Sed  
nèc omnino videtur verum, Pueros Vere optimè de-  
gere, nàm ex infrà dicendis constabit per id tem-  
pus sanguineis morbis illos corripi.

De Senibus quoquè addunt, quod licet benē se  
*Par. II.*

L

ha-

habent Aestate, Autumno tamèn ii malè vivant quippè Autumnus tabidis malus dicitur, intèr quos Senes ab eodem Hippocrate referuntur, 2. de Morbis; isque, utpotè inæqualis, utrisquè exitiosus esse solet, Senibus autem potissimum, ab maximum ejus ætatis languorem. Sed & perperam illis videtur adjectum, Aestate verò, & Autumno aliquatenus Senes: quasi hi non omnino bene se habeant Aestate, cum tamèn senilis calor veluti imbecillis, & infretus, quam maximè foveatur, & adjuvetur ab ambientis Aëris æstivo calore.

Amplius, qui in mediâ, scù consistenti sunt ætate, nèc videntur rationabilèr dici posse salubrionem vitam ducere per reliquum Autumni tempus, & in Hyeme; quandoquidem hi frigidi quoquè, & siccii dicuntur, atquè melancholicis ægritudinibus obnoxii, minusque ferentes Autumnales Aëris vicissitudines, atquè inæqualitates.

Deniqvè cùm hoc loco Hippocrates de Temporibus agat, quæ singularum æstatum Temperaturis, congruant, ut videntur denotare verba illa: *sani sunt maximè certè, quemadmodum Puerilis ætas, & quæ proximè hanc sequitur, ob consimilem temperaturam, bene se Vere habebit, & optimâ sanitate fruetur; ita ex adverso Senilis Hyeme, & Juvenilis Aestate optimè degebit, cùm aliàs ab eodem dictum sit, minus periclitari eos, qui Tempori magis congruunt in suis Temperiebus.*

At isti injustè nimis Hippocratem arguunt, cui manifestæ rationes, & experienciæ suffragantur. Et quidem Aphorismo 2. *bujus libri*, generalem tantummodo rationem habuit naturarum, quod aliæ ad Aestatem, & aliæ ad Hyemem bene, maleve se haberent; ubi nedum salubritatis, sed etiam pro-

cli-

clivitatis ad ægritudines contrahendas meminit : At hīc, restrictiori sermone, ætates memorat, quæ in Anni tempestatibus salubrīus degunt; undē quod ibi generaliter protulit, hīc speciatim singulis ætatibus adscribit. Ver, quamvis suā naturā saluberri-  
mum sit, maximē tamē puerorum sanitati condu-  
cit. Et tamē si Senes benē quoquè se habeant Verno  
tempore, relati scilicet ad cæteras præcedentes tempe-  
states, adhuc tamē salubriorem vitā ducunt Aestate,  
cūm nimirū calidior Aér vividiores reddit cun-  
ctas eorumdem operationes. Dixit etiā *prima Aestate* Pueros, & Adolescentes eādem salubritate  
frui, quoniām principium Aestatis eādem referre  
solet cum Veris fine temperiem, & conditionem,  
cūm per id tempus Aér non adeò fervidus sit, ut  
mollem puerilium carnium texturam exsolvere, &  
eliquare queat, præsertim si initium Aestatis eā di-  
stributione sumatur, quā idem Hippocrates juxtā  
morem Antiquorum ab ortu Vergiliarum ad Solsti-  
tium æstivum facere consueverat. Cæterū, quod  
tunc ægrotare aliquandō illis accidat, non indē fit,  
ut plerumquè, & maximā ex parte salubrīus non  
degant: quippè cunctis temporibus, omnibus ægri-  
tudinum generibus Homines in unaquaquè ætate  
laborare possunt, tūm præsertim, cūm præpotens  
causa ægrotare faciens præcesserit.

Autumnus Senibus planè periculosus est. Nequē  
verò inquit Hippocrates salubriter illos vivere tem-  
pore Autumnali, sed tantū aliquatenūs, scū ali-  
quantispēr; si potissimum Aestatis conditionem re-  
ferat; undē disjunctim legendum, Aestate verò, &  
Autumno aliquatenūs: itaūt sensus fiat, Senes Aes-  
tate quidēm benē degere; Autumno verò aliquatenūs,  
idest aliquā ex parte, præcipue intēr illius

Initia, & cùm consimilem Aestati constitutionem participaverit: id quod præsertim fieri solet, ipso ineunte. Per reliquum autem Autumni tempus, & Hyemem, benè se habebunt consistentem, ac medium ætatem adepti, qui non solum Viri, sed & Juvenes, intelligendi sunt, utque commentatur Heurnius, etiā à XXV. anno ad XL. producti, comprehendentes nimirūm Juventutem, & Virilitatis initia, cùm reliquum ætatis virilis referatur Hippocrati ad crudam Senectutem, quæ, ex mente ejusdem Auctoris, initium sumit à septimo annorum septenario: tunc enī vires robustæ sunt, & sanguis vegetior; undē Autumni inæqualitatem nondūm ferent, qui in media, constantique ætate sunt, sed etiā superabunt Hyemalis temporis rigorem. Clariū proinde Celsus hanc sententiam est interpretatus, ut Juvenes Hyeme, quique inter Juventutem, & Senectutem sunt, salubriorem vitam ducre scripserit. Accedit, quodd consistentem ætatem natūræ, sunt omni ex parte prudentiores, ut quascumquæ causas externas vitare, & ab Aëris vicissitudinibus, atquæ alterationibus se tueri quam optime calleant. Denique puerilis ætas, veluti in moderamine sita, Vere cæteris temporibus temperatori, melius se habet: porrò id mediocritatis est, ut in alterutram partem vergens, à sanitate declinet. At verò intemperatæ Naturæ à mediocritate recentes, ut in salubritatem revocentur, in oppositum quodammodo statum ducendæ sunt; undē in oppositis sibi tempestatibus melius degunt, ut alias etiā meminimus; quamobrem Juvenes, & Viri antè annum quinquagesimum floridori sanguine prædicti, sicut Aestatis ardorem non benè sufferunt, ita hybernū frigus melius sustinent, imò exindè sa-

salubriùs vivunt , sanguine in contráctiorem crasim  
restituto .

### *APHORISMUS XIX.*

*Morbi omnes quidèm in omnibus temporibus fiunt &  
quidam verò magis in quibusdam ipsorum &  
fiunt , & exacerbantur .*

**Q**uodiam hucusquè Hippocrates ægritudines in diversis Anni constitutionibus , ac tempestatibus evenientes retulit , atquè in posterum erat enarratus , nè quis inde crederet eas nonnisi his vigentibus futuras , in reliquis verò nequaquam , admonet hoc Aphorismo Medicos , ut unoquoquè tempore , ac vigente quamquàm Anni tempestate , constitutioneque , cùjusq[ue] morbi periculum timeant , cùm quolibet tempore illi accidere possint , & vagè omnia Corpora afficeret . Sunt tamèn illorum plerique , qui magis uno , quam alio Anni tempore observantur , & affligunt ; Undè nonnulli potius Aestate , quam Hyeme , alii Autumno potius , quam Aestate : sic experimur pleuritides , catarrhos , paralyses , sopores Hyeme potius evenire , quam Aestate ; febres ardentes , tertianas , variolas , morbillos , erysipelata , magis Aestate , quam Hyeme . Sunt & alii , qui licet fieri quicquidem possint quocumquè anni tempore , magis tamèn alio increbescunt , & exacerbantur : Hydroperes enim aliquandò contingunt Aestate ; exacerbantur autem Hyeme : ut & Quartanæ febres Aestate , & sàpesæpiùs Autumno invadentes , graviores , infen-

fensorésque observantur brumali tempore. Verum tamèn à Causis petenda est istiusmodi morborum varietas; etenim qui omnino ab Aëre pendere videntur, licet soleant esse communes, universales, & Epidemii, possunt nihilominus certo quodam Anni tempore exacerbari, ac vigere; A cibis verò, laboribus, animi pathematibus, aliisq; causis inducti, sicuti particulares plerumquæ sunt, ita peculiaribus mutationibus permutantur, quarum certa ratio haberi nequit, cùm ferè indefinite illæ sint.

A propriis, & peculiaribus etiàm Corporum constitutionibus, atquè habitudinibus sèpè numerò accedit, ut morbi quosdam solùm arripiant, cùm aliqui unius, & alii alijs constitutionis, aut habitudinis sine immunes. Atquè hinc sit, cùr graciles aliquando agrotent, & obesi salubritè degant, ut & Pueri infirmentur, non Senes, fœminæ, non marres, sedentariam vitam ducentes, haudquaquam exercitiis dediti, vel contrà. Refert Cardanus olim Patavii gravi quodam morbi genere fuisse Hebræos solùm affectos, alios minimè; & Basileæ alijs, pestilenti aggritudine Cives dumtaxat laborasse, non advenas; fortè quià ex vicio à cibis, potibùsque jàm pridèm in communem usum habitis illorum habitudo, atquè Corporum constitutio eam contraxerat in humoribus, & sanguine dispositionem, ut lucem illam soli Cives incurrerent, non Exteri, alio victus genere usi. Anno 1618. solos pueros per universam ferè Italianam, sed immaniùs per Regnum Neapolitanum Angina maligna sustulit, cuius deinceps contagione interierunt succedentibus annis omnis ferè generis quadrupedia cornigera, præsertim boves. Huc etiàm referri possunt morbi illi, qui

En-

Endemii , sèù Patrii appellantur , qui scilicèt peculiares tantummodo Regiones infestant , ut est Scorbutus , familiaris Germanis , Hollandis , Dænis , & Anglis . Sic pariter fuit Lepra apud Hebræos , Elephantiasis apud Græcos , Mætagra Romanis tempore Plinii , Sudor Anglicus , Plica Polona , & Syphillis , sèù Morbus Americanus .

Undè autem Morbi omnes omnibus indiscriminatim , & universis Anni temporibus contingere possint , ratio desumenda videtur ex eo , quia Morbi potius ab internis Causis , putè humoribus præter naturam affectis ; quam ab externis , & procatarcti- cис , quæ vulgo occasiones appellantur , exoriuntur : cùmque illi quocumquè Anni tempore infici possint , atquè diversimodè permutari , inverti , & à consueto , ac naturali more desciscere , poterunt quoquè , quā documquè malè affecti fuerint , omnes , & quo scumquè morbos in quibusvis Corporibus parere . At verò quia non tam facilè sponte sua vitiantur , nisi ab Aëre , cibis , ac potibus , cæterisq; causis , non naturalibus dictis , perturbentur , hinc sit , ut sæpenumero istas diversimodè Corpora alterantes morbi con sequantur , & aliquando magis , aut minus exacerbentur , pro variâ earumdem , & Corporum affectorum conditione .





## APHORISMUS XX.

*Vere etenim Furores, & Morbi melancholici, & Comitiales, & profluvia sanguinis, & Angina, & Gravedines, & Raucedines, & Lepræ, & Tufses, & Impetigines, & Vitiliges, & pustula ulcerosa plurima, & tuberculæ, & articulorum dolores.*

**E**nnumerat nunc Hippocrates hoc, & sequentibus Aphorismis ægritudines, quæ singulis Anni temporibus plerumquæ accidunt. Facto autem initio à Vere, inquit, Furores, morbos melancholicos, Comitiales, aliisque eo tempore evenire; non quod hi solùm, eà Anni tempestate contingant, sed ut plurimum: cum & alii plures, consimilem naturam participantes, per idem tempus observari possint, ubi præsertim nil obstiterit, quod ratione propriarum constitutionum, & ætatum, vel etiam peculiaris Climatis, & Regionis, aut demum causâ ciborum, potuum, exercitiorum, cæterarumque Rerum nonnaturalium, Vernalis temporis dispositionem perverterit, atquè immutaverit.

At hic illicò se exhibet enucleanda non levius in Hippocrate Contradictio. Is enim Aphor. 9. bujus, Ver saluberrimum confitetur, & minimè exitiale, indicans exinde, vel nullos, vel levissimos morbos Veris tempore evenire: modò enarrati morbi, & multi sunt, & pessimi, quales potissimum Comitiales, sanguinis profluvia, Anginæ, Lepræ, pustulæ ulcerosæ, à quibus non raro periclitari, & perire ægrotantes cunctis notum.

Co-

Conatur Galenus in *Commentario contradictionem*  
 hanc solvere, & utramq; sententiam in commodum  
 sensum referre, saluberrimum inquiens benè dici  
 Ver, et si hos pafiat Morbos, quoniā à centro  
 Corporis ad ejusdem habitum humores vitiosos  
 educit: nām hoc ipso tempore profundum Corpo-  
 ris expurgatur, vitiosis humoribus à partibus prin-  
 cipalibus ad Cutem pervenientibus, vel ad loca  
 viliora transpositis. Sed & alii enarratos morbos à  
 solā sanguinis plenitudine ortos putant, quæ com-  
 parata ad cacochymiam levior, & quodammodo  
 salubrior censenda videtur. Verū adscripsit Hip-  
 pocrates Aphorismo IX. Verni temporis constitu-  
 tionem sanis Corporibus congruentem, quibus procūl  
 dubio saluberrima est; At verò Corpora recremen-  
 tis inquinata, & malè affecta, cùm adventante Ve-  
 re alterantur, & morbosa fiunt, in ea potissimum  
 mala incident, quæ hoc Aphorismo recensemuntur:  
 Hæc enim est differentia intèr tempus vennale, &  
 cæteras Anni tempestates, ut illud, nisi Corpora  
 impura fuerint, & pravis succis imbura, in optima  
 salubritate tueatur; reliquæ verò tempestates, etiam-  
 si Corpora benè se habeant, adhuc tamèn malè  
 afficiant, & alterent; quippè Aestate sudoribus,  
 oris amarore, siti, ciborum fastidio, cruditate, las-  
 situdine, anxietate, plurimum vexantur; quin &  
 excandescente sanguine, facillimè corripiuntur fe-  
 bribus, doloribus, vigiliis, diarrhœis, cæterisque  
 gravioribus symptomatis, humorum omnium acrita-  
 tem, tenuitatēmq; ab æstu cōsequentibus: & Hyeme  
 catarrhi, tusses, gravedines, raucitates, perfrigerationes  
 fiunt: At Vere nil horum accedit, sed Corpus  
 ab Aere temperato in summa mediocritate consti-

tutum omni ferè vitio caret ; quamobrèm nisi humores pravi , & excrementa alicubi restagnaverint, sanè morbi nulli per id tempus aderunt.

Quo autèm pacto Furores , & Morbi melancholi , ac Comitiales , sicut pariter lepræ , pustulæ , & dolores articulorum Vere accidere possint , quâve ratione intèr Vernales ægritudines hic recensantur , alia est hujus loci gravior difficultas ; cùm alioquì referendæ illæ videantur intèr Morbos hymenales , præsertim quia ex superioribus Aphorismis major pars horum in Constitutionibus pluviosis , & Austrinis evenire dicta est : Austrinæ autèm , & pluviosæ Constitutiones quâm maximè vigore observantur Hyeme , non Vere . At huic facile occurret , qui ratum habuerit Morbos Vere contingentes , ex peculiari ejusdem constitutione , sequi vitium sanguinis , cùm hic eo tempore internam subeat commotionem , atquè partium inutilium sensibiliorem planè secretionem , exsolutionemque ; quin & manifestius fermentescat , increscat , & moveatur , eo prorsus modo , quo per idem tempus experimur succos alibiles adaugeri , & promptius , uberiùsque poros , fibrásque Arborum subire . Quoniàm verò sanguis per partium texturam transiens , præcedenti Hyeme , non tam commodè à suis impuritatibus potuit depurari , accedente Vere , quo Carnium textura laxior fit , & ductus , ac secernicula Corporis patentiora evadunt , melius ille repurgatur , ut penè novam videatur induere naturam . Quod etiàm fit , ut vagantes per Hyemem Quartanæ , aliæque horrificæ febres , eodem Verno tempore desinant , secretis nimiliùm , depulsisque sanguinis inquinamentis . Idipsum comprobare licet , analogiâ Microcosmi cum Macrocosmo , in aquis thermalibus ,

bus, quæ sponte suâ per eadem tempora è Terræ Visceribus erumpunt, & vires suas exerunt longè cæteris temporibus efficaciores. At verò quis non videt Venas, & Arterias Vernali tempore turgere, pulsus fieri elatiōres, roso colore vultum præcipue decorari, urinas augeri, capillos renasci, & sanguinem ipsum vegetiorem redditum, sponte suâ plerisque è naribus extillare. Si ergo sanguis Vere ejusmodi mutationes subit, non mirum si morbi tunc sanguinei exoriantur, quos hoc loco memorat Hippocrates, ubi aliquod vitium is contraxerit, secretis nimirūm, depulsisque impuritatibus. Et quoniām præcedenti Hyeme plerumque sanguis ex constipata cute, ac perspiratione impedita, acomrem, aut acritatem contrahit; idcirco furores, morbi melancholici, lepræ, aliæque similes ægritudines contingunt, variae solum, pro varietate partium, in quas excrementosi humores deponuntur.

Furores hoc loco memorati, non sunt, qui cum febre accidentunt, cuiusmodi est Phrenitis; sed solum communi nomine di&iota;, Mentis motiones, seu desipientiæ, quas idem Hippocrates unico vocabulo est complexus, cùm inquit 6. Aphor. 53. *desipientia*, quæ cum risu fiunt, securiores, quæ verò cum studio, periculosoress. Distinxit autem alibi idem Auctor quatuor classes deliramentorum, quæ scilicet cunferitate, & impetu, ut in Phrenitide, & Mania; quæ cum mœstitia, & timore, ut in Melancholia; cum mansuetudine, & fatuitate, ut in Insania, & Stupiditate; & demum quæ cum risu, & lœtitia, ut in Amore, Gaudio, & Ebrietate. Modò videatur hic, vel, generali quodam delirio, seu mentis depravatione, furorem designasse; vel eam tantum desipientiæ speciem, quæ cum risu, & gaudio eve-

nit; cum hujusce generis desipientia à sanguine  
potissimum vegetiori, vividiorique pendere soleat.  
Non incongruè etiam intelligi posset delirium Melancholicum, quodammodo indicatum in textu: si-  
quidem sanguis acore quodam per præcedentem  
Hyemem infectus, & adventante Vere repurgatus,  
facile ejusmodi acidæ superfluitates liberori meatu  
per laxiorem viscerum texturam trajicit, & in glan-  
dulas per Cerebri corticem dispersas dedit, vel  
aliò deponit; undè Cerebrum in suis functionibus  
animalibus depravetur: quandoquidem, docente  
eodem Hippocrate, affecto Liene, atquè sinistro hy-  
pochondrio fortiter pulsante, Mens illicò commo-  
vetur: Et alibi, in morbis melancholicis furore  
quequè evenire dicitur; & 6. Epidem. s. 3: san-  
guineum Corpus in melancholiā, biliōsum in fu-  
rorem transfire fertur. Quamobrèm non immeritò  
hic Furores, vel generatim Mentis motiones, vel  
desipientias cum gaudio, & amore, vel etiam cum  
vehementi quadam in hæc applicatione, quo internos  
sensus fatiget, sive idiopathicè, sive sym-  
pathicè, possimus congruentè interpretari.

Pro morbis autem Melancholicis, nedum deliria  
melancholica, ut plerique vertunt, sed quæcumquè  
alij ægritudines, à melancholicis, tartareis, & aci-  
dis succis progenitæ, sumi possunt, ut consueverunt;  
essè Strumæ, obstructiones, tumores duri, hypo-  
pecondriacæ affectiones, & similes. Acidum enim,  
quod in fermentis Viscerum, cæterisque liquoribus  
vi, aut copiâ exorbitat, & per Hyemem veluti so-  
pitum forte hæsit, Verno tempore dilutiùs effluit,  
& varias partes petens patentius inficit, diversaque  
ægritudines parit, pro Corporum, & æratum di-  
versitate; Undè lympham, sanguinem, succum ali-

bi-

bilem ; cæterosque humores in visceribus , & glandulis figens , diversimodè quoquè præter naturam affectet . Jure ergò notantur hic potissimum ab Hippocrate morbi melancholici , putà ab ejusmodi succis melancholicis , & acidis inducti ; quoniàm hi præsertim Vere in Corporibus malè affectis ex præcedenti hyberno tempore exoriri possunt , repurgato nimis sanguine à fæculentis hisce humoribus acidis , per Hyemem cumulatis . Quâ etiàm ratione Comitiales morbos fieri dicendum est , ut qui Hyeme veluti latuere , mòx Vere prodeant , exutâ quodammodo Naturâ veterem , fædâmque humorum omnium , & præsertim sanguinis conditionem , renascentis Anni beneficio .

Verùm hic dubitare contingit , cùr Hippocrates retulerit morbos Verno tempore contingentes ad eos potissimum , qui Caput , & Cerebrum divexant ; alius autem interni Visceris ægritudinum non meminerit ? At cùm Vernales Morbi metastasis , & abscessus naturam referant , quòd impuritates sanguinis tunc temporis secernantur , & istæ plerumquè in glandulas abscedant , proindè fit , ut Cerebrum , quod magna glandula dicitur , potissimum ex illarum decubitu afficiatur . Nequè verò Cerebrum solùm , sed etiàm circumiacentes glandulæ faucium , & colli , non raro inficiuntur , & ejusmodi superfluitatibus imbuuntur . Quòd autem Abscessus morbi isti rationem referant , clatè deduci potest ex eo , quòd Hippocrates intèr Vernales ægritudines retulerit quoquè Impetigines , Vitiliges , Lepras , pustulas , & tubercula , quæ sanè decubitus sunt vitiosorum succorum in glandulas subtercutaneas ; quin & articulati dolores , hoc eodem loco memorati , pari modo ad Abscessus reducuntur , ut liquet . Sed tamen ,

mèn non hinc quis credat, has solùm hoc Aphorismo descriptas ægritudines Verno tempore exorti, cùm & aliæ , aliæque similes non dissimilitè predire possint , si fortassè in alias , aliásque partes vitiōsi illi humores , à sanguine secreti, transferantur : quippè non raro compertum est, per idem tempus , & Pleuritides , & Peripneumonias , & Choleras , & Febres , aliūsque generis acutas ægritudines sœvissē ; quamquam Hippocrates illas solùm , ut frequentiores, veluti in exemplum, Medicis objecerit ; cùm & hæmorrhagias , & gravedines , & rauicitates , & tusses paritè adjecerit .

Sanguinis profluvia frequentissima Vere esse solent , nedùm per consuetos ductus Uteri in fœminis , & in maribus per mariscas , sed etiā per Nares , & Os . Sunt etenim plerique , qui quotannis , statuto quodam tempore vigentis Veris , hæmorrhagias narium patiuntur , quæ nisi sanguifera vasa ad certam quantitatem depleteant , nullâ arte cohiberi possunt ; at verò sponte sua desuant , statim atquè sanguis defervuerit , & in pristinam , naturalēmque crasim fuerit restitutus . Novi etiam , qui singulis annis mense Majo per aliquot dies sanguinem expucret citrà cuiusvis periculi suspicionem , impò cùm antè hoc tempus Capite doleret , totóq; Corpore anxius , & anhelosus videretur , mòx ab excreto sanguine levabatur adeò , ut meliorem habitudinem indueret , & salubriorem deinceps vitam viveret . Contingunt autem hæmorrhagiaz istæ , aut quia sanguis tunc vegetior , floridiörque redditus à suis conceptaculis sponte exilit , atquè per teneriora , laxioraque venarum , & arteriolarum oscilla sibi quodammodo vias aperit , majorem tortè exquirens capacitatem , cùm illum pori partium satis exciperet .

re non valeant: aut quia acore per Hyemem contracto easdem lacescit, ac referat: aut etiam quia partes ipsæ Corporis moliores, laxioresque per id tempus redditæ, liberum luxurianti sanguini aditum præbent. Verum enim verò nèc Hippocrates quamcumquæ sanguinis eruptionem Vere contingentem hoc loco sumendam voluit, sed largam, & copiosam: nam inquit, *sanguinis profluvia*. Et quamvis non expresserit modum, & locum istiusmodi profusionis, nihilominus credere licet anastomosi potius proflire; per hiantes venarum, aut arteriolarum fines, ubi illæ mutuò coeunt, & ex his in illas sanguis propellitur. Quod si ex arteriolis egressus poros partium subeat, & uberioris, quam par sit, effluat, atque restagnet, inflammations, ac apostemata patit. Hinc non immerito in textu dicitur, inde Angitas quoquæ exoriri, cum scilicet in glandulis, ac musculis faucium, & gutturi is hæret.

Non dissimiliter Raucitates, & Gravedines evenire credendum est, sive quod serofiores diluti sanguinis superfluitates in os, & nares à Cerebro cōfluant; aut è vasis lymphaticis in eorumdem glandulas derivent; sive quod solam in Aëre mutationem à Solis accessu illæ consequantur. Siquidem ejus vi proximiora nostro Vertici signa perlustrantis ambiens calor sensibilior persentitur, undè attenuantur humores, & aquæi vapores è Terraquo globo uberioris elati vapidum, pruinosum, ac nimbosum Aërem efficiunt, catarrhorum certissimum promotorem.

Lepræ hoc loco memoratae num reveræ illæ intelligendæ sint, quæ maximi apud Veteres horroris erant; & neddum insanabiles credebantur, sed etiam contagiosæ, dubitari potest: nam si ejus-

mo-

modi conditionis, & naturę Lepra foret, non videtur ex vernali constitutione illam posse oriī; quippè sanguis licet Vere à suis impuritatibus repurgetur, nunquam tamen eam pertinget pravitatem, quæ tam horribilem, contagiosamque affectionem pariat, ut non raro etiam instar pestis miserimi patientes enecet. Accedit, quod Hippocrates simili cum Lepra junxit Vitiliges, & Impetigines, quæ longè mitiores sunt Cutis ægritudines, ut potè citrā vitæ periculum tolerabiles, & absque contagio. Quare alterius generis videtur statuenda, qualis nostrā ætate Scabies, & Puerorum Pottigo est. Sed enim non eadem fuit Hebræorum, Græcorum, & Arabum Lepra, quamvis Mercurialis lib. de Morbis Cutan. 2. cap. 5. contendat Lepram Græcorum, seu Elephantiasim, esse Albarum nigram ab Avicenna descriptam, lib. 4. f. 3. tr. 3. cap. 1. conf. rendus Eam namquæ differentiam statuit Marcellus Donatus, lib. 1. de hist. med. mir. cap. 4. inter Lepram 3. f. 22. Arabum, & Elephantiasim Græcorum, quod illa irrad. 1. tumorem pedum, & crurum, cum varicibus protut. cap. 16. & berantibus, & atro colore, referret, ex Rhali lib. 4. f. 7. tr. 9. ad Almansorem cap. 93.; Elephantiasis vero Græcorum universi. Corporis foedum tumorem adjunctū 2. cap. 9. haberet, adeò ut Paulus lib. 4. cap. 1. universi Corporis Cancrum appellaverit, & Galenus lib. 2. de Morbor. Causis cap. 7. Elephantiacis totam formam immutari tradiderit. At verò hoc morbi genus fusiùs describere visus est Aretæus lib. 2. cap. 13. Tumores enim, inquit, alii juxta alios exurgunt, non dum quidem continui, sed crassi, & asperi, & interstitium tumorum discissum est, ut Elephantis Corium; vene latæ sunt non sanguinis redundantia, sed cutis crassitudine; pili in omni Corpore præmoriuntur,

in

in mento rari sunt, rara quoque in Capite & cesaries<sup>15</sup>, quod verò majus est, intempestivis, cani, & calvitium affatim, subitiq; ingruunt, non multo post autem pubes, & mentum glabrescunt; quod si qui pauci pili remaneant, bi magis dederent, quād quis defluxerunt, capitis cutis altius resciissa est, rimæ autem frequentes profunda, asperæ; tumores in facie duri, acuti, non-nunquam fastigio albido, base viridiore, pulsus pulsilli, graves, tardi, vena temporum distente sunt, & sub lingua dentes nigricant, aures rubent, admista nigritie, ulcera farida sunt, & alia super alia exurgunt, &c. Hæc ille.

Rarissimum nostris temporibus hunc morbum, imò & Antiquioribus ignotū penè in Italia scribit Celsus lib. 3. cap. 25., peculiarem verò Aegypto, & Alexandriæ testatur Plin. lib. 26. cap. 1. & Gal. 2. de Arte curat. ad Glauc. cap. 10.. At nūc in Belgio, & Gallia frequentem esse referunt Amatus Lusit. Cent. 2. cur. 34. & Valleriola lib. 6. enarr. 5. Contigit transactis annis videre hīc Neapoli Monachum quemdam Elephantiacum, qui licet cùm aliis familiariter versaretur, nunquam tamèn illos infecit; undè veritati consonat, quod ex Alexander Tralliano lib. 2. probl. Med. 42. habet Mercurialis, inimicis contagiosam esse Lepram in nostra Italia: quod pariter innuere visus est Aristoteles Sect. ult. probl. 7.

Hinc modò deducere licet Lepram inter morbos vernos ab Hippocrate recensitam, non eam, quæ contagio inficit, putatürque incurabilis, sed, quæ in fine 2. prorrhet. mitior, faciliorisq; dicitur curacionis, esse intelligendam, velutī quæ à repurgamento sanguinis oriatur, sitque ad scabiei dirioris speciem referenda. Sub nomine autem Lepræ hīc ab

Par. II,

N

Hip-

V. etiæ  
Fuchs.  
2. para-  
dox. c.  
16.

Hippocrate indigitatur, ob quamdam solummodo analogiam, quia veluti Scabies cutaneus morbus est; quamquam Lepra etiam reliquarum partium, & humorum vitium consequatur.

*Alphos,* *& Len-* Impetigines, & Vitiligines morbi quoque cutanei sunt, solumque differre ponuntur, quod non  
etiam foedent, aut profundè inficiant. Cutem in utrisque pilis, & capilli radicibus eroduntur, ac defluunt, immo Cutis ipsa quandoque ad album, aliquando etiam ad nigrum, aut aliter coloratur. Contagione carent, nec aliud incommodum pariunt, quam turpitudinis. Et licet Veterum plerique scripsent graves esse ægritudines, & Paulus, Aetius, ac Serapion morbos fecerint incurabiles, hi tamè nunquam lethales appellarunt, sed solum difficillimæ Curationis; undè Celsus foedas quidem illas nuncupavit, minimè vero periculosas. Fient autem solum deteriores, cum in ulcerâ desinunt, & præter Cutis lassionem, interius pervadunt, & viscera inficiant. Nec tamè aliter contingunt Vere, quam aliae ægritudines cutim sufficientes, à repurgati scilicet sanguinis in Cutim transpositione.

Nec aliâ de causâ prodeunt Verno tempore pustulæ ulcerose, videlicet cum inquinamenta sanguinis in Cutim delata, ibidem hærent, falsam, acre, acidamve conditionem præferentia; undè simili Cutim foedent, & ulcerent. Quamobrem diversitas harum omnium cutanearum affectionum tota erit à diversa Cutis, & vitiatis sanguinis conditione; ut propterea acidus, austerus, crassusque humor in densiori cute Lepras; Impetigines vero, & Vitiligines, tenuis, & acer; falsus denique, & erodens, in Cutis rariori, pustulas ulcerosas excitat.

Ve-

Verisimile autem admodum est : hasce sanguinis superfluitates, priusquam iad Curim tamquam ad universale Corporis emunctorum deferantur ; & simul cum sanguine in venis, & arteriis, continentur, non tantæ esse prævitatis ; nam si fortasse ejusmodi vitium interius referrent, fieri nō posset, quia viscera inficerent, & febres, inflammationes, cæterasque graviores ægritudines excitarent ; unde credere est hujusmodi gravitatem contrahere, cum ad habitum Corporis eruperint, ambientis Aëris potissimum alteratiope, atquæ succorum in glandulis subtercutaneis mistione : tunc enim hærentes alienam induunt naturam, coagulationi, & corruptioni subjiciuntur, atquæ à perspirantibus halitibus exagitatae, extraneas, inconvenientesq; fermentationes subeunt, degenerantque in fermenta undequaque virtute dissentanea, & molesta ; quò sit, ut ardorem, dolorem, & pruritum afferant, præsertim à pastu, & ex motu, vel cum aéri calido Corpus expomitur.

Tuberculæ deniq; & Articulorum dolores, fiunt pariter Verno tempore, abscedentibus ad cætim, & artus, iisdem excrementosis humoribus à sanguine, qui si serosi fuerint, magisque fluxiles, dolores ; si verò crassi, & consistentes, tumores affrent.

Nè autem hæc damna male affectis istiusmodi Corporibus ingruant, præstabit statim ineunte Verte, sanguinem ab ejusmodi inquinamentis repurgare, iis præsertim medicamentorum generibus, quæ dia-phoresim blandè movere apta sunt, sed & per reliqua Corporis emissaria crassiores succos promovere: in quam rem potissimum conferre consueverunt, quæ ex Viperarum carnibus cōficiuntur sitemque ex C. C. Antimonio diaphoretico, ejusque cerussa, Chalybe,

cæterisque, præter ea, quæ per alvum, & vias urinæ educendo, opportuniora videbuntur. Quod si jām mala ista accesserint, proderit speciatim ad Insanias, Melancholias, cæterasque melancholicas affectiones Veratri usus: Ad profluvia sanguinis Vitriolum, spiritu, & oleo orbatum, atquè externè ad calcis formam redactum: Ad Impetigines, & Vitiliges præter diaphoretica, quidquid ex sulphure præparatur; Ad Lepram, & Elephantiasim, omnisque generis pustulas, Vinum Viperinum, ac mistura Alexipharmacæ ex Carnibus, Cordæ, & Hepate eaurumdem Viperarum concinnata, extrinsecus vero aqua Calcis, & Cerusse stibii, descriptione Angeli Salæ. Alia plura ad idem facientia peti poterunt ex nostra Praxi jām pridem in lucem edita.

### APHORISMUS XXI.

Aestate autem nonnulli horum, & febres continua, & ardentes, & tertiane febres, & quartane, & vomitus, & alvi profluvia, & lippitudines oculorum, & aurium dolores, & oris ulcerationes, genitalium putredines, & sudores.

**P**rorogreditur Hippocrates æstivas degitidines enarrare, illasque ait partum Veri convenire, partim proprias, & peculiares Aestatis esse; quare initio hujus inquit: *Aestate autem nonnulli horum*. Quinam autem isti morbi sint, non explicat. Verissimile tamè videtur eos esse, qui majorēt retinent analogiam cum æstu illius tempestatis, atquè ab humoribus pendere possunt tenuioribus, & acribus

bus, ut sūnt profluvia sanguinis, impetigines, pustulæ, ulcera, anginæ. Sanguis etenim, vel tenuior redditus, vel acrior, facilè per Aestatem venas aperire, cutim ulcerare, & musculos gutturis, ac faucium inflammare potest.

Prætèr hos, fieri etiā Aestate ait febres continuas, & ardentes, & tertianas, non quòd reliquæ adhuc febres in Aestate fieri nequeant, sed quòd hæ potissimum, à vehementi æstu illius Tempestatis. At undè tres hic relatæ febrium species intè sese differant, disquirere supervacaneum non erit, cùm distinctis nedùm nominibus, sed & proprietatibus, atquè effectibus, illas experiamur.

Galenici febres Ardentes, & Tertianas, tūm continuas, tūm intermittentes, loco solùm differre ajunt, materiā verò omnino convenire: quippè bilem, quām in venis collocant, & naturalem appellant, communem harum omnium febrium materiam, cùm putruerit, constituunt; verùm si in Venis majoribus, & circà præcordia, Ardentem; si in venis minoribus, aut earumdèm apicibus, Tertianam continuam; si demùm extra venas diffusa in habitu Corporis putredinem contraxerit, Tertianam intermittentē pariat.

Verùm hæc Recentioribus nō probantur, qui plurimi rationibus, atquè experimentis, evictam, falsamque demonstrarunt hanc de quaternario humorum intrà venas numero doctrinam: & si qui unquam in venis, venarūmque apicibus putreficeret, vicissim per arterias circumiret, & universum sanguinem inficeret; imò adhuc è Venis minoribus in majores immitti oportet, ut Cor prætèr naturam alteraret; Sed & nequè bilis ista intrà venas putreficens possit unquam ad habitum Corporis, alióve extirpandi sinè vasorum disruptione, atquè in-

ingenti sanguinis effusione. Quæ præterea de fuligibus putridis, effumantibus ad Cor, ipsi commentantur, vana omnino sunt; nam si putridæ, essent, excurrendo per venas, sanguinem, reliquosque humores inevitabiliter inficerent, perenni cum iisdem societate; quiù improbabile prorsus est, unum humorem intrâ venas putrescere, cæteris una simili commixtis non æquè in putredinem adactis, præser-tim cùm pituita, vel melancholia in Quotidianis, & Quartanis febribus putruerint, immunibus interea à putredine bile, & sanguine, ad illam contrahendam aptioribus. At de hac re fusiùs egimus in tractatu de Febris, ubi ad fermenta, fermentationemque variam in sanguine inductam omnia retulimus. Illud autem nunc hisce tribus febrium speciebus hoc loco ab Hippocrate memoratis commune videtur, quod acridinem in sanguine inductam consequantur, per quam facilimè is ad fermentescendum disponitur, undè postmodum ardores, inquietudines, sitis, vigilæ, insomniæ, perturbata, deliria, vomitus, cardialgicæ, diarrhoeæ, aliisque id genus oriuntur.

Atquè hinc est cur Aestate potissimum eveniant, cùm scilicet Aeris æstu attenuantur humores, sanguinis motus celerior fit, aquei liquores per sudorem uberrimè egeruntur, adeoque in cunctis humoribus facilis commotio, ac fermentatio concitatur, cum acritate, ac sulphureâ quadam inflammabilitate, quam sèpissimè istiusmodi febres tertianæ, & ardentes comitantur, stipatæ symptomatis idipsum omnino attestantibus.

At mirum fortasse videbitur, cur Hippocrates inter morbos æstivos Quartanas febres referat, quas idem sequenti Aphorismo cum Autumnalibus junxit.

Et

Et quidem plerique Interpretates expungendas esse arbitrantur, quod neque in antiquis exemplaribus, nè apud Theodorum Gazam fidissimum, diligenter tamenq; Expositorem, nè etiam apud Galenum in hoc Aphorismo memorentur. Sed & neque Celsus hanc eamdem sententiam interpretatus Quartanarum meminit. Quamobrem non immerito perperam adieetas hoc loco illas existimant. Verum cum idem Auctor 2. Aph. 25. astivas Quartanas scripsit magnâ ex parte breves esse, atque experimentis innumeris compertum habeamus plures per idem tempus vagari, procul dubio nil vetabit, quin etiam cum astivis agititudinibus illas connumeremus. Forte autem difficile visum est Commentatoribus ad astivos morbos quartanas febres referre, quoniam creditum ipsis est haec tenus, a solo humore melancholico, qui astate vigere non putatur, illas exoriri. At cum febres istae non ab humoribus, sed a periodis, quas servant, sint desumptae, planè poterunt omnes ab omnibus, & singulis humoribus depravatis, ad certum tam tempus cumulatis, ac fermentescientibus, progigni, ut alias a Nobis est demonstratum; sed enim, Hippocratis astate, maximus error erat velle a succis febres periodicas determinare, cum tum in confessu cunctis esset ab uno, eodemque humore, quascumque febres profici; unde ab eodem Hippocrate proditum est omnes febres a bile fieri, diversimodè tam affecta.

Vomitus Astate faciles esse solent, tum quia Vetriculus eo tempore gravari solet excrementis ex malâ ciborum digestione cumulatis, ab fermentis dissolventium hebetudine, tum quia male confectus, degeneratusq; chylus, in acres, fastidientesq; humores versus, infensa quadam oleositate Ventriculum

culum nauseā, & subversione afficit, atquè ad vomendum lacefit, cuius indicio est oris amarities, sif-  
tis, ciborum fastidium, & quædam stomachī laxitas, ac molesta perturbatio; undè prompta, & facilis vomitio. Quid si fortassis succi isti vel sponte suā defluant, vel adigente Ventriculo per fibras in Pylorum, & Intestina protrudantur, eversis unā simūl humoribus ē ductu Pancreatico, & Cholidoco cōdēm confluentibus, alvi profluvia contingunt, quæ hīc græco nomine diarrhoeæ specialius appellantur; idque potissimum, cūm alimenta labiliora fuerint, vclutī fructus horatii dicti, qui fermenta ipsa pervertant magis, ac diluant, atquè intestina laxent, indēque facillimē secessus moveant. Sed tamēn æstivo tempore biliosæ superfluitates ē sanguine copiosiores cumulantur, atquè in Cystim, & cholidochum deducuntur, itēmque liquor Pancreaticus acrior, & tenuior esse solet, qui & potentius exsolvit, & vehementiorem cum felleo humor fermentationem excitat, & acrius quoquè intestina ad motum peristalticum proritat; undè nedūm diarrhoeæ, sed etiām dysenteriæ, atquè cholerae, aliisque similes egestiones inferri possunt.

De Oculorum lippitudinibus res est evidens, quod sēpius in Aestate vagentur, à nimio Aeris æstu, à pulvere, à lumine tunc confertiori. Num autem humidæ, vel siccæ hīc intelligantur, nonnulli ambigunt. Et quamvis de utrisque sermo videatur habitus, cūm ab æstu siccæ, atquè à defluente in oculos liquato per calorem seroso humore humide dici possint, quiā tamēn Hippocrates alibi siccas expressit, hīc reticuit, videtur humidæ voluisse notare, nām cūm illas maluerit intelligere, siccas semp̄r lippitudines in Aphorismis adjecit. Sed tamēn

mēn opinari licebit, tūm humidas, tūm siccas hocē loco consideratas, ut potē indefinitē sumptas: humidas quidēm in obesioribus, & succiplenis; siccias verò in picrocholis, & gracilibus.

At major difficultas est de Aurium doloribus: siquidēm hi potius Hyemis, quām Aestatis ægritudines videntur, quemadmodūm idem Hippocrates anteā retulit: quippè hujusmodi dolores à delabentibus ē Capite in aures excrementosis humoribus progigni solent, qui cùm Hyeme potissimūm superabundent, & Caput oppalent, non videntur propterea æstivo etiā tempore prævalere, in aures deferri, & dolores incutere: quòd si non minùs Hyeme, quām Aestate vigeant, & ejusmodi mala pariant, profectò nullum tempus ab hac aurium molestia immune erit, cùm cæteroquì æstivum tempus vim habeat quascumq; serosas superfluitates, saltēm per sudorem, absumendi. Verūm Aurium dolores cùm variii esse possint à varietate delabentium humorum, poterunt quoquè aliis anni temporibus inferri. Hyeme namquè, & in Constitutionibus austrinis à lymphā Caput gravante, aures dolebunt, dolore tamē obtusiori, undē etiā subsurditates fieri anteā notatum est; At verò Aestate, dolores pungentes, & acerbiores accident, ab humoribus tenuioribus, & acrioribus illati: modò hos aures petere manifeste docuit Hippocrates 4. Aphor. 28., inquiens: *Quibus biliosæ sunt dejectiones, bæ superveniente surditate cessant; & quibus surditas adest, supervenientibus biliosis dejectionibus, cessat.* Et iex. 60. ejusdem libri: *Quibus in Febribus aures obsurduerunt, sanguis ex naribus fluens, aut alvus turbata, solvit morbum.*

Oris exulcerationes fieri etiām possunt Aestate;

Par. II.

Q

vel

vel ab illabente sero tunc temporis acriori , vel à consimili salivarii roris vitio , vel ab halitibus è Ventriculo malè affecto elevatis , vel etiā à molestis acrium, & erodentium succorum vomitionibus, quibus non raro & os , & fauces , & guttus , & dentes graviter offenduntur .

Genitalium putredines hic memoratæ , exponuntur à quibusdam pudendorū ulcerationes , ut pubis similis , & sedis , adjacentiūmque partium vitia denotentur . Illæ autem non solum fieri possunt propter decubitus humorum acrium ad eas partes , sed etiā ob sudores , surfures , egestionēsque alias per cutim æstivo tempore frequentiores , quæ nisi convenient *v. Hipp. tēr abstergantur , & repurgentur , procūl dubio pu-*  
*3. Epis. stulas , & putrefactiones afferent , humidā præfer-*  
*dem.* *tim , & austrinā constitutione ; cūmque hujusmodi.*  
*conf. 3.* *mala pudendis accidant ab iterato sudore , proin-*  
*dè addit Hippocrates in textu Sudores : Et qui-*  
*dèm hi , peculiares sunt ejus tempestatis evacua-*  
*tiones , à tenuitate similis humorum , & à majori*  
*pororum Cutis laxitate . Nequè verè simplices su-*  
*dores intelligit , sed pustulas quasdam , quæ per id*  
*tempus à mordacibus sudoribus in cute erumpere*  
*solent . Græcè enim scribitur ῥημα , latinè sudamina ,*  
*quæ pustulæ sunt tenues , & rubræ per totum*  
*corpus dispersæ , aqueā materiā sudoris emulâ re-*  
*pletæ , & non raro ardorem ingentem , ac pruri-*  
*tum molestum afferunt . Oriuntur à lympha , vel*  
*à sanguinis sero acriori , falsilagine muriaticâ prædi-*  
*to , ambientis Aëris æstu attenuato , atquè ad habi-*  
*tum Corporis transmisso .*

Cæterum , quæ alias ad fugandas febres à nobis sunt recensita , hic in usum revocari poterunt , ut ipsi per Acutatem imminentibus occuramus : præ-  
pri-

primis autem repurgato sanguine, correctisque fermentis viscerum, unde ejusmodi labem exoriri suspicio est. Nec dissimiliter in ceteris ægritudinibus hoc Aphorismo memoratis operandum, cum omnes ab eodem fonte profiscantur. Cumque haec ex alibi dictis notissima sint, non est ut longius in iis enarrandis immoremur.



## APHORISMUS XXII.

*Autumno verò plurimi astivi morbi fiunt, & febres Quartanae, & Erraticæ, & Lienes, Aquæ intèr cutem, & Tabes, & Stillicidia Urinæ, & difficultates Intestinorum, & lœvitates Intestinorum, & Coxendicum dolores, & Anginæ, & Asthmata, Volvuli, Morbi comitiales, Furores, Melancholia.*

**S**icut in Aestate dixerat nonnullos Vernos morbos eo tempore contingere; ita nunc plurimos æstivos adhuc Autumno fieri asserit. Et quidem credibile est eos Autumno etiam evenire, potissimum intèr illius initia, qui propter communem utriusque tempestatis, desinentis scilicet, & incipientis, habitudinem, maximam cognationem habent, & eorumdem succorum vitia conlequuntur, veluti sunt Tertianæ febres, cum continuæ, cum intermittentes. Sed præterea recenset speciatim Autumno vagari Quartanas febres, & Erraticas, & Lienes, nimis tumefactos, & obstructos, Aquas intèr cutem, græcè Hydrôpes, Tabes, Urinæ Stillicidia, lœvitates, & difficultates Intestinorum, aliásque.

De Quartanis febribus nulli dubium est, quòd intèr autumnales ægritudines sint recensendæ, cùm ab acidis, tartareis, scù melancholicis succis progeni perhibeantur, qui Autumno vigere solent. Erraticæ etiàm febres ejusdèm tempestatis peculiares dici debent, tùm quia Autumrus ob sui inæqualitatem heterogeneorum succorum causa est, qui variè, differenterque corpora inficiunt; tùm etiàm quia humores ex præcedenti Aestate ad Cutim commoti, atquè sudoribus exsoluti, Autumno detinentur, ac sparsim per membra Corporis diffusi, inæqualiter illorum fermenta, & sanguinem ipsum alterant, ideoque Erraticas pariunt ægritudines. Dicuntur autem febres Erraticæ, quæ certam periodum, & eundem invasionis modum non servant, sed modò diebus singulis, sed diversis horis, modò alternis, & interruptis adoruntur, & ægros affligunt, aliquando noctu ingravescunt, interdiù quandoquè, nonnunquam cum rigore, aut horrore, aliquando sine illo, modò his, modò aliis symptomatis stipatæ, de quibus scripsit Hippocrates lib. de rat. vici. in acutis: Inconstantes, & erraticos morbos curare non expedit, priusquam constiterint: idest, certâ lege, & periodo invadere cœperiat.

His plerique adjungendas esse contendunt febres illas, quæ Quintanæ, Sextanæ, & Septimanæ vocantur ab eodem Hippocrate i. Epidem., moti auctoritate Galeni negantis ibidem Quintanas, Sextanas, & Septimanas febres, easque ex accidenti tantum haberi posse, putà cùm quis ex periodica febre convalescens, ob errorem in virtus generis commissum, febrem Ephemeram incurrat, quæ ab ultimâ accessione febris periodicæ distet intervallo quin-

quinque, sex, autem septem dierum, unde possit quinta-  
tana, sextana, autem septimana appellari. At vero  
isti longe, laterque falluntur: Etenim Hippocrates  
non febres ibidem ex accidenti, & irregulariter in-  
ductas describit, sed periodicas, & ordinatas, il-  
lásque veluti sæpius observatas memorat; Erraticas  
vero febres haudquaquam convenire posse cum  
quintanis, sextanis, autem septimanis, inter periodi-  
cas ab eodem Hippocrate relatis, evincitur claris-  
sime ex Celso, qui erraticas, incertas vertit, quae  
scilicet nullum statum tempus, nec ullum accessio-  
num, & remissionum ordinem servant, quemadmo-  
dum habent periodicæ. Error autem istorum indè  
ortum habuit, quià putarunt cum Galeno à diver-  
sis specie humoribus periodicas febres distingui, pu-  
tata Tertianas à bile, Quartanas à melancholia, &  
Quotidianas à pituita, cum tamè potius à reditu,  
& circuitu, quem referunt, tales appellandæ sint.

Lienis tumores à restagnante ibidem sanguine  
acidiori, ac melancholico fieri, apud omnes in-  
confesso est; unde lienosi colore livescunt, ventre  
tument, sinistro præsertim hypochondrio, reliquo  
Corpo macrescunt, & in cunctis operationibus  
hebetes evadunt: Hinc notavit idem Hippocrates  
*lib. de loc. in hom. eo vivaciores, salubriorésq; fieri*  
homines, quo lien magis detumuerit, & mole fue-  
rit imminutus; at contrà valetudinarios esse, quibus  
increbruerit; quamobrèm Alciatus illum compara-  
vit Fisco, qui alienis opibus ditescit, inquiens,  
*lib. 2. Embl. 97.*

*Splene aucto, reliqui tabescunt Corporis artus:*  
*Fisco aucto, arguitur civica pauperies.*

Sed unde id accidat, difficile est determinare.  
Qui illum cum Jecore sanguinis officinam credide-  
re

*V. hisfor.*  
*Cleansa.*  
*Etidis 1.*  
*epidem.*

re, plus justo per ramum splenicum chylum Hepati subtractum ad se trahere arbitrantur. Thomas Bartholinus, acidum sanguinem fermentatim reliquo Corpori detrahere putat, indéque maciem universalem exoriri. At existimaverim Ego vicissim sanguinem, & lienem infici crassitie, & acore, eoque veluti inutili corpus non ali, sed potius coinquinari, ac macrescere; hunc verò obstrui, & tumefieri.

*Fr. in.  
Epist.* Eximi cœpit nūnc ultimò Lien è Canibus in Anglia; & Bartholinus in *Anatome Renov.* refert se ejusmodi extractionem felici cum successu vidisse institutam corām Friderico III. Rege Danorum, animalibus exindè superstibis sanis, & agilibus. Lienes etiām è Canibus exemptos vitâ superstite testatur Barbette *prax. lib. 3. c. 10.* In Vetera etiā splenis scirrho laborante tentatam fatetur Leonardus Fioravante, quæ supervixit, atquè aliam memorat Clerkius in *Rustico quodam apud Bonetum Med. sept. tom. 1. l. 3. f. 20. c. 12.* Fabulosam nihilominus illam putat idem Bartholinus in hominibus, quippè qui subindè vasa plurima frangi necesse dicat, non sinè vitæ periculo: additquè inventam esse hanc fabulam à Plinio, & antiqua Erasistrati opinione, qui lienem frustrà animantibus à Natura inditum affirmabat, cùm quæ urinaria Vesicâ carent, liene quoquè sint orbata. At non video quâ ratione idipsum peragi non possit in hominibus, quod in ceteris animalibus actum ipsemet Bartholinus, aliqui fatentur, nisi solùm ex imminentí vitæ periculo ab infelici ejus operationis eventu: non etenim tam temerè licet humanum corium sequè, ac belluínū negotiari.

A tumoribus, & obstructionibus Splenis sœpè Hydrops

drops oritur , latinè Aqua intercus , cùm exindè v. Cet.  
 aqua intè cutem collecta tumorem efficiat, non 2. pregn.  
 rarò etiàm universalem , qui si digitis comprima-  
 tur, foveam relinquit. Veteres existimarunt aquam  
 hanc in Hydropticis colligi , àut vitio Hepatis in-  
 aquosum humorem chylum commutantis , àut ex  
 abundantiori melancholico Lienis humor , qui ab  
 Hippocrate sub nomine aquæ fuit pluriè indigita-  
 tus . Sed nuperrimis observationibus jàm innotuit à  
 lympha, è suis vasis relaxatis , àut diruptis, exiliente  
 provenire , quæ si in toto Corpore colligatur Ana-  
 sarcam , si in imò Ventre Ascitem , si in solo Ca-  
 pite Hydrocephalon , si in scroto Hydrocolem, atq;  
 alibi , alias hydroœpides particulares pariat ; Cúmq;  
 vata ista plurima per Jecur , & Lienem diffundan-  
 tur , propterea sit, ut ex illorum affectionibus sæpe,  
 sæpiùs Hydröpes orientur .

Quòd Tabes in Autumno plerumquè contingat,  
 superius quoquè notatum est ; imò quòd eo tempo-  
 re tabidi malè se habeant, & periclitentur, docuit hoc  
 eodem libro Hippocrates . Videtur autèm macies  
 tunc fieri sensibilior , quoniàm ob temporis inæqua-  
 litatem sanguis per Pulmonem trajectus diversimo-  
 dè afficitur , & iteratis Aëris vicissitudinibus perpe-  
 tùm alteratur , atquè à blandâ suâ indole , partibus  
 nutrientiis amicâ , non parùm declinat . Sed & hu-  
 mani Corporis habitudo , non minùs ac cæterorum  
 viventium , cå anni tempestate , non leviter permu-  
 tatur ; tunc quippè quemadmodùm Arbores , & Pla-  
 tæ universæ defrondent , ac veluti succo nutritio  
 privata , contabescunt ; ità pro modulo suo huma-  
 na Corpora nutricionibus deficiunt , eaque potissi-  
 mùm , quæ gracilia sunt , & sanguinem sunt nacta  
 morbosiorem , vel saltè minus defæcatum ; Atqui  
 lon-

longè graviùs degunt, qui tabidi sunt à Pulmonis vitio, ut anteà fusiùs ostensum est *Aphor.* 10.

Stillicidia Urinæ, græcè stranguriæ, frequentèr Autumno inchoant, & frequentiùs quoquè exasperantur. Cùm enīm hæ ab humorum in illos ductus confluentium acritate, aut ab ulcere ibidem contracto, aut etiā ab angustiâ, tuberculis, calculis, arenulis, glutinosisque succis inductâ, procedant, sanè per Autumni tempus, quo hæc omnia increscere solent, vel incipiunt, vel augescunt.

Referuntur insupèr intèr ægritudines Autumnales difficultates, & lèvitates Intestinorū, quæ licet oppositis de causis evenire videantur, ut propterea à Celso lib. 2. cap. 1., ac Theodoro Gaza, sint in expositione hujus Aphorismi prætermisq; Dysenteriæ, non tamèn eas simùl inferri credendum est, sed prout illæ diversis in Corporibus prævaluerint. Et quidem si in alvum superfluitates humorales per æstatem cumulatæ, atquè mòx Autumnali tempore compressæ, ac depravatæ, deponantur, orientur Dysenteriæ; si verò relaxentur viæ intestinorum, ac succi dissolventes diluantur, contingent Lienteriæ. Congestæ cruditates ab immodico usu fructuum, ab intemperatibus potationibus gelidarum aquarum, idque genus aliis, idipsum parere possunt, modò invertant, depravent, corrumpant, tūm fermenta Stomachi, tūm Intestinorum liquores, alimentorum dissolutioni, ac secretioni inservientes. Sed & difficiles, ac dolentes egestiones non raro insequuntur fæcum dutiæ, atquè viscosos, hærentesque succos velliante acore molestos, ut in Tenesmo, qui Autumnali præsertim tempore ab iisdem suprà memoratis Causis fieri consuevit.

Coxendicum dolores, græcè Ischiades, inferri di-

cun-

cuntur à luxatione ejus articuli, quo Ischium cum Ilio jungitur: luxationem autem hanc efficiunt crassi, glutinosique humores, qui in cavum juncturæ horum ossium inseruntur, & Ischium præsertim, seu Coxam in sensu, motuque divexant, & membranas circumvestientes nervulis ferè innumeris refertas acerbissimo dolore excruciant. Solet etiam non raro insequi vitium depluentis succi in medullarem Ischii substantiam, qui membranulam circumambientem vellicet, & compungat. Non semel quoquæ observatum est dolorem hunc oriri ab affecto peristio, quo deinde siderato fit, ut coxa universa sensim Paralysem, & totius cruris Tabem incurrat.

De Anginis nil est aliud, quod hic repetamus; cum de iis alibi à nobis actum sit. Solùm adnotare juvabit, progigni illas Autumno partim ab ambiente Aëre inæqualiter affecto, & gutturis, ac faucium musculos exasperante, partim etiam à dentis halitibus, qui ad organa vocis potissimum delati inflammationem, & tum deglutitionis, tum respirationis difficultatem pariant.

Si verò decumbant humores in Pulmonem, ac ductus Aëris impedian, graventq; suâ corpulentiam spongiosam, raramque ejus visceris substantiam, Asthma exoritur, seu creber anhelitus, gravior tamèn, vel levior, pro majori, vel minori ejusdèm infarctu. Videlur autem hoc loco Hippocrates eam solummodo speciem designare voluisse, quæ difficilem quidem efficit spirationem, sed absq; multo conatu, & ronchis, ut accidit in Orthopneæ; quamobrèm non immerito usus est nomine Astmatis, quamvis Cardanus anhelationes exponat.

Volvuli græcè Ilci, ab Intestino Ileo, & Volvulos quod speciatim in his affici putatur, morbi sunt, in

quibus nil per alvum egeri potest, sed fæces sursum, inverso motu peristaltico, delatae, per os excernuntur. Quamquam Hippocrates in Epidemiis memoret fœminam quamdam volvulosam modicos quoslam secessus habuisse, eorum fortè humorum, qui postrema intestina occupaverant. Frequentiores causæ hujus affectionis esse consueverunt inflammatio Ilei intestini, aut circumstiti Mesenterii; duriora plus justo excrementa, glutinosisque succis referta; atquè ejusdèm Intestini convolutio, vel delaplus. Modò, quæ ex his Autumno sèpius accidat, videatur à fæcibus constipatis, compactisque succis oris undè etiàm delabi, & contorqueri queat Intestinum.

Comitiales Morbi per idem tempus fieri dicuntur à Galeno propter Aëris inæqualitatem, quæ maximè apta esse solet tūm ad debilitandum Caput, tūm ad heterogeneos humores inducendos, præsertim melancholicos, & acidos; undè illi plerumque excitantur. Hinc Hippocrates in Epidemiis inquit: *Melancholici sunt Epileptici, & Epileptici Melancholici: Et qui morbo sacro corripiuntur quartanâ superveniente liberantur, translato scilicet. vitioso humore è Cerebro in partes Corporis inferiores, atquè per febrim sensim absumpto.*

Eodem modò dici possunt progenici Furores, & Melancholiæ, quæ ægritudines sunt valde Melancholicis familiares, in quibus acidum adeò prævallet, ut sèpenumerò ad Timorem, & Mœstitiam cuncta conspirent.

Ne autem mala ista ingravent, oportebit statim ac opportunum tempus incipientis Autumni tulerit, Corpora his obnoxia ejuscemodi superfluitatibus repurgare, atquè salubriori, temperatiorique vista ale-

alere: Quocircà ex Hippocrate Galenus Comm. 47. 6. Aphor. commendat in iis, qui ægri futuri sunt, convenientem purgationem malè affectorum humorum, ut subinde prævertatur illorum malitia, atquè imminens, aut futurus Morbus prohibeat; Nequè solùm purgatione satis erit superabundantes vitiososque succos educere, sed & ultrà opus erit relictum fortassè in sanguine, aut viscerum fermentis vitium emendare, usū præsertim medicamentorum acido, Autumno vaganti, occurrentium, qualia sunt, quæ ex chalybe conficiuntur. Postquam autem Morbi advenerint, oppugnato iis, quæ in nostra Praxi sigillatim sunt recensita.

## APHORISMUS XXIII.

*Hyeme verò Morbi laterales, & Pulmonis inflammations, Gravedines, & Raucedines, Tusses, dolores pectoris, laterum, lumborum, & Capitis Vertigines, & Apoplexia.*

**N**UM in hoc etiā Aphorismo intèr morbos hyemales referendi sint nonnulli ex Autumnalibus, quemadmodum in cæteris Anni tempestatibus anteà notavit Hippocrates, valdè dubitat in Comm. Gal. Sed parum refert, siue ex communī voluerit, ut ipsemet subdit, hoc quoquè in loco Nos subaudire dictorum aliquid; siue simpliciter pronunciare, tanquam nihil autumnale tempus cum hyemali communicet. Verum enim verò voluit solùm hinc ægritudines hibernas referre, quæ frequentiores, urgentioresque esse solent, omissis aliis, quæ

communes forent, & tacitè subintelligi viderentur.

Primo autem Pleuritides, seu Morbos laterales recenset; modo addit dolores pectoris, & laterum, ne quis putet, cumdèm morbum sub diversis vocibus inutiliter repetitum significare. Et quidem morbos laterales hic intelligi propriè pleuritides, græcus Codex manifestè declarat; laterum vero & pectoris dolores solummodo ad musculos, & partes externas Thoracis pertinere putandum est, cum non raro doleant solum Costæ, & partes exteriores pectoris citrè inflammationem, à solo confluxu serofioris lymphæ in glandulas ejusdem subtercutaneas, vel etiam ab impedita perspiratione. Addit insuper Pectoris, & laterum, desumptâ nimis differentiâ nominis à loco potius, quam à naturâ ægritudinis, quoniā aliquando dolent partes Thoracis anteriores, quas pectus appellamus; quandoque vero latera, & partes ejusdem posteriores, scapulæ, dorsum.

At unde Morbi laterales, qui inflammationem præferunt, hyberno tempore algido contingant? Protectò eos progigni fatendum ab impeditis, detentisque halitibus, qui cum pectoris internas partes ab inspirato frigido aëre non leviter affectas, potissimum invadat, propterea Pleuritides, & Peripneumonix subriatur. Accedit, quod hyemali tempore sanguis consistenter sic, atque glutinosus, acidisque succis infectur, qui exiles, angustisque pleuræ arteriolas pervadere nequeunt, facile in his hærent, & inflammationem inducunt. Eadem ratione Pulmonis Inflammationes per idem tempus accidunt, atque eo magis, quo Aër impurus, & nitratis vaporibus fertus ejusmodi consistentiam in sanguine adjuverit, transitu per pulmonis vasa habito, ubi Aër cum illo

illo commiscetur, observatione Lovverii.

Grayedines, & Raucitates Hyeme potissimum vagari notissimum est, tūm à serosis humoribus tūnc vigentibus, tūm ab humidis, & austrinis Aëris alterationibus, Cerebrum, cunctasque glandulas gravantibus, ut alibi etiā notavimus. Cūm verò non solum Caput asperæ Arteriæ, sed etiā bronchia, & Pulmo ipse immodecè irrigantur, quinid (ut sàpè evenit) quodammodo obstruuntur, Tusses quoquè fiunt, & Anhelationes, aliæq; pejores Pectoris, & Pulmonis ægritudines.

Quod si humores isti, vaporésque internam pectoris partem non occupent, sed potius externam, quæ Costis adjacet, dolores afferent laterum, & lumborum, læsis nimirum musculis ibidem dispositis; cùmque partes istæ mutuo communicent inter se, propterā sic ut non raro simulata compatiuntur, quare ægrotantes ipsi indiscriminatim de dolore dorsi, scapularum, laterum, & lumborum conqueruntur, & vicissim unum pro altero accusant.

Non dissimili modò Capitis dolores fiunt, cùm humores, vaporésque, meninges Cerebri, aut pericranium afficiunt. Multoties autem Catarhos prænunciant: quippè ii primùm in Capite cumulantur, mòx alias partes petunt, & alias, diversasque affectiones, pro partium affectarum diversitate, parturiunt.

Vertigines demùm, & Apoplexias antea quoquè retulit Hippocrates evenire ex constitutionibus Austrinis, & pluviosis, quæ cùm potissimum hyemalī tempore contingent, non mirum si illæ intèr hibernos morbos hoc loco recenseantur. Adjectos quoquè legimus in græco Codice Lethargos, quos

non

non dissimilitèr oriri per easdem Austrinas Hyemis constitutiones palam unicuique est. Et licet Galenus in hujus Aphorismi Commentario illorum non meminerit, hanc eamdem tamèn Hippocratis sententiam referens 8. de plac. Hipp. & Plat., cum gravedine, raucitate, & tussi, lethargos etiam connumerat.

Hybernis modò hisce calamitatibus præcipue occurremus indictâ victus ratione, quæ cumulatas fortasse humidas superfluitates, atquè inductos jam crassos, acidosque succos diluat, & absument; itemque exhibitis medicamentis alkali volatili predit is, quæ unasimilis valeant Viscera, & præsertim Cerebrum roborare, sanguinem vividiorem reddere, crassos succos attenuare, atquè per suos ductus, prout res ipsa exigere videbitur, deducere. Hac sanè ratione plures catarrhis obnoxii salubrius Hyeme, quum frequentè ægrotare consueverant, in posterum degérunt, quam Aestate.



### APHORISMUS XXIV.

*In Aetatibus autem talia contingunt: Parvis, & nuper natis Puerulis, oris ulceræ (quæ Aphæ vocantur) Vomitus, tusses, vigiliae, pavores, umbilici inflammationes, aurium humiditates.*

**A** Morbis Anni temporum, ad eos transit Hippocrates, qui ætatibus contingunt, & in iis ordinem, ac doctrinæ connexionem præ certis servat. Distinguit enim illas in septem, ac primam, quæ Infantilis dicitur, ab ortu ad septimum mensum, cùm pueruli dentire incipiunt, ob-

no-

noxiam ait Aphthis , vomiti , tussi , vigiliae , pavoribus , umbilici inflammationibus , & aurium humiditatibus , non quod his solum , sed quod praeceteris ; Quoniam a subita mutatione , quam nuper nati subire coguntur , cum Aeris , cum alimenti , necessere est sanguinem , aliisque liquoribus , & Viscera universa quadantibus alterari ; unde ejusmodi ægritudines prodeant .

Aphthæ illis accidunt , vel a lacte acri , & salso , vel a sero , & lympha per ductus salivarios in palatum delabente . Sunt namque Aphthæ oris ulcuscula , que palatum , linguam , & fauces non raro exedunt , si praesertim diutius serpent : albican , & multoties totum oris cavum occupantes , suctioni impedimento sunt , & nisi citè succurratur , mortem inferunt . Solent etiam subsequi gallicam a parentibus , & nutricibus contagionem ; & quandoque etiam ex hac lue infectorum osculis , amplexibus , halitu , proficiunt , cum tenellæ infantium Carnes facilè quacumque de causâ infici possint . Neque verò solum Pueris , sed etiam adultioribus illas accidisse compertum est , adhuc venenatas , contagiosasque , & Hippocrates 3. Epidem. memorat viguisse olim quasdam Aphthas deleterias , & contagiosas a pestilenti constitutione .

A lactis etiam vitio Vomitus expissime Puerulis accedit , vel quia in ventriculo aescit , & coagulatur ; vel quia sero abundans fibras laxat , atque adeò ad vomendum lacefit . Potest prætereà è Vermibus vomitus inferri , sicut etiam a Ventriculi lâguore , cum non raro qui diù frigido Aeris expositi fuere , vomitionibus corripientur , quiq[ue] lac suerunt a Nutricibus cibos fastidentibus , aut peraram pastis , ob malam esculentorum conditionem .

Ab

Ab Aëre tusses sunt: cùm enim recens in lucem editi Aërem inspirent inæqualiter affectum, & plerumquè frigidum, non mirum si tussi corripientur, quòd si fortassis, præter Aëris alterationem, delabantur etiā serosi humores in Tracheam, & bronchia Pulmonis, non solum Tussis orietur molestior, sed etiā periculosa, à qua facilè pueruli suffocari possunt, cùm nequeant sufficienter extubare, & excreare; quamobrè, stagnantibus humoribus in Pulmone, facile opprimuntur, & suffocantur.

Vigiliæ accidunt puerulis, vel causâ Tussis, vel ob Ventris tormenta, quibus plurimùm obnoxii sunt, vel propter immodicas egestiones ex corrupto lacte progenitas, quæ illis non levem molestiam afferunt, vel ob easdèm retardatas, ac diminutas, undè Intestina distendantur, & dolorem excitent. His accedunt etiā, quæ ab Umbilico recentè exsectoriis accidunt; quippè in eam partem quandoquè sanguis irruit, ichores confluunt, & tumefaciendo non raro Exemphalon inducunt. Non tamèn vigiliæ istæ diuturnæ admodum erunt, quemadmodum in Adultioribus, & Senibus, sed solum comparatae ad statum, conditionemque illius ætatis; siquidè pueri proclives sponte naturâ sunt ad somnum, ut propterea majorem temporis partem dormiendo consumant. Cùm ergò à consueto, naturalique statu recessum faciunt, vigiles dicuntur.

Pavores proprii sunt illius ætatis. Cùm enim pueruli insueti sint, commotiones, strepitus, aliásq; perturbationes pati, quacumquè proinde de causâ percelluntur, contremiscunt, & pavent. Quòd si à lacte in Ventriculo, aut Intestinis corrupto, vel coa-

coacto, ac ferè in caseum verso, originem trahant, profectò compunctiones præerunt, unde non solum pavores, sed etiā motus spasmodici, atquè Epileptici subsequentur, aut solā per fibras nerveas percusione, aut etiā infensā per easdem evaporatione in Cerebrum perlatā.

Umbilici Inflammationes Puerulis quoquè frequētissimæ sunt, tūm ob nuperam umbilicalium vasorum resectionem, ubi sanguis facilè stagnat; tūm à vagitu, quo partes illæ intumescunt, & inflammantur. Sed & non raro vasa ipsa relaxantur, & sanguinem effundunt, non sinè vitæ periculo; quamobrem Obstetrices statim à partu arctè illa vinciunt, & postquam fuerint rescissa pulv're coccineo, aliōve astringente inspergunt, ut sanguinem sistant, & inflammationem inhibeant.

Aurium humiditates sēpè etiā Puerulos molestant, Cerebro per eam ætatem laxiori, atquè humoribus tūm ex Aëre, tūm ex lacte, scatente. Notavit autem specialiter Hippocrates humidas Aurium sordes, quia reliquæ per nares, & os, sinè dubio ejusmodi sunt; quæ verò ex auribus prodeunt compactiores naturâ esse solent, & longè cæteris parciores. Nequè tamèn solum per aures, sed etiā per totum Caput, collum, & faciem serosa excrementa repurgantur, imo aliquandò nèc satis, ut & collig glandulæ non intumescant, strumarum instar, non sinè graviori malo.

Ut igitur ab his infantes præcaveantur, statim à partu coquicare unum olei amygdalarum dulcium simplici expressione eliciti, & saccharo rosato commisti sorbeant; mòx injurias ambientis Aëris evitent, deinde lac sugant à nutricibus sanis, opti-

mē altis ; sobriis , juvenibus ; hilaribns ; & bonē  
 constitutionis . Pr̄ferendum autēm semp̄r̄ foret  
 maternum, veluti magis analogum ei, quod intrā Uterū  
 saltēm ultimis diebus cessit illis in alimentn̄m: idque  
 nedūm ad Corporis salubritatem facere , sed etiām  
 ad mores , ostendere satagit Phavorinus ap̄ud Gel-  
 Lib. 12. lium . Indē enim ea pr̄sertim beneficia prodeunt ,  
 c. 1. quæ ē Colostro exsucto oriri palām est , quipp̄ est  
 hoc illis utilissimum medicamentum ad repurgan-  
 das universas Ventris fordes , inhibendāsque lactis  
 coagulationes ; undē tot , ac tanta mala Infantibus  
 contingunt . Sed quis unquām id vulgo , ac igna-  
 ris Medicis persuaserit ? hi enim primum lac ē má-  
 mis prodiens adeò nocuum existimant , ut pro ve-  
 neno habeant . Ceterūm omnia alia remedia aut̄  
 vana sunt , aut̄ nocua , pr̄sertim si interiūs  
 adhibeantur ; cùm tenelli pueruli nil quid-  
 piām aliud sufferant ore assumptum ,  
 quām purum lac ; quandoqui-  
 dēm Ventriculi fermentum nulli  
 alii , quām laeti dissolven-  
 do , tūm est aptum , per  
 mollem , laxām  
 que ejus æta-  
 tis constitu-  
 tionem .





## APHORISMUS XXV.

*In progreſſu verò , cùm jàm dentire incipiunt , gingivarum prurigines , febres , convulsiones , alvi profluvia , & maximè cùm caninos edunt dentes , & iis pueris , qui crassissimi sunt , & avos duras babent .*

**P**erquamque incipiunt dentire Pueri septimo mense ; sed tamèn & antè hoc tempus quoquè passim experimur , imò & quosdam cum dentibus intrà uterum progenitis proditse & vidi-  
mus nos , & alii plurimi fatentur ; unde dentatoſ illos dici refert Plinius . Hinc autem non reverà nasci dentes putandum , quasi verò post aliorum ossium structuram generentur , sed solum per eam ætatem erumpere , & conspicuos fieri , nimirum è maxillarum alveolis , in gingivarum fastigium productos ; quamobrèm has quodammodo perforari , ac lacerari contingit ; unde tantus dolor , cum pruritu , febribus , aliisque symptomatis . Indicio autem est mandendi aviditas , quâ nimirum anxii , & lac iteratō sugunt , & mammarum papillas mordent , & quidquid illis offertur , dolentibus gingivis apponunt , ut veluti à Natura edocti dentium eruptionem coadjuvent . In quam eamdem rem peritæ nutrices pastillos huic usui conferentes conficiunt , & dentientibus puerulis datâ operâ mandendos exhibent .

Aecidunt hoc eodem quoquè tempore febres ; sive quòd adveniant symptomaticæ à dolore , & inquietudine puellarum , sive ab impetu Naturæ , den-

Q 2 tium

lib. 7.  
c. 19.

tium eruptionem promoventis; sive etiam à permutatione fermentorum, quæ in cibos deinceps mandendos in Ventriculo accidunt; ut proinde fermentatione excedenti in sanguine inductâ febris oratur, quæ illius ætatis comes est indissolubilis. Situm enim incipiunt Pueri solidiores cibos exquirere, & mandere, planè fermenta exigunt valentiora, quæ illos conficiant. Hac propterea de causâ sanguis mutatur, felleus humor cumulatior fit, urinæ coloratores apparent, fæces compactiores, furfures abundantiores, innovati, permutatique Corporis argumenta.

Convulsiones, seu motus Convulsivi per hoc etiam tempus accidunt, vellicatis nimis Nervis à vaporibus, vel humoribus ex malâ lactis, aliorumque cilorum commissione progenitis; siquidem facile lac acescit, & corruptitur à miscelâ cuiusvis alterius rei cum illo non consentientis; undè hæc, & alia graviora mala oriri possunt. Non tamè est necessè, ut humores, aut vaporess ex vitiato lacte, & cibo degenerati, Cerebrum, & nervorum principium petant, cum si tantum Intestina vellicent, Pylorum, Ventriculum, in Puerulis, motus excitent convulsivos, ob nimiam partium teneritudinem, vel saltēm cruciatus, tormenta, inquietudines, dentium stridores, vagitus, & ejulatus.

Quemadmodum vitiosi luci, si Cerebrum, & nervos afficiant, Convulsiones, & Epilepticos motus pariunt; ita si ad alvum vergant, afferant Diarrhoeas, ex levissimâ etiam causâ fieri solitas in illa ætate; undè Hippocrates peculiari libello de Dentitione inquit: *Quibus in dentitione alvus plus subducit, minus convelluntur; qui vero dentientes habitiores manent, & altiore senno utuntur, magis obnoxii sunt*

con-

*convulsioni : Qui byeme dentiunt , reliquis similibus existentibus , melius liberantur : non omnes in dentitione convulsi moriuntur , sed multi etiam servantur , &c.* Itaque juxta humoris abundantiam , & in unam , aut aliam partem Corporis inclinationem , diversa contingunt pueris dentientibus accidentia ; ut proinde jure dictum sit , quibus alvus plus subducitur , minus convevuntur , deposito nimium ad alvum humore . Quid autem pro alvi profluviis intellexerit Hippocrates dubitari potest . In Græco Codice scribitur διαρροαι , ægritudines quidem alvi , atque ex humoribus acribus , & biliosis progigni putatae . Verum pueruli neque humores istos generare dicuntur ex Galeno , neque in alvi profluviis humores egerunt acres , amaros , & biliosos , ut patet ex linetu canum , qui egestas ejusmodi puellorum fæces avidissimè devorant . Hinc crediderim Diarrhoeam hic intelligi latissimâ planè significatione , ut omnem , & quamcumque excedentem alvi evacuationem complectatur ; quippe in puellis egestiones immoderatae pendent solùm ab indigesto , & degenerato lacte , quod licet colore aliquando referat flavescentem , non tamè acritatem , aut amarorem sapit , nec biliosam , felleamque conditionem , sed solius serofæ , nec omnino butyro exutæ portionis depravatae materia est : serum namquæ , & butyrum cum permuntantur sæpiissimè flavum colorem exhibent ; præterquamquod à variâ , diversâq; misturâ cæterorum succorum , atque à depravatis secretiis , non raro etiam in adultioribus , hi , aliq; colores in excretis observari consueverunt , ut propterea nimium coloribus credendum non sit , quod & alias à Nobis est notatum .

Hec autem illi potissimum ætati accidere subdit  
Hip-

Hippocrates, cui dentes canini erumpunt; sūntque hi, quos Græci Cynodontas appellant, vel quòd Canum dentibus exertis similitudinem referant, vel quòd soliditate, & acutie ad instar illorum cæteris præstent, & utrinquè superni duo, totidemque inferni, quatuor primotibus, & incisoribus adjacent, duritie, firmitate, ac longitudine præcellentiores, cùm his res durissimas frangere soleamus. Aliquando, statim ac anteriores comparuerint, enascuntur; interdùm etiā postea ad annum, pro variâ scilicet Corporum constitutione: quocumquè autem tempore procedant, semper sunt cæteris molestiores.

Quā autem ratione iis præsertim ista asperius accidunt, qui crassissimi sunt, & alvos duras, adstrictasque habent, majoris videtur ponderis difficultas. Galenus in *Commentario* id retulit ad convulsiones tantum, ut proinde velit crassissimos, & alvos duras habentes, convulsionibus magis affici, quoniām, inquit, isti plenum Corpus habent, & abundans superfluitatibus, ideoque convulsionibus facile capiuntur. Sed reverā adjecta hæc verba referenda sunt ad omnes antedictas affectiones, ut sensus fiat, eos potissimum puerulos prænarratis ægritudinibus obnoxios esse, qui crassioris, seu obesioris sunt constitutionis, quoniām his humores insunt copiosiores, excrementa scrofa cumulationa, laxiores carnes, & minus sana Corporis habitudo, ut alibi edocet Hippocrates.

Sed cùr etiā adjectum sit, & qui alvos duras habent: cùm cæteroqui alvos duras nocti temperiem, & habitudinem præferant aridam, & exsiccata, carentem excrementis. Verū duras alvos habentes à transfluxu humidarum superfluitatum in alias partes Corporis, hic subaudiuntur, in quibus scilicet arescant, & constipantur fæces, quiā serosiora-

excrementa detinentur, & aliò vergunt, quò confluere non deberent; quamobrèm sanguis, lymphæ, liquor nervorum, aliisque peculiares viscerum humores, illis imbuti, ac male affecti, febres excitatunt, convulsiones, dolores, aliisque incommoda graviora; Atquì in intestina fortassè delati, magis vellicabunt, & compungent, acriusque torquentes, nedùm alvi profluvia, sed etiàm tormina, lancinantésque dolores inferent; cùm gravius diarrhœis afficiantur, qui stypticâ sunt alvo, quàm qui lubricâ, vel ob desuetudinem, vel ob exquisitiorem partium sensum, vel ob majorem confluentium succorum in illis acritatem. Sunt etiàm qui putane dictiones illas disjunctim esse legendas, ut qui crassissimi sunt, obnoxii fiant predictis affectionibus ex unâ, atquè ex alterâ, qui alvos duras habent: utrâq; enim causa efficax esse potest convulsionis, aliarumque ægritudinum in hoc Aphorismo memoratarum: Et quidem hæc indicia tantum sunt pravæ habitudinis, & exuperantis in Corpore morbificæ superfluitatis. Verumtamen duram alvum habentes non omnino styptici, & suppressione fæcum laborantes intelligendi sunt, sed qui non adeò lubricam alvum sunt sortiti, cùm pueruli universim solutum Ventrem habeant: quare styptici solùm dicentur relativi ad eos, qui solito lubriciorem nacti sunt.

Tametsi hos dumtaxat dentitionis morbos recensat hoc loco Hippocrates, non tamèn quis negaverit alias plures præter eos accidere posse: Etenim experimur per hoc idem tempus obnoxios esse puerulos Variolis, & Morbillis, quorum tamèn nulla invenitur facta mentio apud Hippocratem, Galenum, cæterosque veteres græcos Medicinæ scriptores, cùm ab Arabibus solùm in hæc nostra tépora

pora viguisse memorentur, ut latius infra. Ceterum his non aliter ac de aliis anteā dictum, convenienti lacte, usūque rerum, dentitionem promoventium, providendum erit.



### APHORISMUS XXVI.

*Cum verò jàm magis adoleverint, tonsille, & vertebrae, quæ est in occipitio, ad interiora luxationes, crebri anhelitus, calculi, lumbrici rotundi, ascariades, verrucae, satyriæ, stranguria, struma, & alia tubercula, sed præcipue antedicta.*

**R**ecenset jàm tertio Hippocrates ægritudines Pueritiæ provectionis, quæ ad duodecimum, vel decimumquartum annum extenditur, atq; in ea ait primùm accidere tonsillas. Sunt autem Tonsillæ, glandulæ illæ, quæ ad radicem lingue jacent, & cùm tumefiunt, ac inflammatur, ductum Aëris, & cibi, angustiam afferunt, undè difficiles deglutitiones, & respirationes exoriuntur, quamobrèm à Græcis paristhmia appellantur. Ejusmodi ergo inflammationes glandularum, aliarumq; partium adjacentium, familiares sunt Adolescentulis, aut quia sanguis per eam ætatem vegetior, & abundantior factus nequit commodè intrare proprios ductus contineri, ut propterea in vicinas partes effluat; aut quia refluentes per suos ductus à Capite lymphicos, & pituitosos humores glandulæ istæ excipiunt, & tumefiunt, atquæ impedito aliquatenus in ipsis sanguinis circuitu, nec illo sàt bene repurgato, similes exoriuntur inflammations.

Mox

Mox subdit, *Vertebræ occipitis ad interiora luxationes*: Hæ sunt in pueris, vel à tumoribus, & inflammationibus muscularum, & glandularum colli, siquidem eam ætatem valde strumis obnoxiam experimur; vel etiā ab illapsu crudorum humorum in interstitia vertebrarum, quandoquidem laxatis, amplificatisque viis, quæ musculos, & ligamenta iliarum interjacent, ob ætatem accretionis summè vacantem, promptius è Capite confluunt humores in vertebras, tunc magis motu exagitatas; undè facile postmodum luxationes exoriuntur. Quod si ulterius contingat impediri respirationem ab hujusmodi vertebrarum Cervicis luxationibus, lethalis exurgit Angina, ut docet idem Hippocrates 2. de morbis.

Crebri præterea anhelitus iisdem contingunt à congestis crudis humoribus in ductibus Pulmonum. Pueri etenim voracissimi sunt, & facile crudum nèc benè elaboratum chylum conficiunt, qui deinde per ramum thoracicum in pulmonem perlatus, præ vasorum angustia, & Visceris laxitate, hærescit, & anhelitum inducit. Sed & comprimitur sèpenu- merò Pulmo, atquè in suo motu quadantenus impeditur à sanguine, tunc temporis vegetius fermentante, & per Aëris misturam vasa spiritalia efficacius amplificante: quo fortasse arguento Galenus adnotavit 9. metb. cap. 4. & 5. Synochas febres ex sanguine progenitas Asthmaticas esse, quoniā effervescentis sanguis pulmonis ductus vchemètè dilatat, ejusque substantiam opprimit, undè anhelitus, & Asthma.

Calculi insuper his sunt, magis tamèn in Vesica, quam in Renibus: Isti enim molles, & laxi cum sint, meatisque habeant, qui per eam ætam promptè expanduntur non tam facile crudos,

**c**ras sōsque succos detinent, sed ultrò illos finè ullo impedimento in Vesicæ cavum delabi sinunt, ubi diutiis harentes in calculos vertuntur, adiuvante plurimum sale illo urinario tenaces istos, tartareosq; succos figente, & coagulante. Deponi autem crudos, crassosque succos, & quidem plurimos in Vesicam patet evidentè ex eo, quià puerorum urina multo, inutilique sedimento scatet, quod, cùm illa consistit, sublidet, & fundo matulæ hæret.

Lumbri etiā sunt admodum Pueris familiares, & tūm teretes, tūm ascarides dicti, de quibus latè Galenus in *Commentario bujus*. Modum autem, & locum generationis istorum, diversosque affectus exinde provenientes non est ut hīc diutiis inquiramus; sat enim ab aliis magnæ notæ Viris de illis actum: solum tamè addam, quod quemadmodum hi familiares sunt pueris, ita nullius periculi esse solent; quamvis si teretes Vetriculum occupent, vomitus, convulsiones, febres, & dolores pariant non omnino contemnendos.

Verrucæ, vulgo porri, sunt tubercula dura in cute erumpentia, rotunda, & sensus expertia. Sponte suâ s̄pēnumerò abscedunt, & exiccantur; aliquando verò etiā acribus, & erodentibus medicamentis non cedunt, atquè ad plures annos perdurant. Comparent autem puerili hāc ætate transpositis in cutim consistentioribus succis glandularū subtercutanearum, repurgatōque sanguine ab exrementis tartareis, & fæculentis, in callos veluti degenerantibus.

Satyrix quenam sine, non adhuc bene constat intèr Expositores. Galenus in *Commentario* ne verbum quidem de illis facit; me minis tamè earum alibi,

re-

referens voces Hippocratis rariores, vocavitque satyriasmos, vel potius satyrismos, tumores scilicet circa aures erumpentes; & *de plac. Hippocrat. & Plat.* ferè cum strumis confundere videtur. Sed & ex eodem Hippocrate satyriasmus, vel satyriasis diversas aegritudines significat; aliquando Elephantiasim, quod Elephantiaci, more Satyrorum, in Venerem ferantur; quandoquè pudendi perpetuam tensionem; & interdum aurium retorsionem, & labiorum tumefactionem, quo etiam vitio Satyri laborabant. Hoc autem loco satyriasmum, subdit Heurnius, speciem quamdam esse parotidis. Verum ex eo, quod Galenus in contextu vocem hanc omiserit, nonnulli putarunt fuisse perperam in græco Codice adjectam, vel cum strumis convenire, vel etiam pro satyriastro legendam seiriasim, ut mavult Hieremias Triverius, vel denique phthiriasim, qui morbus est pedicularis, quammaxime familiaris pueris.

V. Paul.  
l. i. c. 3.

Stranguriæ non raro etiam Pueris accidunt, iis præsertim, qui cum lotio arenulas, & viscosos succos emittunt, aut Vesicæ calculo laborant; quamobrem non dissimili ex causâ in his fiunt, ac in aliis dictum est.

Strumæ, & alia tubercula, tūm in glandulis cervicis, tūm in cæteris aliis partibus glandulosis erumpentia, à decubitu, & secretione humorum dependent: cumquè glandulæ colli potissimum depositos è Capite inutiles succos excipient, propterea sit, ut strumas, aliisque tumores his consimiles contrahant: ejusmodi autem crassis, crudisquè glandularum tumefactionibus pueri præ cæteris subjiciuntur, ob nimiam voracitatem, malamque chylōsis elaborationem.

Per hanc eamdem ætatem solent Variolæ , & Morbilli comparere , nostrâ tempestate aded pueris familiares , ut vix unum , aut alterum invenias ab his immunem . De his apud Hippocratem , Galennum , cæterosque Græcos Auctores nulla mentio facta reperitur : qui autem primi illorum meminere fuerunt Arabes . Et quamvis ab Hippocrate memorentur in libris Epidemiorum pustulæ , exanthemata , & turbecula cutanea , illa tamèn potius pestilentiarum symptomata fuere , omnino differentia à Morbillorum , & Variolarum proprietatibus , quippe indiscriminatim quamcumq; ætatem afficiebant ; nequè verò figuram , circumscriptiōnem , quantitatem , procedendi modum , resolutionem , & generalem totius Corporis ex illarum eruptione affectionem referabant , quemadmodum nostrâ ætate servare Morbillos , & Variolas experimur . Hinc Mercurialis i. de Puerorum Morbis , intèr morbos novitèr inductos Variolas , & Morbillos revocare non veretur , idipsum quoquè deducens ex innumeris Veterum Medicorum testimoniis .

Verùm undè Variolæ , & Morbilli originem traxerint , non modica est intèr scriptores controversia . Arabibus addicti ad sanguinem maternum illā referunt , quo nimirūm , inquiunt , pravis humoribus inquinato altos intrà uterum ultimis saltēm mēribus , infantes , fieri postmodum obnoxios ejusmodi criticæ eruptioni . At hoc vitium in sanguine sicuti fingitur universale , ità universos afficere debuisset , etiam antè Arابium tempora . Sunt quoq; qui non semel , sed bis , & tèr , & in primâ , & in mediâ , & in ultimâ ætate Variolas passi sunt , atquè hi , etsi anteà febribus laborassent , cùm tamèn sanguis priori fermentatione subactus , fuerit

om-

omnino repurgatus , & per febrim nihil principiō proruperit , sed nonnisi mediā , vel postremā hominis ætate . Accedit quod Indi occidentalium regionum antequam commercium cum Europæis iniissent , istius contagionis immunes extitère ; & sicuti ab ipsis Hispani luem venereum in nostrates , ita in eos nostras variolas transtulerunt .

Alii ad malignos syderum influxus causam novæ hujus infectionis retulerunt ; quo enīm tēpore vagari primū visæ illæ sunt , viguisse ajunt trium planerarum , Martis , Veneris , & Saturni conjunctionem in signo Geminiorum , pari fermè ratione , ac in aliis pestilentiis , atq; in ipsa lue Venerea expertum ajunt . At , estò syderum influentias hæc agere admittamus , quis si bi persuadeat , ut iisdem desinentibus , non fuisse usque adeò defectura , ut cæteris Epidemias accidisse observatum est ? Nequè insuper verisimile videtur ejuscemodi malignas syderum conjunctiones superioribus Seculis defuisse , cùm pluriès adhuc Mars , Venus , & Saturnus ab Orbe condito juncti sint , atquè in posterum etiàm sint coituri .

Revocant alii cum Fernelio novam hanc Variolarum , & Morbillorum apparitionem ad communes causas Epidemiarum ægritudinum , Aërem nimirūm , & Alimenta . Aér siquidèm pravis , diversisque vaporibus infectus , variè quoquè sanguinem in humanis Corporibus , & præsertim in teneris puellis , alterat , exagitatque ; undè novas ægritudines excitat . Cibi etiàm idipsum efficiunt si mali , si variis , si dissentanei , si insueti , si degeneres sint , atquè eo magis in debilioribus corporibus , qualia sunt puerorum , quibus , præ carnium mollitie , & raritate , quodcuinquè vitium impingitur , & inhæret : cùm autem in lucem editos lac paverit , deindè duriuscula

cula alimenta, postmodum solidiora, ac difficiliora,  
 & deinceps multa, & varia, proinde fieri, subdunt,  
 ut sanguis diversimodè affectus tandem erumpere  
 cogatur in Variolas, & Morbillos ad sui repurga-  
 tionem. At sumpta hæc ab Aëre, & cibis, nimis  
 lata, & universalis causa videtur cuiuscumq; ægri-  
 tudinis. Præterea alterationes, perturbationesque  
 Aëris sempè extitere, atquè in cibis per Infantilem,  
 & Puerilem ætatem eadem ubique fuerunt, &  
 perpetuae mutationes. Cùr ergò non anteà, quām  
 à temporibus Arabum, Variolis, & Morbillis pueros  
 subjecerint?

Verumtamè inficias non iverim ad Morbillorum,  
 & Variolarum eruptionem sanguinem omnino in-  
 indebitam, ingentemque fermentationem adigi, ut  
 manifestè testantur febres, quæ illas præcedunt, ve-  
 hementissimæ, inquietudine, vomitu, mentis mo-  
 tione, sopore, motibus convulsivis, pavoribus,  
 anhelationibus, æstuationibus, tussi, siti, aliisque  
 gravissimis symptomatis stipatæ. Fermentum autem  
 istud in sanguine inductum ejus profectò condicio-  
 nis esse debet, ut veneni, & maligni miasmatis na-  
 turam redoleat, cùm non solùm graviter inficiat  
 affectos, & non raro ad necem perducat, cum no-  
 tis pestilentibus morbis communibus, sed etiam  
 contagione in alios, aliósq; pueros, & juniores, &  
 adultiores diffundatur, ut propterea pluriès evene-  
 rit devastari omnino provincias integras ex pucro-  
 rum, & quandoquè etiam virorum internecione à  
 Variolis, & Morbillis. Pueri verò plerumquè affi-  
 ciuntur, ut potè qui carnes habent teneriores, faci-  
 lè ejusmodi miasmata suscipientes, & sanguinem  
 instar musti sponte suâ promptissimè fermentescen-  
 tem. Hinc modò fieri quidem potest, ut primùm  
 ex

Ex malâ alicujus habitudine ingeneretur in sanguine, & in fermentis viscerum ejus moris pravitas, ut deinde in pestilens, contagiosumque venenum commutetur, quod in cæteros illius consuetudine usos transmigratione quadam etiam per halitus, vel per somitem, transfundatur. Non raro verò semel Variolis, aut Morbillis infecti, iterum, iterumque in eisdem relabuntur: quia ex vitâ perperam in usu sex rerum nonnaturalium anteactâ tale vitium in sanguine contraxerunt, quod pestilens ejuscemodi venenum videatur æmulari, & exolvendo sanguinem fermentatione subactum in cutim adigat, & Morbillos, ac Variolas renovet. Atqui diversimodè affectus sanguis, diversas quoquè parere potest infectiones, & multiformes referre venenorum naturas, ac proprietates, ut exinde comperiamus à quibusdam figi, & concrescere liquores Corporis, ab aliis dissolvi, & extenuari, ab aliquibus quedam dumtaxat Corpora ægrotare, hujus, non alterius sexus, aut ætatis, gracilia, non obesa, exercitata, non otiosa, certo solùm victus genere, non alio alta, sub proprio, non alieno Cœlo degentia, unius, non aliis ditionis, & quandoquè (quod admirabilis) hyeme, non æstate, in locis salubribus, non palustribus, in urbibus, non in pagis, contagium diffunditur, & cautos magis, quam qui finè ulta suspicione cum omnibus versantur, & cunctis indiscriminatim utuntur, inficit; ut propterèa plerisque videatur prodigiosum: cum tamè hæc omnia accidere soleant à variâ veneni conditione, variâque sanguinis, & carnium habitudine, Corporum constitutione, cutis texturâ, animali perturbatione, aliisque propemodùm innumeralibus, quibus humana Corpora perpetim subjiciuntur.

ciuntur, alterantur, atquè momento ferè permutari possunt. Hâc cùdem ratione passim experimur obesse uni, quod alteri prodest, & quod semel, aut bis, & pluriès contulit, aliàs nocere, senectuti jucundū, & utile fieri, quod puerili, ac juvenili ætati infestum fuerat, plerosq; sub uno climate perpetuò ægrotare, sub alio valere, idque genus alia.

Ad sanguinem igitur vario modo affectum omnia ejusmodi vitia referenda sunt; sed tamèn in pueris potissimum, & adolescentibus facilior est Vario-  
larum, & Morbillorum eruptio, in quibus cutis rari-  
tas, & sanguinis floriditas esse solent, pro ejusmo-  
di impuritatum repurgatione, aptiores; cùm enim  
aliàs à Nobis ostensum sit sponte suâ saquinem,  
cæterosque liquorcs Corporis per ætates commuta-  
ri, repurgarique, indéque texturam partium varia-  
ri, proindè fieri, ut adolescendi tempora sint hu-  
jusmodi cutancis eruptionibus potissimum obnoxia:  
confert autem solummodo ad hæc Aër, promoven-  
do in sanguine fermentationem, vel etiàm transve-  
hendo ex uno in alium inficientes halitus, ut in-  
plures, vel omnes fermentationi concipiendæ dis-  
positos diffundatur. Et quamvis apud Arabes pri-  
mùm seviisse perhibetur hujuscē generis pestilens,  
contagiosumque venenum, non tamèn hinc credi-

*V. Hipp.* derim per vetustiora etiàm tempora, si non hujus  
*6. epid.* 2. 18. omnino conditionis, & efficacitatis, consimilis sal-  
*in hisf.* *Simonis* tèm malignitatis, perturbati, repurgatiq; sanguinis  
*& 6. A.* eruptions extitisse, quas fortassè Hippocrates, aliq;  
*phor. 9.* Græci Auctores, sub genere exanthematum, pustu-  
*Fuchs.* larum, & papularum, aliarumque cutanearum ægri-  
*5. de* san. C. tudinum comprehendenterunt: sic metastasis, & apo-  
*M. c. 8.* stasis apud eundem varia significant: sic satyriasis,  
*& 6. A.* & melancholia: sic exanthemata ipsa diuersimodè

ab

ab eodem Hippocrate , & Galeno usurpantur ; ut propterea non temerè quis sublimes papulas ad Morbillos , latiores verò ad Variolas referre posset. Non tamèn hinc negaverim longè immaniùs illas seviisse Arabum , quām aliorum ætate , ut tūm popularitè grassatæ , & universaliùs inficerint , & inevitabili fato ocyùs affectos interemerint , quemadmodum non ità pridè à Majoribus nostris acceperimus de Angina pestilenti , quæ pueros quoquè , primâ hujus sæculi ætate , adeò vexavit , ut pauci fuerint , qui ab ea evaserint , estò Angina vetustissima ægritudo sit. Hoc idem de sudore Anglo , dysenteriâ pestilenti , cæterisque morbis epidemiis dicendum , qui licet Veteribus cogniti , quandoquè tamèn fiunt contagiosi , & mortiferi , ut propterea de illis speciatim ageré pleriquè gravissimi Auctores constituerint. Verùm mitiùs quandoquè , quādoquè crudeliùs grassantur quorumdā morborū genera , quoniām , ut anteà animadversum , non eodem sempèr modo sanguis inficitur , nec sempèr eamdem agendi , ac procedendi vim deleteria in illo concepta lues exserit ob variam causarum dispositionem , coitionem , & efficaciam . Atquè hinc Variolas ipsas , & Morbillos unā tempestate omniùd mortiteros , pestilentesque observamus ; alia verò mitissimos , & undequaque salutares .

Cùm Variolæ , aut Morbilli erumpunt , cohibendi non sunt , sed omni studio promovendi medicamentis diaphoresim adjuvantibus , & sanguinem à compage malignâ exuentibus , non tamèn adeò , ut exsolvant plus justo , & pattem illius vivificam dissipent . Quamobrèm in Aére moderatè calido patientes detineantur , parcè alantur , & si forte luxerint , nullis aliis ciborum generibus infarciantur ,

tur, quoniām si in cæteris omnibus moderata dix-  
ta semp̄r juvat, in his potissimūm omnino necel-  
faria est: alvus nequaquam solvatur, nām lubrica-  
perniciosa esse solet: oculi solūm foveantur virenti-  
bus frondibus absynthii, vel rutæ, aut etiām sæ-  
pius perfricentur smaragdo, crystallo, aliisque simi-  
libus, ne ab eruptione variolarum visu deficiant,  
aut aliter vitientur. Quod si variolæ non promptè  
prodeant, sed in eruptione cunctentur, fortassè quiā  
fermentum crassius est, nēc tam facile subactus fer-  
mentatione sanguis ab inutilibus portionibus extri-  
catur, vel etiām pori Cutis arctiores sunt, quām  
tenacitas fermenti febrilis exigat, tunc sudorifica  
locum habebunt, & simūl alexipharmacæ roboran-  
tia; in adultioribus quidēm Bezoardicum Minerale,  
vel Joviale, Antimonium diaphoreticum, Elixir pro-  
prietatis, & magnanimitatis, Spiritus salis ammo-  
niaci dulcis redditus, idque genus alia; in tene-  
rioribus verò confectio alkermes, pulvis Viperarum,  
& Cornu Cervi, Aqua theriacalis Petri Salii, &  
Cardui benedicti. Nequè verò his adeò indiscrimi-  
natim utendum, ut postquam eruperint, & maturi-  
rati subjectæ fuerint, adhuc exhibenda sint; cūm  
in posterūm satis sit patientem pannis coopertum  
detinere, & convenienti victus regimine uti. Fal-  
luntur autēm qui in apparitione Variolarum frigo-  
rificis ex adverso insistunt, ad reprimendum febris  
æstum; hinc enim cohibetur fermentatio tantoperè  
in ipsis necessaria, & impeditur critica Variolarum  
eruptio, non sinè manifesto vitæ periculo. Juvabit  
ergò pro re natâ, summâ prudentiâ uti, & modò  
efficacioribus, modò levioribus criticam hanc ad  
Cutim depositionem promovete, si tarda videatur;  
quandoquè verò totum opus Naturæ committete,

cum

Cum scilicet res ipsa benè processerit, documento Hippocratis *Aph. 20. primi*. Hac etenim ratione auxiliares manus Naturæ imbecilli præstabimus, cùm se sola fuerit impotens, nèc tamèn eidem salubriter operanti calcar in præcipitum addemus; quandoquidem fermentationes istiusmodi facillimè desinere possunt in totius sanguinis exolutionem, & agrotantis interitum.

Ad strumas, seu scrophulas Hollerius commendat <sup>In præ-</sup>  
folia cupressi austero vino conspersa, & contusa, do-  
nèc in unum corpus coéant, ad formam Cataplas-<sup>xi.</sup>  
matis applicata. Linimentum conficit Zacutus ex <sup>In præ-</sup>  
radice Bryoniæ cum Terebinthina, & Cera, illudq;<sup>obs. 101</sup>  
mirabile deprehendat. Pinguedo serpentum à plerisq;  
commendatur; & à Severino nostro emplastrum de  
baccis lauri oleo chamomelino malassatum. Internè  
verò prodesse feruntur, Radix scrophulariæ in pul-  
verem redacta, cinis spongiarum, & pulvis ad  
strumas compositus Helmontii, atquè arcanum du-  
plicatum Mynsichti.

Ad Verrucas efficax dicitur sanguis Talpæ recens,  
& calidus: Cinis rorismarini, & corticum salicis ex  
Matthiolo: Chelidonиæ majoris folia contusa, ex Za-  
cuto: & Lunæ radii per vitrum istorium collecti ex  
Helmontio *Tr. Form. ort. n. 55. & tract. Magnum oportet nu: 29.*

Ad lumbrieos summè valet spiritus viñi umbilico  
infusus insperso mòx pulvere Myrræ. Internè verò  
aqua, in qua Mercurius crudus ebullierit ex Hel-  
montio. Riverius conficit pilulam ex Mercurio dul-  
ci ad gr. iij, cum gr. vj. diagridii vapore sulphu-  
ris correcti, atquè modico condituræ rolarum per-  
ficularum excepti ad formam boli, si tamèn patiens  
adultior sit. Parat alium Hartmannus ex Mercurio

crudo salivâ humâna , vel acido citrii mortificato ad gr. xx, cui addit bezoini gr. ij. , cum modico ejusdem condituræ rosarum . Mirum enim quâm Vermibus Mercurius sit infestus .



### *A P H O R I S M U S XXVII.*

*Grandioribus autem , & jäm accendentibus ad puber-  
tem plurima ex his , & febres diuturnæ magis , &  
ex naribus profluvia sanguinis .*

**G** Randiores , & accedentes ad pubertatem intelliguntur , qui decimumquartum annum attingunt , cùm scilicet pubescere incipiunt , & semen emittere , quamvis ex Galeno , & antè , & post hoc tempus pubertas possit inchoare , pro varia carnium firmitudine , & virium robore . His quoquè plurimæ ex enarratis præcedentium ætatum ægritudinibus non dissimilitè accidunt , sed præterea febres diuturnæ , & ex naribus profluvia sanguinis : Febres quidèm diuturnæ ob majorē crudelium succorū copiam , quoniām , ut dictum voraces pueri cruditates facilem incurrint ; undè febres , aliique morbi durationem diuturnam adipiscuntur . Sed & non raro in graves , longasque febres incident ex ea , quæ per seminis effusionem molestior admodum esse solet , causâ ; quippè per hanc ætatem ad Venerem acti innumeræ subeunt calamitates , & mille patiuntur incomoda , sive quod abstineant , sive quod illâ impensis abutantur , ut si leam quas ex diversis , ac repentinis animi pathematibus sufferunt alterationes . Ad hanc fortassè classem revocandæ erunt quæ febres in foemellis Chloroses , & in maribus Eroticæ appell-

appellantur, ad Tabem perducentes. Profluvia verò sanguinis è naribus, non quidè ex eo, quod abundantius generetur, ut benè notat *in comment.* Galenus, adversus eos, qui stultè putant Naturam in superfluis quandoquè abundare, & sanguinem affluentius progignere, sed quia per hoc tempus minus ex ipso absuntur, & tenuior, vividior, acriorque sit, ut potè qui per ætares sensim permittatur, quamobrèm facile potest exiles narium arterias, ac venulas reserare, & hæmorrhagias inferre.

### APHORISMUS XXVIII.

*Plurimi autem morbi puerulis judicantur, nonnulli quidem in quadraginta diebus, nonnulli in septem mensibus, nonnulli verò in annis septem; quidam verò jam ad pubem accendentibus. Qui verò permanescunt, nec in pubertate finierint, puerulis, aut feminis, cum menstrua crumpunt, consenescente consueverunt.*

**M**irum sanè videri debet quām anxii sint Interpretes in pervestiganda Hippocratis mēte, num de acutis, an verò de chronicis ægritudinibus hunc scripserit Aphorismum: Et Galenus aut de diuturnis morbis prolatum, inquit, aut imperfectum sermonem esse; atquè adeò omnino vult legendum: *Plurimi autem pueris diuturni morbi judicantur.* In quam eamdem sententiam reliqui fere omnes Expositores concederunt. At Cardanus non semel Galeno conviciatus, hic speciatim illum ignoravīx notat, existimans implicitè diuturnos comprehendendi

hendi sub græca voce πάθη, quâ hoc loco Hippocrates usus est. Verum frustrâ apud Medicos hæc agitari putaverim, si acutos morbos non raro protrahi, & in chronicos desinere observamus: sic nō raro tertianæ febres, & ardentes, ut & malignæ acutissimæ, sensim solent mitescere, & in longius tempus ægrotantes affligere, in alias, aliásque ægritudines commutatæ. Ita quoquè Pleuritides acute exteroquì transiunt in Empyemata: Apoplexiæ in Paralyses: Phrenitides, in Insanias, & Melancholias: Dysentericæ in Tenesmos: ut propterè pafsim experiamur quosdam morbos ab initio esse omnino acutos, procedente mòx tempore produci, & chronicos, annuos, ac consenescentes fieri, permutterâ conditione, causâ, parte affectâ, aliâve simili circumstantiâ eorum, quæ morbis consociantur. Nō immerito igitùr Hippocrates indiscriminatim morbos hic retulit, scilicet ut acutos simùl, & chronicos comprehendenderet; cuius rei non leve videtur esse argumentum, quod idem in Aphorismo apposuit, nonnullos scilicet morbos judicari in quadraginta diebus, qui extremum acutis terminum constituerunt. Profectò æstimabilius est, quod idem Cardanus animadvertisit, Menses, & Annos hoc loco memoratos, non à morbi initio, sed à nativitate ipsa puerorum, esse numerandos, ductus ejusdem Hippocratis auctoritate, cui & Celsum adhætere interpretatur. Idipsum quoquè videntur indicare verba illa; quidam verò jam ad pubem accedensibus; qui verò permanserint, nec in pubertate finierint; aut cum menstrua erumpunt. Quæ sanè ad ætates puerorum, non ad morborum tempora referri possunt.

Sensus itaque Aphorismi est, morbos in Pueris terminum, aut remissionem sortiri ab ipsa ætatim muta-

mutatione : cùmque hæ mutationem subeant plerumque in septenariis , idcirco de his mentionem faciens Hippocrates dixit , *in septem mensibus : in septem annis* : finem in illis designans ab ætate , nō autem à temporibus morborum , aut à criticis diebus . Quòd si diù persistent , atquè ultrà pubertatem perduraverint , adhuc erumpentibus menstruis in fœminis , & postquam ex ephebis excesserunt , in maribus , procùl dubio inveterascunt , & cum ægris ipsis consenescunt ; undè idem Hippocrates 5. aphor. 7. *Quibuscumquæ* , ait , *morbi comitiales sunt* , *antè pubertatem mutationem accipiunt* ; *quibuscumquæ autem vigesimo quinto* , *ferè commoriuntur* .

Ratio horum defumenda est ex sanguinis , aliorumque humorum , successu temporis , mutatione ; undè Crasis , & constitutio Corporis variat , atquè per meliorem excrementorum repurgationem , viarum laxitatem , viscerum vim , & efficaciam , universalis Corporis œconomia in salubriorem statum perducitur . Alibi autem à Nobis est ostensum , sanguinem procedente tempore sensim permutari , ut ubi primum dulcis nimium , & multo glutine satur est , in pueritia mòx attenuatur , & portione vivificâ fit præalentior ; deinde verò in pubertate , & adolescentia adhuc floridior , minùsque austifícâ parte præditus observatur , atquè in Juvenibus , & tenuior , & vegetior , acriorque ; in Viris tandem , ac Senibus magis , magisque effœtus , vapidus , & postremò acidus , & adeò exsolitus , ut vitæ tuendæ omnino inutilis evadat . Sic propemodùm Mustum ubi ex uvis recens est expressum , dulcissimum , glutinosumque est , & spiritibus vacuum ; mòx verò intumescit , & fervet ; ubi autem efferbuerit clarescit , & sensim , depositâ fece tartarê , vigorem exerit , atquè

atquè in perfe~~ctissimum~~, robustissimumque Vinum evadit. Si autem, ex agitationibus, æstu, flatibus austrinis, aliisque, potissimum verò temporis diutinatae, evaporet, & evanescat, exolvitur, ac subinde acescit, aut fugit. Porro hæc omnia sanguini contingunt per ætaes, & unasimul visceribus cunctis, quibus veluti colis trahuntur, ac repurgantur: siquidem decurrentibus annis ipsa quoquè firmantur, obdurescunt, amplificantur. At quis unquam ejusmodi in partibus Corporis mutationes per ætaes inficiabitur, cum dentium casus, vocis mutatione, menstruorum, & seminis profusio, pilorum eruptio, cutis corrugatio, calvitium, canities, & alia plura id manifestissimè attestentur.

At verò verbū illud *judicantur*, non ita accipendum videtur, ut sempèr in salutem pueriles morbos desinere credendum sit, cum & non raro in iisdem temporibus, ut Celsus advertit, maxime pueri periclitentur; quamobrem & malè, & bene eos per ejusmodi tempora terminari, pro variâ eorumdem conditione, intelligemus. Cæterum quandcumque pubertatem cesserint, atquè à seminis, aut menstruorum eruzione minime desierint, difficilem exitum plerumque nanciscuntur, aut etiam consenserunt.

APHO-

## APHORISMUS XXIX.

*Juvenibus autem sanguinis spuitiones, tabes, febres acutæ, morbus comitalis, & alii, sed præcipue antedicti.*

**A**D morbos Juventutis pergens Hippocrates, cùm visus sit prætermisso eos, qui ad Adolescentiam pertinarent, statim à Galeno arguitur oblivionis. Sed nequè hujus solum, verum etiàm quòd nèc satis plenè de morbis acutis dixerit, imò tertianas maximè, & febres ardentes omiserit; contrà verò adjecerit morbum comitiale, qui potius puerilis est, & ætatum mutatione sanatur. Deniquè Tabes, & sanguinis spuitiones non æratis ratione, sed ex accidenti Juvenibus evenire contendit. Undè concludit: *Quare melius fuerat ita scribere Aphorismum: Juvenibus autem eveniunt propè omnes alii morbi, quos diximus aliis accidere ætatis, sed præcipue ardores, & tertiana febres.*

Verum non temerè is arguendus. Ad primum enim, quamvis non desint qui pro Juvenibus Adolescentes interpretentur, licebit nihilominus vocem Juvenum ex græco codice congruentius retinere. Nequè deinde ætatem Adolescentiæ prætermisit, cū eam ad Pubertatem anteà reculerit, quemadmodum Heurnius quoquè existimat: Puberes enim, & Adolescentes in idem omnino tempus convenient, atq; ab anno quartodecimo ad vigesimum primum, vel vigesimum quintum extenduntur.

Sanguinis spuitiones intelliguntur, quæ ex gingivis, ore, faucibus, vel quæ ex asperâ Arteriâ, & Par. II.

T

Pul-

Pulmone emanant; quoniām per hanc, ætatem sanguis tenuior, & acrior redditus facile illarum partium arterolas, & venulas reserare, aut effodere potest, præsertim autem cum organa spiritus cum amplificantur, unde Vox gravior, & Respiratio crebrior, ac latior motus Cordis, & sanguis longè catarior observatur.

Tabes, seu Phthises, consequuntur spuitiones sanguinis: nam *ex sanguinis sputo*, *puris sputum*, *ex puris sputo phthisis*, 7. *aphor. 15.* & *16.* Possunt quoquè Tabes Juvenibus accidere ab acriori, tenuiorique sanguine, qui sensim suâ portione austificâ exutus nutrientis partibus inidoneus efficiatur, undè postmodùm totius Corporis extenuatio. Quod autem Galenus ex accidenti solùm sputa sanguinis, & phthises his evenire crediderit, aut quia vulnerantur, aut quia franguntur, aut saliunt, aut clamant vehementius, vel quia refrigerantur, aut humicubant, aut replentur; aut propter aliquam ejusmodi causam; licet verum quoquè sit, non tamè huic dumtaxat ætati ab ejusmodi causis spuitiones accidere poterunt, sed cunctis propemodùm, potissimum verò ætati puerili, quæ imperita, & inexperta magis, his omnibus ultrò se subjicit.

Febris acutis Juvenes quacumque ex causa corripiuntur, quoniām in illis sanguis acrior, & volatilis, copiosiorem felleum humorē cumulat, & in cysti deponit, undè acutos morbos fieri apud Medicos in confessio est; quin eadem acritate, & volatili conditio-ne, facillimè fermentationi, atquè acutis, & brevibus ægritudinibus subjicitur; undè idem Hippocrates 1. *Aphor. 14.*, *Senes* dixit *acutis morbis non corripi*, quia frigidum est illorum Corpus; Juvenes verò ut potè calidissimos præ cæteris promptius affici. Sub his

his autem acutis febribus, & tertianas, & ardentibus, aliisque similes ægritudines tacite comprehendens voluit, quicquid Galenus obgarriat.

Morbus comitialis licet puerilis dicatur, & plerumque pueros afficiat, non hinc tamè cæteris quoque ætatibus contingere non posse fatendum, & præsertim juventuti, de qua speciatim scribit idem Hippocrates lib. de morbo sacro: Si post vigesimum quintum annum morbo sacro homines corripiantur, non sanari: quod etiam repetit Aphor. 5. 1. 7.3 quo circà posse etiam hoc morbo Juvenes infestari, clarrissem demonstrat. Distinguenda autem est duplex Epilepsia, altera quidem Idiopathica vitio Cerebri inducta; altera Sympathica ab affectis aliis visceribus, præsertim Ventriculo, & Utero: Modò licet Epilepsia proximam Cerebri læsionē insequens Pueris magis sit familiaris, & mutatione ætatum særissime sanetur, quæ tamè à consentientibus hypochondriis, Ventriculo, & Utero fit, procul dubio Juvenes torquere poterit, quibus scilicet oris amarities, & acida cruditas, nausea, vomitus, atquè indè vertigo, & insultationes epilepticæ frequentissimè contingunt.

Denique, cum inquit, & alii, sed præcipue antedicti, præter enarratos intelligit plures alios morbos posse Juvenes invadere, qui nimis vel affinitate temperiei ipsis congruunt, vel sanguinis, aliorumque humorum acritate promanant, vel à cruditatibus, & intemperantiis exoriuntur, vel denique in foeminis à menstruorum suppressione, atquè hystericis affectionibus originem ducunt, adeoquè cæteris ætatibus pro ratione communes esse solent. Hinc non est cur Galenus tam malè de Hippocrate sentiat, & Aphorismum hunc prævertat, quippe qui

peculiares solum tradidit, alios implicitè sub his contentos, tacitè subintelligendos voluit; communes denique veluti in aliis Aphorismis memoratos, non sinè ratione prætermisit.



### A PHORISMUS XXX.

**U**ltrà hanc ætatem progressis Asthma, morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi, phrenitides, ardentes febres, diurna profluvia, cholera, difficultates, & levitates Intestinorum, hemorrhoides.

**U**ltrà hanc ætatem progressi communi voto exponuntur Viri, & ad ætatem consistentem perducti, à quinto circiter septenario ad septimum, vel octavum, aut paulò post, pro Corporum valetudine. His ergo plurimos quoquè morbos accidere afferit hoc Aphorismo Hippocrates, sed præcipue in sanguine, cæterisque liquoribus mutationem, atquè variatam in visceribus texturam inservientes, à quibus ætates hominum mutari alibi à nobis ostensum est.

Et quidem Asthma, scùi creber anhelitus, illis fieri ab humoribus crassis, & glutinosiori hymphâ è Languine secretâ, quæ facilè pulmonibus hæreat; & si fortassè acorem contrahat, & languinem pari viatio affectum præsignet, etiam pleuritidem, & peripneumoniam minetur, aliósve dolores, tumoresque, lateribus, & musculis respirationi inservientibus infensos.

Pari modo lethargi orientur, & phrenitides, si lymphici humores, aut sanguis ipse, per Cerebri mea-

meatus excurrentes, acido concreti, vel glutinosâ portione plus justo referti, in meninges, & plexis, in Cerebri cortice, aut alibi remorantes, indebitæ fermentationi subjiciantur, & quamdam veluti phlogosim inferant. Nequè solùm has Cerebri affectiones in ætate virili constitutos pati posse credere licet, sed etiā deliria melancholica, Ecstases, Catalepses, aliásque ægritudines capitis ab acidis succis, aut halitibus dependentes.

Ardentes febres Juvenibus familiares, Viris quoquè evenire posse intèr initia saltè cōsistens ætatis, ob utriusque analogiam, eādem ratione facile deduci potest: sanguis enim promptè in utrisque fermentescit, & in ætate virili ob cutis densitatem ab impeditâ quadantenùs perspiratione, cuicunque alterationi citius subjicitur; unde febres ardentes, & acutæ. Quamquam non raro etiā acore infectus sanguis hærere solet in apicibus arteriarum, qui propterea febres excitat vehementissimas, & quandoquè etiā mali moris, ut aliás in tractatu de febribus adnotavimus.

Diurna profluvia, specialiūs per alvum fiunt, ab humorum acritudine, à mala ciborum digestione, & à confluxu aliorum succorum è cæteris partibus Corporis sensim languentibus.

His addit choleras, idest immodicas, subitásque per os, & alvum diversorum succorum evacuationes propter depravatos Ventriculi, & Intestinorum dissolventes succos, qui si deorsum solummodo ferantur, in erodentes, laciniantésque degenerati, molestias admodum dysenterias; in dilatos vero, ab acido corrupto, & effecto, ad chylōsim inepto, lienterias excitabunt.

Hæmorroides demum virilem ætatem peculiarius

CO-

comitantur: in cā enīm sanguis acore magis inficiatur, promptiusque hæret, undē nequit tam liberè remeare. Potissimum autēm Lienem, & Mesenteriū afficit, è quibus Arteriæ Splenicæ, & Mesentericæ in alvum deductæ hæmorrhoidales efformant, sanguinem sæpiusnè fundentes, ab ejusdem ibidem cōcreti vitio. Per hanc eamdem ætatem varices etiām fieri solent non dissimili ex causa progenitæ, à decubitu scilicet sanguinis fæculenti, & acidi, alicubi stagnantis.

Cæterū his, qui in præfatas ægritudines lapsūm fecerint, opitulabimur medicamentis partim acorem in humoribus valentibus infringere, & emendare, cuius præcipue generis sunt, quæ ex chalybe, & alkalicis conficiuntur, partim etiām speciâ virtute unicuique sigillatim occurrentibus, de quibus fusè egimus in Praxi.



### APHORISMUS XXXI.

*Senibus spirandi difficultates, destillationes cum tuffi, urinæ stillicidia, & difficultates, articulorum dolores, & Renum; Vertigines, Apoplexia, habitus Corporis depravatio, pruritus totius Corporis, vigilia; alvi, oculorum, & narium humiditates; visus obtusus, glaucedines, auditus graves.*

**C**Laudit postremò hunc Tertium Aphorismo-  
rum Librum Hippocrates ægritudinibus, quæ senectutem potissimum solent infestare: prin-  
cipaliores autēm ex innumeris hic recenset, quippe  
nedum istæ, sed complures aliæ per eam ætatem va-  
ga-

gari solent. Quam autem senectutem is propriè voluerit intelligendam, dubitari hoc loco solet; Si quidem Hippocrates senilem ætatem in tres alias distinguere consuevit, crudam scilicet senectutem, medium, & decrepitam. Verum tamè cùm nullam ejusmodi distinctionem hìc fecerit, sanè videtur omnes voluisse comprehendere, quamvis ultimæ ægritudines in Aphorismo recensitæ potius ad maturam, quam ad crudam pertineant, cùm nonnisi extremam viscerum, & sensuum labefactionem, ac virium languorem consequantur Hanc eamdem sententiam ita vertit Celsus lib. 2. cap. 1.: *In senectute spiritus, & virina difficultas, gravedo, articulorum, & renun dolores, nervorum resolutiones, malus Corporis habitus, nocturnæ vigiliae, vicia longiora aurium, oculorum, etiā narium, præcipueque soluta alvus, & quæ sequuntur banc tormina, vel levitas intestinorum, ceteraque fusi ventris mala. Ubi Senectutem voco quoquè generaliori usurpavit.*

Memoratæ hìc spirandi difficultates differunt à præcedentibus, quæ anteà aliis ætatibus sunt adscriptæ; quoniā Senes difficilem respirationem à languore potius subeunt: Siquidem, ut rectè monuit Plato in *Timæo*, non sempèr ab affecto pulmone, atque hærentibus ibidem crassis succis, difficultas respirationis proficiscitur, sed non raro etiā ab impotentia thoracis, & musculorum intercostalium, ac diaphragmatis, veluti Senibus accedit. Quamquam & laxitas pulmonis, & succorum ibidem con crescentium pondus idipsum quoquè sæpesæpiùs efficiunt, utraqùe eidem ætati familiaria; quamobrem adjectum est in Aphorismo *distillationes cum tussi*, quæ infarctum pulmonem denunciant: enim verò ingravescente ætate cuncta penè viscera imbecil-

ciliiora fiunt; sanguis hebescit, & lenti, viscosique succi plurimi ubique cumulantur, praesertim in partibus sua natura laxioribus. Sed & Senum Corpora nec bene, ne faciliter perspirant, quapropter plura pars eorum, quae insensibiliter transpirare debent, interius detenta, viscera, & sanguinem inficit, unde omnis generis catarrhi.

Cum autem succi isti ad Renes, & Vesicam confluunt, nedum serum urinarium depravant, sed etiam ductus ipsos obstruunt, atque varias in ipsis agitundines adducunt, praesertim verò Strangurias, & Dysurias: Hæ namque fiunt potissimum in Senibus à viscosis, acidisque succis, qui vel urinæ exitum interdicentes, vel urinam ipsam reddentes acriore, mihi non levem molestiam afferunt, & non raro in calculos, arenulasque conversi, gravando, aut vellicando, vehementer sphincterem musculum excruciant: hic autem eo gravius afficitur, & lacessitur, quo Vesicæ habitudo ad propulsionem impotentior evaserit, ob senilis ætatis imbecillitatem.

Iisdem omnino de causis contingunt dolores Articulorum, ut propterea qui humores ad vias urinæ præfatas afferunt affectiones, in artus delati parviant arthritides, unde congeneres ejusmodi agitundines experimur, atque iisdem penè medicamentorum generibus curari. Quoniā verò seriosiores plerumque humores aut egeruntur, aut promptius diffundantur, crassioribus detentis, proinde fit, ut hi in artibus tophos, in Renibus, & Vesicâ, calculos progniant, atque in aliis, aliisque partibus stagnantes, alias, aliisque inferant gravissimas affectiones, & in Cerebro quidem Vertigines, Apoplexias, mentisque hebetudines, obstructis nimium vasis, in quibus liquor nervorum à sanguine secernitur; in vi-

fœ-

sceribus imi Ventris Oppilationes, Hydrōpes, tumores; in oculis glaucedinem, & visum obtusum; in auribus surditatem, atquè alibi alias propemodūm infinitas.

Nequè verò solūm quibusdam in partibus peculiares morbi contingunt, sed etiā toti penè Corpori, per cachexiam, seu depravatum habitum, ob malam ejusdem nutricionem, tūm propter vitiatum in sanguine alimentum, tūm propter defectum viscerum malè transmutantium, repugantiūmque alibilem Corporis substantiam: equidēm hæc omnia perperām aguntur in ætate senili, cùm & facultates, & spiritus, ac fermenta viscerum sensim, sēsimque deficiant, ex alibi probatis.

Quoniām autēm serum, lympha, cæterique liquores, atquè fermenta potissimum glandularum per ultimas ætates sponte suâ acorem contrahunt, & cū alicubi detinentur diutiūs quām par sit, etiā muriaticā, austérāque falsedine inficiuntur, idcirco sēpiissimè quoquè accidit, ut Senes acido-salsis ichoribus abundant, qui detentis fuliginibus ex mala transpiratione commisti, longè peiores, molestioresque fiunt; undē postmodūm pruritus, pustulæ, & non rarò etiā ulcuscula illis accidentur per universam ferè cutem dispersa. Atquè hinc planè evenit cūr tantoperè senectus de totius Corporis æstu conqueratur, qui falsò à vulgaribus Medicis calidæ Jecoris intemperiei solet adscribi, cùm tamèn per juventutem nullus viguerit.

Adhuc etiā vigiles admodūm sunt Senes: iis enīm Cerebrum plurimum exarcescit, & liquor ille tūm ipsi, tūm nervis irrorandis addictus vel multūm deficit, vel à naturali, convenientiique humefactione desciscit; & quamvis Senes pituitosis scateant hu-

moribus, hi tamē ad somnum conciliandum utiles non sunt, imò si quandoquè Cerebrum impingant, gravando, atquè obstruendo, potius soporem, atquè Apoplexiā inferunt; atqui ros ille somno conciliando peropportunus, lenis, placidus, blandusque esse debet, quo scilicet Pueri potissimum abundans undè sit, ut somno præ cæteris indulgeant. Sed & sequens curarum plena est, quibus plerumquè anxii, ac solliciti, exsomnes fiunt, cùm alioquì somnus requies animorum appelletur ab Homero.

Ex oculis præterea, naribusque Senum solet plurimus excrementosus humor extillare, nām illorum Cerebrum multis perpetuò scatet inutilibus succis ex effœto sanguine, ejusque sero, & lymphâ abundantiori, depositis, qui si fortasse detineantur præfatos morbos Capitis afferunt; si verò per consuetos ductus deferantur, & oculos, & nares plus iusto humentes efficiunt, imò in os confluentes spuma multiplicant, & labia salivosa reddunt. Iisdem quoquè incommodis Ventriculus afficitur, plerumquè ex malâ ciborum confectione, quandoquè etiā ex illapsu consumilium succorum in glandulas, & meatus intestinorum; undè alvus lubricior evadit.

At verò nunquam ferè non obnoxii sunt Senes visus hebetudini, cùm rari admodum sint, qui per eam ætatem videndi acie præpolleant; verumtamen haudquaquam solo languore, aut spirituum inopia, ut plerisque est creditum, sed potius humorum, aut tunicarum crassitie, vel extenuatione, situ, figurâ, & structurâ oculi per ætatem evariata, ut aliás à nobis est ostensum. Cùm autem Visus hebetudo triplex observetur, aut in remotis solum, aut in proximis objectis corporibus, aut in utrisq; hinc prima dicitur Myopia, secunda Presbytia, tercia

tia Amblyopia. Et quidem Myopes proprius admota cernunt, remota vel nullatenus, vel confusè admodum: atquè hoc vitii genus familiare potius est Juvenibus, undè ingravescere ætate sæpenumerò corrigitur. Presbytæ verò remotiora distinctè, proximiora confusè vident, cujusmodi sunt Senes. Amblyopes tandem cum ad proxima, cum ad remota deficiunt. Hinc autem liquet nequaquam ad spirituum copiam, vel inopiam, robur, aut languorem, visionis vitia esse referenda, quippè imbecilli Senes si proxima cernere nequeunt, multò minus remota discernerent; & robusti Juvenes non tam exigerent, ut obiecta forent oculis admota. Accidunt ergo ejusmodi visus hebetudines à vitiatâ tunicarum, humorumq; structurâ, ac dispositione: Etenim in prioribus videndi vitiis Crystallinus humor non haber à Retina justam distantiam, sed vel ad eamdem proprius accedit, ut in Presbytis, vel ab illâ longius recedit, ut in Myopibus; quamobrem conspicillorum ope plurimum adjuvatur alteruter in his videndi defecus; nam in Presbytis Crystallus in lenticularem formam redacta, seu convexa; in Myopibus verò concava oculos juvat, sive ad proximiora, sive ad remotiora conspicienda. Porro hæc vel formatione, vel assuetudine, vel solâ ætatum mutatione contingere solent, cum sensim humores, & tunicae oculorum ejusmodi permutationes in situ, ac dispositione, à naturali, debitâque constitutione, plerumquæ subeant.

Tertia denique hebetudinis species, cum ad proxima, cum ad remota obiecta prospicienda, quandoquæ vitium sequitur illius tunicae, quæ Cornea appellatur, forte quia convenienti pelluciditate caret, sed vel crassior, vel rugosior, aliterve affecta,

evadit opaca: aliquandò ab humore Aqueo, Vitreo, vel Crystallino oritur, qui alieno, atquè impuro humore maculatus lumen non benè admittit, ac excipit, nèc ad Retinam clarè trajicit. Nonnunquā etiā in Retinā ipsā, quæ simulacra rerum debet excipere, vitium latet; & distinctæ visioni redditur inutilis.

Glaucedo pariter Senum oculis səpissimè accidit, cùm humores, præsertim Crystallinus, crassescunt, & densiores fiunt, ut luminis in ipsos incidentis refractio à debita ratione variet, & glaucus color, cæsius, ac cæruleus, qualis Noctuarum, in oculis observetur. Evenit autem hoc vitium in personam oculis, exarescentibus quodāmodò humoribus, aqueo, & crystallino, ipsā sensim occidente senectute.

Tandem verò cùm sensus omnes in Senibus habescant, tūm potissimum Auditus fit gravior; quin & Memoria, ac Mens ipsa in occiduâ illâ ætate paulatim deficit.

Senilibus autem istiusmodi ægritudinibus, quoàd ipsa ætas ferre poterit, bono potius viñus regimine, quam multis, & inutilibus medicamentis, occurtere debemus. Et quidem Cachexiam in ipsis moderabimur aromatum usu, atquè ex his concinnatis elixiribus, julapiis, tincturis, spiritibus, & aquis, ut est julapium Vitale, Aqua vitæ Matthioli, Tinctura alkermes, Vinum aromaticum, Aroma philosophorum, Oleum cinnamomi, Electuarium è nucleis pineis, & è bacca juniperi compositum, atquè id genus alia.

Pruritus Corporis ab effœto sanguine in acorem vergente inductus exquiret quoquè medicamenta, quæ sanguinem ipsum repurgent, atquè edulcant, superiùs recensita; cùmq; ab impedita in Senibus per-

perspiratione pruritus hic eveniat ; conferent propterè unasiimil levès perfictiones cum pannis excalefactis , & aquâ ardente irroratis , vel cum aquis thermalibus , potissimum quæ sulphuream , & nitro-salsam referunt conditionem .

Alvus humida in Senibus , potius optimo victu , quam remediis curabitur .

Ad Oculorū tandem , & Narium defluxiones , si quæ præscribenda sunt , Ventriculum , & Caput roborent ,

ac sensus ipsos foveant , & acuant , qualia ex  
iore marino , succino , caryophyllis ,  
cinnamomo , aliisque volan-

ti alkali præditis , pa-  
rantur , ut aliàs à

Nobis est no-  
tatum .



LU-



# LUCAE TOZZI

In Quartum Librum Aphorismorum  
HIPPOCRATIS  
COMMENTARIA

¶¶¶¶¶

## A PHORISMUS I.

*Uterogerentes sunt medicande, si materia turget, quanto mense, & usque ad septimum, sed ha minus: à juniore autem fætu, & seniore, abstinere oportet.*



Uandoquidèm Hippocrates in hoc libro per plures Aphorismos de rectâ purgantium medicamentorum ratione in ægrotantibus verba faciat, initium ducit ab utero gerentibus, morbo affectis, cuius causâ purgatio instituenda videatur; atquè eas docet purgante medicamento tractari posse, si tamèn materia turgeat, à quarto

to mense usquè ad septimum ; has autem minūs ; in cæteris vero omnino abstinere oportere . Videatur itaque Aphorismus tria universim comprehendere : morbos nimirūm , in quibus gravidas purgare conveniat : tempus item opportunum , minūsque periculose ejusmodi evacuationis : mōx etiam tempora graviditatis lubriciora , adeoque cavenda .

Et quidem Catharticis medicamentis gravidas nō esse commovendas , nisi gravi , & acuto morbo afficiantur , nemo unquam in dubium vertere ausus est , cum subinde maximum tūm ipsis , tūm conceptis fœtibus detrimentum sit ad futurum ab abortu , qui à purgante medicamento procūl dubio sequeretur , & quod humores innoxios educeret ; & quod sanguinem , aliisque liquores funderet , atq; alibilem succum perturbaret ; & quod Uterum , cæteraque Viscera naturalia lacessendo plurimum cōcutteret , & contorqueret , adeoūt existimaverit Averroës omnem medicinam solutivam Utero nocuam esse , ut quæ per ejusdem ductus , ac per meatus urinarios , vitiosos humores etiam promoveat .

Catharticis itaque tunc solūm utero gerentes subjiciunt , cum acuto , gravique morbo corripiuntur , ac præterea peccans humor , illius causa , efferus est , & motu irrequietus , sive , ut loquitur Hippocrates , turget , desumpto vocabulo ab Animalibus ad coitum concitatis . Cujus rationem tūm hic , tūm alibi , & comm. 10. bujus libri , attulit Galenus . Nam cum , is inquit , superabundantes humores moventur , & per totum corpus feruntur , nondūm in aliqua parte firmati , tunc ad eos expellendos Natura incitat , & aliquo indiget manum porridente , & hunc humorū motum ad alvum deducente , priusquam robur Corporis dissolvatur , vel febris caliditas augeatur , aut ad ali-

*aliquid membrum principale decumbant ii, qui per corpus vagantur humores. Unde tria exigi videntur ad turgentiam in humoribus inducendam, Impetus scilicet humorum, &, plusquam Natura postulat, in partes irruptio: Robur earumdem partium, quæ à seipsis illabentes humores propellant: ac denique Multitudo, quæ regi, aut cum reliquis excrementis Corporis sensim simili educi nequeat. Quamobrem turgens materia ex sui copiâ evacuationem expostulat, & causâ mobilitatis facilem, ac promptam illam pollicetur, quæ sane difficillime succederet, si alicui parti hæreret, & consisteret; nequè verò absq; manifesto vitæ periculo, si principem partem occuparet, aut in uterum decumberet, fœtui, & matri noxam certissimam allatura.*

Sed quo genere purgantis medicamenti turgentes in utero gerentibus humores educendi sint, gravior videtur difficultas. Et Fuchsius in expositione istius Aphorismi præscribit medicamenta verè purgantia, etiam ex colocynthide, scammonio, turpetho, idque genus aliis. Et quamquam ista medicamenta, inquit, vix citrà fœtus noxam sumantur, cùm ex Galeno 2. de vietū Acutor. comm. 12. purgantium omnium medicamentorum natura, corporum, quæ expurgantur, naturis contraria, atquè deleteria sit; tamè præstat hunc solum ista ratione lædi, quam ut nullo prorsus dato, & matrem, & fœtum de vita periclitari patiamur.

Verùm communior praxis ab his abstinet, & tuitius putat licere uti levioribus, quæ satis sunt educendis humoribus turgentibus, & sponte suâ mobilibus. Atqui abortus periculum nedum à purgantibus medicamenti naturâ, sed magis imminet ab irritamento, & concussione vehementi à catharticis for-

tio-

tioribus inductâ: Quamobrèm & Aloë, & Rhabarbarum quoquè vitantur, quorum primum vasorum oscilla facillimè aperit, & hæmorrhoides excitat; alterum verò per vias urinæ humores potentè promovet, ideoquè attiguum Uterum facili negotio prioritare, & laceſſere potest.

De vomitoriis alia potest esse difficultas, nūmista in uſum purgandarum uterogerentium duci cōmodè queant. Et crediderim posse illa tutò præscribi, si tamèn turgens humor Ventriculum petat, il-lūmque ad nauseam disponat, subvertat, atquè ad vomendum ſollicitet. Ed namquè ducendi ſunt humores, quò Natura viam affectat, documento ejusdem Hippocratis 1. aphor. 21: quin & ſepiſſimè Uterogerentes ſpontaneas ſubire ſolent vomitiones, quibus à plerisque ægritudinibus vel præcaventur, vel vindicantur, quâ etiā ratione partum in debitum tempus ſalubritè protrahunt, alias procùl dubio abortituræ. Consentit quoquè in id Hippocrates, 5. epidemior. 18. ubi Uxorem Antimachi gravidam bimēſtre à dejectorio medicamento mortuam ſcribit, cāmque vivere potuiffe, ſi aquam bibiſſet, & evomuitſet.

An præterea tutò quoquè purgari poſſint Uterogerentes, ſi aliis ægritudinibus affiantur, & vitiosi humores minimè turgeant, ſed potius alicubi conſtant? Evidēm inficias non iverim, cùm vitiosus humor partem principem occupat. Quare in Apoplexiis, Convulsionibus, Lethargis, cæterisque Cerebri affectibus ſoporiferis nemo eſt, qui non au-dactèr purgans medicamentum exhibeat gravidis, etiamſi exindè periculum abortus immineat: præstat enī opitulari Matri, ne Mater, & foetus ſimul periclitetur. In Uteri quoquè affectionibus, &

cum pravus humor in illum irruit, ne abortus inde sequatur, consueverunt peritiores Practici impetenter humorem intercipere, & leni aliquo cathartico ad alvum deducere.

Quod ad tempus verò magis opportunum ejusmodi purgationis, statuit Hippocrates medium illud esse Gestationis, nempe à quarto mense usque ad septimum. Et quidem quartus mensis includitur; cum ex græco Codice *τεργάμυνα* quadrimestres interpretentur Fuchsius, & Heurnius; quasi verò iste potissimum purgationem sufferant, quod fœtus per vasa Umbilicalia tenacius Placētæ, & Utero tunc hæreat, nec tam facile à concutiente cathartico dissocietur. Rectè pariter observat Heurnius quadrimestres fœtus intelligendos esse non in spatio temporis, sed in motus incœptione, cum scilicet moveri cœperint quippe tunc denotant membra cuncta firmiora jām evasisse: at verò fœtus in utero moveri incipiunt, si robore præcellant, circa tertium, & quartum mensem; undè idem Hippocrates 1. *epidem. sect. 3. agr.* 13. Spontaneas alvi turbationes in trimestri promovit, & quidem salubriter, quocirca gravida illa à febre decimaquarta die judicata est. De septimo autem mense major est difficultas. Putat Brasavolus etiam ab Hippocrate comprehendendi. At excludendum arbitratur Fuchsius, quod Hippocrates dixerit usque ad septimum: si enim, inquit, hunc excludere noluisset, profectò dixisset ad octavum usq; at verò octavus mensis pericolosissimus est, & septimus non raro partui dicatur. Verum adjecta verba, *sed hæ minus*, manifestè declarant etiam septimum voluisse inclusum; non tamè adeò tutum esse, veluti sextus, quintus, & quartus mensis, ut propterè quod uteri gestatio septimum proprius attigerit,

rit, ed periculosior purgatio existimetur. Multum autem hic tribuendum est solertiae Medici, qui pro ratione Morbi, ejusque causae, atque ægrotantis gravidæ constitutione, septimestrem catharsim subiect, vel eximet.

Postremò à juniore, & seniore fœtu abstinere oportere, hoc est omnino catharsim cavere, necesse est, in primis, & ultimis mensibus graviditatis, admonet Hippocrates, ex evidenti abortus, & vitæ periculo, tūm Mattis, tūm Infantis; quoniā ex Galeno in comm. Fætuum connexus cum Utero eamdem habent proportionem, quam fructus cum plantis. Hi siquidem in prima generatione debilioribus pendulis continentur, & ideo facile desidunt, quandò vehementior ventus ipsos concusserit; postea verò aucti difficultem habent à plantis dissolutionem: sicuti rursus cùm perfecti sunt, sponte sua sīnd vi extrinseca decidunt. Eodem modo & conceptus, in primo quidem tempore seminis injectionis, si aliquandū saltare contigerit mulierem, aut in lubrico cadere, sive quovis alio modo, vel secundū animam, vel secundū corpus moveri vehementius, facillimè dirumpuntur; sic etiam quandò jām perfecti sunt: tempore verò intermedio, firmiorem habent coalitum; quare mulier uterogerens potest fortiores motus sustinere, sine fœtus offensione. Hactenus Galenus. Hinc modò plenè constat, cur media tempora velutī ad purgandum tutiora permittantur, prohibeantur verò priora, & posteriora, tanquam periculosiora.

Illud tandem hic superesset examinādum quo pacto, quōve coalitu adhærescat fœtus Utero materno, undē alimentum, & vitam mutuatur. At quoniā id à Nobis luculentè est ostensum in priori nostræ Medicinæ parte Theoreticâ, idcirco libentè illuc philologos remittimus.

॥३४॥ विष्णुविद्या विष्णुविद्या विष्णुविद्या विष्णुविद्या विष्णुविद्या

## APHORISMUS II.

*In Medicationibus talia educere è Corpore , qualia sponte prodeunt , utile . Quæ verò contrario modo prodeunt , cohibere oportet .*

**Q**uod aliás Aphorif. 2. lib. primi de quacumque evacuatione spōte naturæ promotâ scripsérat , nūnc de solâ purgatione , quæ Cathartici auxilio ab Arte peragitur , sermonem habet , atquè inquit , in artificialibus purgationibus talia è Corpore esse educenda , qualia si sponte , & ultrò prodirent , egererentur ; at contrà , cohibenda esse , si alia ab his , quæ peccant , prodeant . Quare consulit hoc Aphorismo Hippocrates Medicos in Catharticis Naturam imitatueros . Est autem Imitatio , inquit Galenus in comm. , tales in unoquoque morbo humores evacuare , quales novimus in spōtinis prodeſſe evacuationibus . Nomine verò talium , & qualium humorum , intelligendi sunt in specie peccantes ; putrē biliosi , lymphici , crassi , tartarei , acres , acidi , aliisque , si fortassis plus iusto superabundent , Naturam gravent , atquè ægrotantem infestent . Affert Galenus exempla earum , quæ sponte fiunt , salutarium evacuationum , ex eodem Hippocrate desumpta , ut cùm aquâ intèr cūtem laboranti , & lippitudinem , aut surditatem patienti , alvus solvit ; undè has easdem evacuationes arte promovere , utile putare est , cùm id peragatur , quod Natura sponte suâ salubritè perficer consuevit , quamquam non sempèr ex voto sucedere soleat .

Quo-

Quoniām verò Hippocrates spōtē prodeūtibus, artificiales evacuationes salutares ut eveniant, cōparavit indefinitē, jure hīc dubitare licet, quid pro spontē prodeuntibus intelligere voluerit, cūm & criticis, & symptomaticis illa aptari queant. Et quidē de criticis res in confessō est apūd omnes, quoniām per illas Natura scip̄sam à molestiis exonerat, & ægros ab ægritudinib⁹ vindicat: nequè aliundē criticæ, & salutares dicuntur evacuationes, nisi quia per ipsas morbi judicantur, ac desinunt: At verò symptomaticæ tales non sunt, quibus non raro Natura plurimū elanguet, morbi ingravescunt, & sēpē etiā mōrs subsequitur, cūm tamē humores in illis spontē prodeant. Quamobrēm non videtur Aphorismus indefinitē accipiendus de quibusvis spōtē prodeuntibus, etiā symptomaticis. Hinc Fuchsius illum itā scribendum putat: *In usu medicamentorum purgantium talia ē corpore educere oportet, qualia etiā si spontē prodirent, utilia essent; itaūt sensus fiat: talia ē Corpore esse educenda, qualia ubi spontē prodirent, utilia forent, idest qualia à Naturā ipsā utiliter evacuarentur.* Quo casu etiā symptomaticæ evacuationes salutares censendae erunt, si ejus sint humoris, qui obest. Quocircā solent communiter dici conferentes in genere causæ, quia morbifica causa per ipsas minuitur; malæ verò in genere signi, quod significant humorum multitudinem, vel pravitatem, undē partes gravatae, vel irritatae evacuationem moliantur.

Quemadmodū autē purgationes ope medicamenti ab Arte promotæ salutares, utilésque sunt, si ejus sint humoris, qui peccat, quique sponte naturæ prodīret, si criticē egereretur; itā ē converso malæ, & inutiles existimantur, si ea catharticis me-  
di-

dicamentis vacuentur, quæ Naturæ non utilitèr educeret: quamobrèm consulit Hippocrates illas esse cohibendas. Sic oportebit fluentem immodicè sanguinem sistere, & alvum ex hypercatharsì, aut egestione alius humoris ab eo, qui educendus esset, firmare, & cohibere, remediis in hanc rem planè specialioribus.

Undè verò conjicere possit Medicus fore utilem, vel inutilem, artificialem ejusmodi evacuationem, ut sinenda, vel inhibenda sit, ab his, quæ conferre, & tolerari probaverint, judicium sumendum esse admonet. Quare sequentem Aphorismum subjungit, veluti illius appendicem.



### APHORISMUS III.

*Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & levitèr ferunt. Contraria verò gravitèr.*

**C**UM dixerit Hippocrates utile esse in purgationibus arte promotis talia educere è Corpore, qualia sponte naturæ prodirent, indicia nunc tradit proficientis ejusmodi purgationis, desumpta ex eo, quòd conferat, morbus remittatur, & æger sufferat, cùm vires nullum, vel leve admodùm detrimentum ab illa patiantur.

Quamquam autem idipsum ferè docuerit *Aphor.* 2. lib. 1., ut propterea hic videatur inutiliter, & frustrè repetitus, non tamèn eximendus, ut benè advertit Cardanus; nam ita necitetur præcedenti, ut oratio omnino mutila remaneret, si deesset: Sicùt enim in evacuationibus ultroneis utilitas certa, & per-

perseverans judicatur, si conferat, & toleretur, cùm scilicet talia egeruntur, qualia convenit eva-  
cuari, itì in evacuationibus medicâ ope proritatis  
emolumentum certò futurum conjicitur, si ea pur-  
gentur, quæ purgari oportet; & contrà, si talia sint,  
educta, qualia erant educenda, certò quidem con-  
feret, & æger sufferet, ut proinde vicissim se res  
habeat ad utrumquè. Quâ sane ratione putaverim  
facile his responderi posse, qui ausi sunt Hippocra-  
tem notare, quòd tùm hic, tùm Aphor. 2. pr. nil  
quicquam se dignum scripsit, sed lippis, & ton-  
soribus notissimum, ut fusiùs à Nobis alibi est ex-  
cussum.

Hinc nullo negotio deducetur, nequè conferre,  
nequè tolerati evacuationem humorum, qui utiles,  
aut alibiles cùm sint, nullatenus sunt educendi, sed  
graviorem noxam afferre, commotis, exasperatisque  
his, qui noxi sunt, & morbum faciunt. Hæc au-  
tèm notiora sunt, quàm quæ notissima, propterea  
longiori non egent explicatione.

## APHORISMUS IV.

*Medicari Aestate superiores magis, Hye-  
me verò inferiores.*

**S**Ubaudire oportet Ventres, subdit in comm. Ga-  
lenus; Itaùt sensus sit, per Ventrem superio-  
rem seu Stomachum magis Aestate, Hyeme  
verò per Intestina, scù Ventrem inferiorem purgan-  
dum esse. Et rationem assert, quoniàm qui tunc super-  
abundat humor, flava bilis est, & tota natura anima-  
lis

*lis propter ambientem caliditatem magis ad superiora movetur. Hyeme vero potius prevalent crudi, crassi-  
que succi, qui sponte suâ deorsum feruntur, & tunicis intestinorum adhærescunt, ut proinde ad superiora difficillimè deduci possint; qnamobrem melius dejectoriis ad alvum ducuntur. Constat præterea experimentis per Aestatem os facilimè amare-  
scere, & Ventriculum, ejusque orificium superius ad vomendum sollicitari, sive quod fermenta illuc ex arteriis gastricis corriuantia acriora sint; sive quod sanguis ipse acrioribus, & veluti sulphureis parti-  
bus plus æquo redundans in cystim felleam easdem uberioriis deponat; unde & urinæ per idem tempus flavescere magis soleant, & fæces, cæteraque Corporis excrementa pari colore inficiantur: quæ sanè ex documento ejusdem Hippocratis promptam, & facilem pollicentur vomitionem.*

Sed obstarere sibi ipsi videtur Hippocrates lib. de *salubri vietu* docens, *sex hybernis mensibus vomere* utile esse, nam & pituitæ plus, & capitis gravitas subest; in Aestate vero clysmatum sit usus, & superiores Corporis partes per inferiores purgande. Id ipsum protulit Celsus lib. I. cap. 3. vomitum indicēs utiliorem Hyeme, quam Aestate, hanc eamdem procūl dubio Hippocratis sententiam prosequutus. Licet autem plerisque visum sit librum hunc non Hippocrati sed Polybio adscribere; nil tamē indē deducetur, quod rationabiliter propositæ objectioni faciat satis; cum & Polybius gravissimus quoquè Auctor sit, nequè suâ vel ratione, vel experientiâ destituatur, ut etiam in hoc Celsum asseclam habere promeruerit. Nequè vero satisfacit Galenus distinguens evacuationes vel ad totum Corpus spe-  
stantes, vel ad Ventriculum solum, ut propterā

velit Aphorismum hunc intelligendum de evacuatione totius Corporis per superiora Aestate promovendâ, per inferiora Hyeme; effatum verò *de salubri diæta* restringendum ad solius Ventriculi exonerationem. Quoniām sive Aestas, sive Hyems fuerit, sempè ac Ventriculus humoribus gravatur, vomitu exonerandus est, exigente id loci conditione, & humoris expurgandi promptitudine, quippè qui compendiosiori viâ statim educitur.

Verū enim verò quoconque humore Ventriculus infarciatur facilis planè per vomitum, quām dejectione exonerabitur, sive tempus æstivum sit, sive hyemale, cùm non à tempore, sed ab humoris evacuandi proclivitate, facilitatéque, indicationes desumantur ejusmodi specialium egestionum. Quoniām autē humores sub Aestate plerumquè Ventriculum occupant, atquè à depravatis ejusdem digestionibus ægritudines inferunt, undē eo tempore faciles cruditates, nauseæ, oris amaritudines; propterea sit, ut promptius per vomitum egerantur. Faciunt in idem elus fructuum immoderatus, gelidæ potationes, balneationes, natatus, cæteraque his similia, quibus plurimum Ventriculus elanguet, & impuritatibus oneratur. Hinc compertum habemus cunctas propemodùm ægritudines Aestate vagantes ab uno Ventriculo crudis humoribus oppresso exoriri, ut propterea vomitus opportunè concitatus momento veluti gravissimis cæteroquì ægritudinibus remedio sit. Sed & nequè absolutè dixit Hippocrates Aestate per superiora dumtaxat purgandum, etenim usus est voce comparativa *magis*; quasi verò dicere voluerit, plerumquè Aestate per vomitum vitiosos humorcs esse educendos, quoniām isti plurimum primos ductus gravare solent, aut circà Ventriculum

stagnare. Quod si fortassis alibi resideant, per alios ductus erunt evakuandi, quo nimis illi vergere videbantur, modò loca ipsa sint conferentia. Ita quoquè si Hyeme Ventriculus biliosis, ut vocant, succis, scateret, non infernè, sed supernè vacuandus foret, nullâ habitâ ratione temporis, sed tantum loci præter naturam oppleti, & promptè per superiora exonerandi; quia tamè Hyeme crassi humores intestina sèpiùs occupant, indè sit, ut facilius dejiciantur, cùm difficile admodum foret inverso intestinorum motu per stomachum illos protrudere, & per os expurgare, idque non sine gravi periculo. Cur autem humores vitiösi plerumquè in Hyeme intestina, vel glandulas Mesenterii, occupent, ratio peti potest nedum ex eorumdem, qui sèpe sèpiùs crassi, & viscosi esse solent, conditione, sed potissimum ex tardiori secritione, quæ tunc peragitur: sicut enim Aestate ciborum digestio, seu dissolutio in Ventriculo languet, & tarda est; secretio verò in Intestinis celerrima sit, sive à fermentorum acritate, sive à laxitate viarum: ita viceversa ciborum confectione Hyeme in Ventriculo citior est, cùm Ventres Hyeme, & Vere naturâ calidiores ab Hippocrate dicantur; at verò secretio, seu distributione tardior, undè etiam alvus adstrictior evadit, & pulsus eo tempore rariores sunt. Accedit quod somni longissimi per Hyemem adjuvant confectionem; vigiliae, & motus per Aestatem facilitant distributionem, ut proinde mirum non sit, cur humores excrementosi Aestate potius Ventriculum occupent, Hyeme verò in Intestinis, & glandulis Mesenterii restagnet: quamobrem illi per vomitum, hi verò per dejectionem faciliter educuntur.

Atquè hinc modò contradicentia Hippocratis loca

ca facilè erit in unum , concordemque sensum revocare : etenim idcirco hyemali tempore vomitum is commendavit , quià Ventriculum multâ pituitâ repletum existimat , ut clarius ejus latinus Interpres Celsus expressit ; siquidem non à tempore , sed ab humore Ventriculum occupante indicatio vomendi desumitur ; quare sive Aestas , sive Hyems sit , parùm refert , dummodò locus vomitioni paratus videatur .

Quod autem putaverit Musa Brasavolus vomitum Aestate commendatū , ad inaniendos superiores ventres , Caput scilicet , & Thoracem ; planè nec Hippocrati , nec rationi , aut experimento cohæret . Hippocrates siquidem in diversis Capitis ægritudinibus alvi subductionem consulit , non vomitum ; ut insurditate , oculorum dolore , cæterisque ; quin & Galenus in *comm. bujus* nonnisi de Ventriculo solùm aphoristicam hanc sententiam est commentatus . Ratio verò tantum abest ut suadeat Caput , & Thoracem per vomitū inaniri , ut potius expâsa repleantur , & graviter ab imperente Ventriculo affiantur ; unde vomitus in affectibus oculorum , & pectoris , communī voto tamquam nocuus reprobatur . Experiētiā denique pluriē constitit in harum partiū ægritudinibus plurimū vomitum obfuisse , & quibusdam sputum sanguinis , aliis oculorum inflammationem , & vehementissimum Capitis dolorē attulisse , ut propterē nemo sit , qui in praxi audeat , vomitoria in morbis partium superiorum præscribere , nisi tantum cum illi à laborante Ventriculo proficiuntur , à cuius levamine illæ consanescant .

## APHORISMUS V.

*Sub Cane, & antè Canem, difficiles  
sunt medicationes.*

**Q**UAM opportunum tempus conferat in purgantibus medicamentis adhibendis, ut subinde proficiant, & finè ullo incommodo utiliter ferantur, nedùm hic, sed alibi pluriès inculcavit Hippocrates, speciatim autem lib. de Aëre, aquis, & locis, illorum usum inhibuit in magnis temporum mutationibus, itemquè in solsticiis, & æquinoctiis. Considerandos quoquè voluit inerrantium Astrorum exortus, præcipue Canis, deinde Arcturi, & Plejadum occasum: undè non minimam partem conferre ad rem medicā Astronomiam ipsā censuit, tūm in prænoscendis, tūm in curandis æcritudinibus, ut vix errare Medicum posse asserat, qui stellarum congressus præsentire, & observare novit.

Commodū nūnc quoquè, difficiles, & molestas admonet futuras purgationes sub Cane, & antè Canem: quod etiā edocuit lib. de medicam. purgant. in fine inquiens: Tempore Aestatis à Canis ortu per dies quinquaginta vitare oportet, & non dare medicamentum, sed infusis per clysterem uti. Quoniā ex Galeno in comm. bujus, exusta tūnc nostra natura, eam, quæ à medicamentis purgantibus existit, non fert acritudinem; quarè & pluriès purgati hoc tempore incidunt in febres, & natura ex aëstu imbecillis, magis ex purgatione dissolvitur: & quidem purgatio hæc mala fiet, cùm calor aëris ambientis in partem trahat extrinsecam, contrariam ei, ad quam medicina ducit humores.

Quod-

Quodnam autem sit ejusmodi tempus *sub Cane*, & ante *Canem*, inquisitione dignum. Verum oportet scire ex Astronomicis duos affigi Firmamento Asterismos *Canis* nomine appellatos, quorum alterum *Canem* majorem, alterum minorem faciunt. Ambo sunt in plaga Australi extra Zodiacum, sed minor ab Aequinoctiali declinat ad Boream, major verò ad Austrum. Asterismo *Canis* minoris ad femur appingitur stella primæ magnitudinis *Procyon* dicta; In Asterismo verò *Canis* majoris ad mandibulam, & in oris hiatu affigitur *Sirius*, stella quoquè primæ magnitudinis fulgidissima, quam Ptolemæus in *Almagesto*, stellarum pulcherrimam appellavit, quod ob magnitudinem, & splendorem, præ cæteris longè admodum micet, atquè scintillet; hæc verò per dies decem circiter post *Procyonis* ortum ex Hori-zote cum Sole emergit. Cum igitur dixit Hippocrates *sub Cane*, tempus illud intelligendum voluit, quo *Sirius*, & *Canis* major viget, sive cum Sole cosmicè oritur; Ante *Canem* verò, tempus, quo *Procyon* exortum *Sirii* præcedit.

Sed non bene convenit intèr Anctores cuinam *Cani* nomen *Caniculae* propriè tribuendum sit. Equidem si vocem ipsam attendas, videtur convenire, *Cani* minori, quem pro *Canicula* usurpant *Tabulae Alphonsinæ*, *Beda*, aliisque: cui sententiæ favet quo, quæ *Horatius lib. 3. ode 29.* inquiens.

.... Jam *Procyon* surit,  
Et *stella vesani Leonis*,  
*Sole dies referente* siccus.

Et multo clarius Plinius lib. 18. cap. 28. Aegypto verò *Procyon* matutino astuosus, quod sidus apud Romanos non habet nomen, nisi *Caniculam* hanc velimus intelligi, hoc est minorem *Canem*, sicut ut in astris pingitur.

gitur Bayerus in sua *Uranometria* utrumque Canem vocat *Caniculam*, quod & alii faciunt. At multo plures sunt, qui *Caniculae* nomen Sirio attribuunt, & inter cæteros Astronomi, qui propterei *Caniculares* mutationes Cani majori, & Sirio adscribunt. Unde Manilius *Astronomic.* 5.

*Cum verò in vastos surgit Nemeaus biatus;*  
*Exoriturque Canis, latratque Canicula, flammas*  
*Et rapit igne suo, geminatque incendia Solis.*  
*Qua subdente facem terris, radiosque movente*  
*Dinicat in cineres Orbis, fatumque supremum*  
*Sorsit, languetque suis Neptunus in undis*  
*Et viridis nemori sanguis decedit, & herbis, &c.*

Quamquam Galenus primo epidem. comm. i. const. prima de Sirio hæc habet: *Hunc aliqui, nomine abutentes totius Sideris, Canem etiam nominant: atqui Cani universo Sideri est nomen; illi verò, quæ in ejus est mandibula, Canicula, quam rectè Anticanem, non Canem appelles.* Idemque indicatum legimus ab Arato vetustissimo Poëta græco, cuius *Pbænomena* in latinum vertere dignatus est Cicero, referuntque in hanc rem illius carmina Fuchsius, & Cardanus. Sed & luculentius idem Aratus, Ruto Festo Paraphraste, de Sirio agens.

*Aetheria Canis ille plague, cui plurimus ardor*  
*Aestuat in mento.*

Et mox:

*Qui formidato sub nomine Sirius ethram*  
*Urit, huic rutilos si Sol adflexerit axes,*  
*Quantus Corporibus, quantus labor imminet agris:*  
*Quo insuper tempore uterque Canis oriatur, li-*  
*cet aliter, aliterque apud Veteres scriptum sit, no-*  
*nistris tamè temporibus Cosmicus ortus Sirii incipit*  
*initio Augusti; Procyonis verò ad diem xxiv. Ju-*  
*lli.*

lii. At si ortum Heliacum spectemus, hujus accidit iii. Idus Augusti; illius verò xvii. Kalendas Septembres. Tempore autem Hippocratis annis ante Christum natū CCCC., & in IV. Climate, quod per Rhodium Insulam transit, ortus Caniculae referebatur ad pridie Idus Julii: & tempore Avicennæ, idest anno Christi MC. circiter, ad xvi. Kalendas Augusti; idque fortasse ex Plinio lib. 2. cap. 47. qui ad dies xv. ante Kalendas Augustas adscribit: & clarius lib. 18. cap. 28: xvi. Kalendas Augusti Assiriae Procyon exoritur; dein postridie, ferè ubique confessum inter omnes fidus indicans, quod Canis ortum vocamus, Sole partem primam Leonis ingresso: hoc fit post solsticium xxiii. die. Et rursus c. 29. Plenilunium nocet ad iunonas Iulii, cum Aegypto Canicula exoritur, vel certè xvi. Cal. Augusti, cum Italiae. Circā idem tempus illā oriri testatur quoquè Ptolem. lib. de inerr. stell. signif. At verò Maginus anno Domini MDC. ad altitudinem Poli Gr. 45. ortum Caniculae Cosmicum accidisse scribit iv. nonas Augusti. Et Argolus Romæ, anno MDCXXXXIII. ad pridie Kalendas ejusdem. Verumtamen variat sempè illius ortus secundum pro varia locorum latitudine, & poli elevatione, verum etiam, quia stellæ fixæ ex accuratisimis observationibus Tychonis, cæterorumque Recentiorum Astronomorum, quotannis in Ortum, secundum signorum ordinem, feruntur secundâ 51.

Numerus Canicularium dierum varius adhuc dicitur ab Authoribus. Idem Argolus ad dies dumtaxat xxvi. contrahit, nempè à die xxiii. Julii (cum Sol ingreditur amplitudinem Orbis lucis Sirii) ad diem xviii. Augusti. Maginus protrahit ad xxx. Keplerus ad xxxv, vel xxxx. At verò Hippocrates ad l dies produxit. Hinc ad Idus usque Septembres

bris ex mente ejusdem purgantia medicamenta ve-  
luti toleratu difficulta, ac molesta, in nostris regio-  
nibus vitanda erunt.

Nùm insupèr ex solo hujus temporis æstu immo-  
derato existimaverit Hippocrates difficiles, ac mo-  
lestas futuras purgationes, an etiàm ex peculiari  
Astrorum vi, atquè influxu, non ausim determina-  
re, Quippè ex una parte non solùm servida hæc,  
atquè æstuosa tempora vitanda is monuit, sed etiàm  
temperata, cujusmodi sunt Aequinoctia, itemquè  
occasus Arcturi, & Plejadum per Autumnum con-  
tingentes; quamobrèm non à solo Aëris calore mo-  
lestiam purgantium deducit. Ex alterâ verò parte  
non levis ratio suppetit ex Galeno superiùs addu-  
cta, quam latiùs sunt prosequuti Fuchsius, & Car-  
danus hoc loco, quòd eo tempore Natura imbe-  
cilla sit, Corpus exsuccum, & excalefactum, atquè  
humores sponte suâ ad habitum Corporis ferantur  
per sudores, ut preptereà non tutò ad interiora du-  
ci possint, ne ambobus intèr se pugnancibus Na-  
tura distrahatur, aut penitus dissipetur. Experi-  
tum quoquè dicunt in Caniculæ exortu Solem  
ceteroquì à vertice declivorem, urentiorem,  
molestiorēmque persentiri: quin scribit Plinius

*v. etiàm lib. 2. cap. 40.* Maria, ex oriente Sirio, plurimùm  
*lib. 11.* fervere, fluctuare in cellis Vina, Stagna moveri,  
*cap. 14.* Canes in rabiem agi, Apes ubertissimè mellificare,  
*& Mer- curial.* Etesias ventos spirare, aliósque plures effectus sanè  
*var. lcc.* admirandos in Terris percipi, qui non aliundè,  
*l. 2. cap.* quām à vi, atquè influxu speciali hujus sideris pro-  
*24. ex* cisci posse videntur.  
*Arist. 1.*

*5. de bi- fl. anim.* Sed, ut verum fatear, non video quā ratione  
*cap. 12.* tot, ac tanta Caniculæ, & Sirio tribuantur, quæ in  
nostris Regionibus vel nulla sunt, vel potius Soli,  
quām

quām ipsi debentur. Ea enī longē admodūm à nostro vertice dissita est, amplitudinem habens or-  
civam perquām proximam Tropico Capricorni, un-  
dē vix gr. 33. suprà Horizontem assurgit, & tūm  
potissimum à Sole remotissima sit. Sed & quibus il-  
la in vertice est, non calorem, sed frigus affert,  
quo tempore cum Sole cosmicè exoriens, nobis sub  
Zonā temperatā degentibus æstum cōgeminare pu-  
tatur, quippè tūnc illis Hyems est. Quod si iner-  
rantibus Stellis quidpiam virtutis ergā nos unquām  
inesset, profectò id foret potius conferendum Re-  
gulo, Basilisco, sēu Cordi Leonis, Stellæ primæ  
magnitudinis, de naturā quoquè Martis, quæ tūm  
juncta Soli, signum ipsum Leonis peragranti, per  
idem tempus suprà Horizontem emergit, Cælum  
mediat, & iteratā circuitione revolvitur. Attamen  
negari non potest maximè tūnc etiā in urentio-  
rem æstum conferre majorem in aëre vaporosiori  
refractionem. Compertum enīm habeo Aërem in  
his nostris Regionibus per hæc eadem tempora  
vaporibus fieri confertiorem; undē radii Solis, etsi  
aliquantò decliviores, ad Tellurem trajecti, uberrimè,  
velut ex vitro ustorio, colliguntur, & quo-  
dammodo exurunt. Hinc quo die caliginosum Aé-  
rem antelucanis, vel vespertinis horis prospicimus,  
æstum longē admodūm urentiorem futurum præsa-  
gire solemus, quem mōx per diem experimur. Fie-  
ri autēm per hæc tempora Aërem vaporibus con-  
fertiorem ipse crediderim ejusdem Solis vi, qui ē  
Terraquo globo in hiatus patentissimos deliscente  
innumeros, variōsque vapores elicit, cūmque hi  
per noctem nequeant deindē discuti, nec præ sui  
tenuitate in pluviam concrescere, per circumam-  
bientem propterea aërem dispersi, nequè multūm

à Tellure sublimati , justâ distantia , collectos Solis radios arctissimè in nos transfundunt , & ad igneum penè ardorem iterum , iterumque conduplicant . Hac ergò de causâ sit , ut manè , & antè Solis exortum non leve frigus persentiamus , interdiù verò exstuemus : In id quoquè referre est , quamobrèm per hoc idem tempus tām perniciosa apud nos sint locorum mutationes : quippè Aér tūm quoquè ex hiāte Tellure , variis , multigenisque evaporationibus inficitur , quæ non minimum officiunt respirationi , & sanguini per Pulmonem circulantib ; & nisi per ingentes , iteratosque imbres , aut à flante Borea Aér omnino repurgetur , exitiosas ægritudines minatur , ut alibi etiā adnotavimus . Dixit autem Hippocrates *sub Cane* , & *antè Canem* , non vires , sed tempus potius exortus utriusque designat , cùm nimirū ea accidunt , quibus Aér æstuosior sit , & Corporum habitudines adeò afficiuntur , ut purgantium medicamentorum vim , commotionēque sufferre nequeant .

Quoniām verò Hippocrates de tempore ortus utriusque Canis exprelse hoc Aphorismo meminit , planè audiendi non sunt , qui existimant , *sub Cane* illum voluisse oppositum tempus ortus Canis desūgnare , atquè adeò hyberni solstitii , intensiorisque frigoris dies referre : quamquam & hoc etiā tempus importunum Galeno censeatur , lib. quos , quibus , & quando , purgantibus adhibendis , cùm tūm quoquè difficiles , & molestæ admodum contingant purgationes , quod humores non tām sint ad exitum parati , nec viæ laxæ , aut expeditæ . Id enim licet verum sit , non tamèn menti Hippocratis hoc in Aphorismo cohæret , cui solū de tempore ortus Sirii , & Procyonis meminisse in anima fuit . V-

Verum enim verò non omnino cavenda dixit tempora vigentis utriusque Canis in usu purgantium medicamentorum, sed solum per ea tempora purgationes difficiles, & molestas, id est non facilè tolerabiles, accidere. Siquidem illa dicitur ab eodem salutaris evacuatio, quæ confert, & toleratur; modò hæc minimè videtur sufferri posse in diebus Canicularibus, ex antea traditis. At si ægritudo talis per hæc tempora contingat, quæ exigat purgationem, profectò illa adhibenda, quoniā potissima indicatio agendi in morbis, non quidem à temporibus sumitur, sed à causis morbificis, atquè ab his, quæ intrà Corpus sunt, non extrà. Sic Apoplecticos, Hydropicos, Colico doiore vexatos, aliósque tempore caniculari graviter affectos, absquè ullo meatu æstus, aut Caniculæ, communiter in praxi cathartici curare admituntur, ad humoris vitiosi depulsionem. Quamobrem hunc Aphorismum potius servandum interpretabimur in his, qui ab imminentibus se tueri, quam à præsentibus morbis vindicari satagunt, & potius in Corporibus sanis, vel neutrīs, quam in morbos, quæ ægritudine laborant cathartici usum expostulantes; etenim de his, qui adhuc sunt sani, sed ægri futuri sunt, scripsit Hippocrates 6. Aphor. 47: *Quibuscumque vena settio, vel medicatio convenit, hos Vere purgare, vel venam incidere oportet, ad præveniendas imminentes per Aestatem ægritudines, ut fusè Galenus explicat in comm. ejusdem Aphor.* Quod autem hos memoret Hippocrates, qui per medicamenta purgantia se tueri cupiunt, manifestè declarat Galenus hoc loco, inquiens: *quare & plures purgati hoc tempore incidunt in febres, & Natura ex æstu imbecillis, magis ex purgatione dissolvitur.* Si enīm timor est ne in-

cidant in febres ; procùl dubio de non febrentibus , & morbosis sermo est habitus .



### APHORISMUS VI.

*Graciles, & facile vomentes, purgare superius, carentes Hyemem.*

**Q**uemadmodum præcedentibus Aphorismis de temporibus aptis , vel ineptis, ad vomitum , aut dejectionem, egit, ita nunc de Corporibus , illorumque habitudinibus verba facit . Et primùm Graciles , ac facilè Vomentes considerat , quos ait per superiora purgandos esse . Pro Gracilibus autem nō intelligendi sunt Tabidi , qui que ex morbo graciles evasere ; nam de his *Aph. VIII*; sed qui obesi , & carnosí naturā non sunt . Plenarumquæ enim Graciles istiusmodi solent esse Picrocholi , vulgo biliosi , & cholericí , ut advertit *in comm.* Galenus , quibus venæ , & arteriæ latæ sunt , sanguis tenuior , & acrior , ac stomachus , atquæ os īgenti amarore suffunditur . Nequè solùm istos sat est graciles esse , nisi etiām faciles sint ad vomendum ; Siquidem nimiū valet promptitudo loci , & facilitas , seù dispositio humoris , sponte suā vergentis ad supra : tales autem observantur , qui breve collum habent , thoracem latum , & Pylorum ex irritamento protinus se invertentem ex coarctatione fibrarum circularium : Anatomie quippe expertum est , vomitientes sortiri cholidochum ductum rectâ pergentem in pylorum , quò bilarius succus superabundans facilè irruit , & vomitum conicitat .

citat. Itaque cum haec omnia plerumque concurrant in gracilibus, meritò per superiora purgandi illi erunt. Adjicit tamè idem Galenus adverbium *magis*, nam magnâ ex parte, inquit, gracieles sunt biliosi. Quod si gracilitas talis sit, qualis in melancholicis Corporibus esse solet, quia in illicis defunt conditiones maxime memoratae, jure, ut inepta ad vomendum, excluduntur ab eodem Hippocrate Aph. 9., inferius explicando.

Verum unde accidat gracilitas ista Corporibus, curiosum est quæsitum. At qui consideraverit partem sanguinis glutinosam, & albicantem, in Animalibus obesioribus, & mole, & virtute plurimum valere, tenuem verò, & dilutam nimis esse in gracilibus; planè causam utriusque inveniet. Quæcumque enim animalia sunt obesa, & multo adipe scatentia, sanguine quoquè abundant glutinosiori, qui facile partibus appingitur, & hærescit pro nutricatu; quæ verò macilenta sunt, modico glutine donantur, cōque plerumque dilutiori, ut propterea crescere non satis sit, & in augmentum partium adhiberi. Hac eadem ratione contingit, Senes sensim extenuari, & contabescere, marasmo, ut vocant, frigido, quoniā sanguis in ipsis, ætatum progressu, tenuior, atquè dilutior fit, & si fortasse concrescat, potius à crudo, inutilique phlegmate crassescit, quod partibus gravamen esse solet. Contrà verò Pueri, sanguinem sortiti consistentiores, & glutine abundantem, in dies incrementum suscipiunt, atquè ad trianam dimensionem vegetant.

Est tamè verum, quod licet gracilia Corpora nacta sint sanguinem multo glutine non saturant, adeoque modice illa nutritur, & crescent, solent nihilominus esse vegetiora, & validiora, quippe quæ

quæ sanguinem habent actiorem, floridorem, multisque spiritibus refertum, quo sanè privantur obesa; sed & Venæ quoquè, ac Arteriæ in his observantur magis exiles, quæ tamè latiores sunt in gracilibus; undè & pulsus in illis fiunt tardiores, ininúsque validi; in his verò crebriores, & vehementiores; quin imò dicebat Hippocrates 2. Aph. 44. naturâ admodùm crassos citius interire, quam graciles: cuius rationem reddens Galenus in comm. inquit: *Angustæ enim sunt borum Arteriæ, & Venæ, atquè ab id paucum omnino sanguinem habent, spiritumve, adeòt cùm etate processerint, citò ipsis, vel parvum ob causam, calor nativus dextruatur.*

Quoniam ergò gracilia Corpora tenuiorem habent sanguinem, felleum humorem plus justo cumulant, qui delatus, ut dictum, ad pylorum, facilem in illis vomitum excitat; cùmque bilarius iste succus quodammodo etiàm conferat excremerum per alvum **expulsioni**, ne ista magis Hyeme impediatur, quæ tardior per id tempus esse solet, proindè consulit Hippocrates, cavendum Hyeme. Præterquamquòd eo tempore bilis iners esse consuevit, vel saltèm à congestione excrementi mucosi, ex tardiori distributione, emergentis, plurimùm retusa; quamobrè satius erit per eadem tempora alvum, si oportuerit, subducere, & tardas ipsius egestiones promovere, crassos itēmque succos, & in plicis intestinorum impactos, detergere, & expurgare.

Sed mirum est quòd Celsus exactissimus sententiārum Hippocratis Compilator in re hac tam claram, atquè ab omnibus receptā, illi contradicere videatur, cùm asserat lib. 1. cap. 3. vomitum gracilibus, & imbecillum stomachum habentibus inutilem

tilem esse, utilem verò plenis, & biliosis omnibus; si vcl nimium se replerunt, vel parùm concoixerunt. Sed rectè utrumquè conciliat Fuchsius, Celsus interpretatus, de gracilibus, qui vi morbi sunt extenuati, ac Ventriculum languidum, & humoribus vacuum habent. Si enīm is vomitum utilem esse ait plenis, & biliosis omnibus, profecto gracieles intelligit tabidos, exhaustos, & viribus exsolutos.

Illud tandem erit advertendum, tunc graciles, & facilē vomentes per superiora purgandos, cūm ægritudine laborant purgationem indicante, atquè per vomitum opportuniùs: etenim in omni evacuatione necesse est primùm, quod exigit, inesse; mòx etiā abesse, quod repugnat, ut illa convenienter instituatur, simūlque conferat, & toleretur ab ægotante.

## APHORISMUS VII.

*Vomentes verò difficultè, & mediocriter carnosos, per inferiora, carentes Aestatem.*

**V**Idetur hic Aphorismus præcedenti è converso scriptus: Sicut enīm facilē vomentes ad vomitum inducendi sunt, ut in Ventriculum irruentes egerant humores indè promptè evacuandos; ità vomentes difficultè illum cavebant, ne periculum dilacerationis venarum incurvant, potissimum in thorace. Quòd si præterea carnosí sint, adhuc magis periclitabuntur ob nimiam Ventris compressionem, tenacum musculorum, & vasorum exilita-

litatem. Observat etiam Fuchsius non temere adjectum esse mediocriter, græcè μέσος; quoniā qui mediocriter carnosí sunt, mediocri corporis habitu prædicti, meliori fruuntur sanitate, & quandoquæ optimās quamobrēm nullā evacuatione molestandi, ut dicitur 2. Aph. 36., & 37. Cæterū omnia pingues, & obesi, inepti sunt vomitioni, scatentque humoribus pituitosis, & tenacibus, hærentibus potissimum in glandulis Mesenterii, & Intestinorum, qui proindè dejectoriis potius, quam vomitoriis educi possunt.

Additur postremò cavendo Aestatem: & quidem nedum ex nupèr traditis, verūm etiam quia carnosí, & obesi à purgantibus medicamentis facillimè eliquantur, & sanguis in illis funditur ad hypercatharsim usquè, si præsertim medicamenta sumantur validiora, ut deducitur ex Galeno *comment.* 36., & 37. ejusdem lib. 2. Aphor., cùm & per Aestatem ejusmodi Corpora multis, & abundantibus sudoribus perfundantur. At quamquam cavendam dixerit Hippocrates Aestatem, non tamèn reliqua anni tempora prohibuit, quæ alibi tutiora, & convenientiora promulgavit.



### APHORISMUS VIII.

*Tabidos verò per inferiora, carentes superiora.*

**N**E quis confunderet graciles, de quibus antea, cum Tabidis, & à morbo extenuatis, adjicit hunc Aphorismum Hippocrates, quo admonet, *Tabidos, græcè Φθινάδεας, seu Phthisicos*

eos per superiora purgandos non esse, per quas scilicet vias superius dixerat graciles purgari oportere.

At quavis Galenus in *comm.* pro Tabidis Phthisicos, quique phthisim morbum patiuntur, sit interpretatus, videtur tamè inverisimile hos voluisse Hippocratem comprehendere, nam quâ causâ, quâve indicatione unquam phthisi laborantes ad vomitum sint deducendi, non bene constat, quippe qui exsucci, & macilenti, potius repleri, quam evacuari expostulant. Quamobrem verisimilius exponit Cardanus eos hîc subintelligendos, qui ad tabem, & phthisim contrahendam proni sunt, quales describuntur ab eodem Galeno ex mente ipsius Hippocratis i. *epidem.*, thorace, & tergo restricti, ac scapulas habentes alarum instar exorrectas, atquè ampliori capite prædicti, destillationibus, in pulmonem, & thoracem irruentibus, obnoxii: in his enim pulmo mollis, & laxus admodum, cæteraque respirationis instrumenta valde debilia, facile à confluentibus succis eroduntur; undè sanguinis sputum, Empyema, & Phthisis. Si his ergo vomitus indicitur, procul dubio periclitantur.

Mirari quoquè subit cur in Codice Leoniceni adjectum inveniatur per *inferiora*: cum nec Heurnius, nec Fuchsius, nequè Cardanus, aliisve ex recentioribus Aphorismorum Interpretibus id in suis versionibus habeant. Quâ enim ratione, sive qui phthisi laborant, sive qui ad phthisim contrahendamus sint dispositi, quocumque medicamenti purgantis genere tractari possint, non facilè sibi quispiam persuadebit. Verum tacite subintelligendum existimatorem purgationem per inferiora potius molientiam esse, si fortasse Ventriculus cum adjunctis

ductibus fuerit aliquo humore gravatus: quamvis enim ex humore in Ventriculo stagnante vomitus foret indicatus, ob malam tamèn Pectoris, & Corporis habitudinem, vergentem ad Tabem, potius ad inferiora is ducendus erit, ne periculum disruptionis vasorum, & suffocationis subeat, ut dictum. Medicamenta autem purgantia ex levioribus seligenda forent, Manna, Casia, Rosa, Rhabarbarum, ne per acritudinem major in humoribus commotio exercetur, cum alioquin satis sit in his blandè alvum subducere, & nequè multum, nequè universaliter evacuare, sed tantummodo Ventriculum, atquè Intestina inutilibus succis oppleta, leniter inanire, & quodammodo abluere.



### APHORISMUS IX.

*Melancholicos verò pleniùs per inferiora; eadem ratione contraria apponentes.*

**S**icuti Tabidos interpretati sumus eos, qui ad Tabem sunt dispositi, non verò qui jàm Tabidi, & Phthisici facti sunt; ità Melancholicos hic sumere oportebit eos, qui habitus sunt melancholici, sive proclives sunt ad melancholicum habitum contrahendum, ad differentiam eorum, qui solent à Medicis appellari, Biliosi, Sanguinei, Pientiosi, ex dispositione, quâ sunt affecti, hunc potius, non aliud humorē cumulandi, vel etiā ex conditione sanguinis crassioris, & consistentioris, non verò tenuioris, acriorisque; Quamobrem Galeno visum est lib. de humoribus: & comm. de Natura

*sura humana* biliosos appellare, qui in operationibus agiles nimium sunt, & cutis colore flavescentes; sanguineos, qui rubicundiores, & roseo colore suffusi, hilaresque; pituitosos, quibus cutis albicat, aquosa excrementa insunt, & operationes segnes fiunt; melancholicos denique, quorum fuscus color est, mens intenta, & cogitabunda, cum moerore, & taciturnitate.

Hos itaque ait Hippocrates per inferiora purgados esse, si necessitas expostulaverit, & quidem pleniū, quam in Tabidis dictum est, ob crassitię, & densitatem humoris melancholici, qui non tam facile purganti medicamento cedit, nec prompte per angustos meatus Corporis ad exitum deducitur. At verò pleniū, non vehementius scriptum est; ut nimirum edoceamur iteratis potius egestinibus, si oportuerit, melancholicos, & tartareos succos esse educendos, quam unico, vehementique cathartico, quo magis furerent, & excandescerent, vel contrà tenaciū hærerent, seriori portione sepositā: melius eapropter crassi isti, compactique succi blandis subducentibus parere consueverunt, quibus scilicet lubriciores redditi, & laxiores sibi faciunt vias, & commodius in alvum citrā molestiam deducuntur.

Adiecta denique verba: *eadem ratione contraria apponentes*, denunciant, pro variâ ratione peccantium humorum, diversimodè Medicum se gerere oportere; ut proinde vitiosus humor, si promptus ad exitum videatur vomitu, forte quia Ventriculum occupat, eo promovendus; si verò tunicis, glandulisque Intestinorum, aut Mesenterii hæserit, dejectione, magis, minusve validâ, pro majori vel minori ipsius, & patientis Corporis habitudine. Ni-

si etiā dicere velimus cum Argéterio, his in tex-  
tu adjectis, significare voluisse Hippocratem melan-  
cholicum humorem per inferiora vacuandum esse,  
dummodò nil impedit Aestas, Corporis gracilitas,  
aut ad vomendum promptitudo, vel quidpiam aliud  
eorum, quæ pollicentur faciliorem per superiora  
evacuationem.



### APHORISMUS X.

*Medicari in valdè acutis, si materia turget, eadem  
die : tardare enim in talibus malum est.*

**J**Ubet hoc Aphorismo Hippocrates statim esse purgandum in valdè acutis morbis, si tamè materia turgeat, nullâ expectatâ coctione, quam alijas, in morbis curandis, evacuandisque humoribus, exigere visus est; atquè rationem adjicit, quoniam tardare in his malum est.

Et quidèm, quod de purgatione illicò instituendâ loquatur, patet ex verbo *Medicari*, quod alibi diximus sic passim à Græcis, & Latinis Scriptoribus expositum. Nequè verò quidpiam aliud videatur posse significare; etenim ex superioribus Aphorismis continuatus sempè sermo est habitus de purgatione per cathartica, ut propterea nèc de misione sanguinis, nèc de diuresi, aut diaphoresi promovendâ liceat interpretari, sed solùm de dejectione, vel vomitu, prout humor in hanc, vel illam partem vergere videbitur.

Sed & valdè acuti morbi præterea intelligendi sunt peracuti, qui scilicet septimum diem non tran-

transcendent: hi namquæ tanto cum impetu aggrediuntur, ut quam citò omnia quatuor tempora transfigant, & non raro etiam vehementissimis symptomatibus socientur, de quibus idem Hippocrates Aph. 7. 1. ubi morbus peracutus est, statim extremos habet labores.

Vult autem medicandum statim, cum materia turget: quamquam arbitratur Argenterius purgationem esse indicatam subito, non ex turgentia, ut ipse loquitur, humorum, sed ex acutie, & vehementia subitaneâ ejuscemodi morborum, qui inducias non præbent, ut propterea delendas putet particulas illas, si materia turget. Verum quod non temere turgens materia hic sit apposita, suadent potissimum, quæ alijs à nobis sunt animadversa: Si quidem non omnis peracutus morbus indicat purgationem, cujusmodi sunt suffocans Angina, Ardens acutissima, & Lipyria febris, quælibet inflammatio interna, idque genus aliæ ægritudines. Præterquamquod idem Hippocrates Aph. 22. 1. concocta medicanda docuit, cruda verò non movenda, nequè in principiis, modò non turgeant. Et Aphor. 24. ejusdem: in acutis morbis, dixit, raro, & in principiis, medicinis purgantibus uti licere. Accedit quod potior ratio exhibendi cathartica in peracutis desumpta videtur ex imminenti periculo decubitus humorum vagantium in membra vitæ principaliora, cum magno ejusdem discrimine: quod sane deesse solet in acutis morbis, materiam non turgente, cum cæteroqui in peracutis æstus febrilis, sitis, humorum cruditas, tenuitas urinarum, vel earumdem turbatio, purgationem contraindicent. Quare prudenter nos admonet Hippocrates 4. de rat. viii. in acut. 38. nedum abstinere oportere intèr initia-

se.

febrium, aliorūmque morborum acutorum, à purgantibus, sed à quibuscumquè medicamentis Naturam turbantibus, & humores dimoventibus. Et lib. de Medic. purgant. inhibet usum eorumdem in febribus vehementibus, quales sunt Ardentes, & peracutæ, sed solis clysteribus suader molliendam alvum, si opus sit. Conferenda huc quoquè sunt, quæ fusiùs attulimus in expositione Aph. 22, & 24.  
Libri 1.

Cum igitur turget materia, dumtaxat purgare licebit intèr initia, imò protinus, nullâ datâ morâ, priusquam scilicet robur Corporis dissolvatur, vel æstus febris augeatur, aut ad aliquod membra principale decumbant ii, qui per Corpus vagantur humores, ut subdit in comm. Galenus: Idque profectò est, quod Hippocrates in Aph. inquit: tardare in talibus malum. Quod si humores agitati, & commoti, alicubi per decubitum consistant, abstinendum planè à purgante medicamento, ne denuò commoveantur, & interiores, nobiliorésque partes petant, modò tamèn is sit factus in parte Corporis, quæ universam peccantem materialm capiat, eumque comitetur symptomatum abolition, vel remissio, juxta ea, quæ de abscessu salutari notantur à Practicis, & fusè referuntur à Galeno 2. & 6. epidem.



APHOR.

Τομή τρίτης περιφέρειας της κάτω μέσης της πλευράς της αριστερής πλευράς

### APHORISMUS XI.

*Quibus adjunt tormina, & circa Umbilicum labores, & lumborum dolor, qui nequè à medicamento, nequè aliter solvitur, Hydrops siccus contrabitur.*

CUM haec tenus Hippocrates de temporibus, & constitutionibus Corporum egerit, in quibus purgatio instituenda foret, vel per supera, vel per infera, ad præcautionem, vel curationem morborum, hoc nunc Aphorismo memorat eos, qui licet purgationem exigant, non tamè ab illa juvantur, sed ob repugnantem causam, vel partium discrasiam, in morbos graviores, & penè incurabiles delabuntur. Hinc videtur Aphorismus ad prognosim pertinere, quâ præmuniri posse. Medicus, ne suo fine frustratus infamia notetur, si mûlque præfigere sciat futurum ex malâ naturâ viscerum habitudine morbum.

Inquit igitur, quibus tormina contingunt, & circa Umbilicum labores, seu anxietates, ac molestiae, unâ cum doloribus lumborum, unde medicamentis subducentibus, vel aliter solventibus videantur tractandi, si his non proficiant, futurum ut in siccum Hydrôpem incident.

Tria simùl hic commemoravit Hippocrates, Tormina, circa Umbilicum labores, & Lumborum dolorem; ut nimirum his universam ferè Regionem naturalem affectam comprehendenderet: Tormina pertinent ad Intestina; circa Umbilicum labores ad Mesenterium, Omentum, & Peritonæum; Lumborum de-

denique dolores complectuntur utruque hypochondrium, Jecur, Lienem, Pancreas, cum adjunctis partibus, & glandulis lumbatibus, & ubi potissimum Peritonæum adnectitur. Quoties ergo ejusmodi partes affluntur, ac dolent, nec tam facile medicamentis consanescunt, planè denunciant causam omnino rebellem, & contumacem, quæ ob reconditos anfractus, nequè facilem inveniat aditum, sed potius exagitata, atquè excussa solvatur in flatu, qui deinde distendendo, & inflando, Ventrem tumefacient, & Hydrōpem siccum inducant.

Et quidem sunt tormina à re quapiam tenacius hærente, & sensim in halitus evaporante, ideoque extendente, & contorquente plerumque cavitates Corporis ampliores, quales potissimum Intestinorum, quæ distenta, utpotè sensu prædita acriori, cruciatus subeunt acerbissimos. Nequè solidū molestantur Intestina ab his, quæ interiùs illorum cavyum occupant, sed ab iis etiā, quæ per Mesenterium, ejusque ductus illuc confluvunt, atquè gravando, irritando, vel inæqualiter afficiendo, non leviter divexant, & excruciant. Debent autem ista ejus esse conditionis, ut acidum austерum redoleant; ita enim, & concrecentem substantiam in humeribus pariunt, & tormina, atquè lancinantes dolores inferunt; Quamobrem Veteribus causa ejusmodi cruciatuum pituita vitrea dicta est, & Recentioribus succus pancreaticus acidior redditus, indebitéque commixtus glutinosiori chylo, & oleosiori felleo humor: qui propterea plicis, cellulisque Intestinorum hærentes, & crassitie difficulter removablentur, & austera aciditate vellicent, compingant, & molestè nimis contorquent universam Abdominis regionem.

Iisdē omnino ex caussis contingent circa Umbilicum labores, sive, ut Heurnius vertit, cruciatus: nām quæ interiūs Intestinorum involucra infestant, circa Umbilicum esse videntur; ubi potissimum Intestinum Ileon omnium longissimum, maximēque anfractibus flexuosum residet, & ubi diutiūs fæces immorantur, innumerisque hiant osculis vasa chylifera, scū lactea, venæque mesaraicæ dictæ.

Ad lumborum verò dolorē referuntur mala quæcumquè pertinentia ad glandulas lumbares, Mesenterii centrum, Pancreas, utriusquè Hypochondri latéra, atquè his adjacentia viscera, quorum affectiones hoc loco Hippocrates sub generaliori nomine doloris complexus est. Sunt enim partes istæ sensu non modico præditæ ob innumeras nervorum propagines tūm à pari vago, tūm à vertebris lumbaribus, & ossis sacri, dependentes. Dolent autem ab humoribus ibidem aggestis, & acidam, acrem, muriaticāmque noctis conditionem, undē innumera propemodūl mala exoriuntur, ut primus omnium suspicatus est Fernelius, móxque per Anatomen reliqui post ipsum detexerunt.

Cūm itaque hæc alicui accidunt, atquè ab usu purgantium non desinunt, quæ cæteroqui per evacuationem peccantium humorū desinere deberent, vel saltēm infringi, ac sedari, ope aliorum medicamentorum diuresim, aut diaphoresim moventium, siccus Hydrops facilimè succedet: indē enim arguitur mala partium discrasia, & vitiosorū succorum repugnantia, quæ prædictis medicamentorum generibus non cedit. Sed & quamvis genita, ac cumulata ibidem excrementa vī medicamentorum repurgentur, non tamē fieri potest, ut omnino evelantur, ob humorū crassitiem, viarum angustiam,

glandularum ineptitudinem, & partium affectarum imbecillitatem, cum nequè medicamenta facilem habeant ad eas accessum, sine multâ, & validâ commotione, ac violentiâ.

Quòd verò siccus Hydrops, græcè Tympanites, indè potius oriatur, causa est, humorum crassities, & acor, undè multi, tenacésque halitus; atqui morbus hic à materiâ crassâ, concretâque, flatibus permistâ, dcpendet, à qua etiàm Ventrism tormina, circà Umbilicum cruciatus, & lumborum dolores exoriuntur, ut anteà animadversum. Sed tamè non solum Hydrops siccus, verùm etiàm congeneres alii morbi contingere possunt, quales sunt colici dolores, hypochondriacæ affectiones, passiones hystericæ, Ischiades. Meminait autem potissimum Hippocrates sicci Hydrôpis, tamquam morbi patentioris, qui scilicet visu, tactuque percipitur: eo enim imus Venter non solum ingentè intumescit, sed percussus talem sonum edit, qua-

Jem Tympana, ut loquitur Galenus *in comm.*,  
ad differentiam humidi Hydrôpis, qui

Ascites ab Utris similitudine dicitur,

in eo enim materia in Ven-

tre collecta non est flatuo-

sus aér, sed humor

aquoſus.



**APHOR.**

प्रृष्ठा द्वितीया अधिकारा शब्दों के लिए इन्हें उत्तराधिकारा के लिए बदलें।

## APHORISMUS XII.

*Quorum alvi Intestinorum levitate laborant, hyberne tempore per superiora purgari, malum.*

**P**lures hic Aphorismus patitur difficultates, si vulgari commentatione exponatur. Et quidem primò, cum Hippocrates anteà generaliter vituperaverit usum purgantium per superiora Hyeme, non erat cur nunc idipsum repeteret in levitate Intestinorum, quæ multò magis vomitum recusat, cum ex incoctione ciborum oriatur. Non videtur deinde consentaneum Rationi, levitate intestinorum laborantes debere unquam vomitorii tractari, cum levitas Intestinorum, græcè Lienteria, definiatur à Galeno tūm bīc, tūm comm. 1. lib. 6.: *velox existus eorum, quæ comeduntur, & bibuntur, queque talia dejiciuntur, qualia suere devorata*; vel brevius: *Defectio coctionis*. Modò coctionis defectus accidit ex languore Ventriculi, & caloris naturalis concomitantis, ex ejusdem Galeni doctrinā; Unde igitur desumi poterit indicatio promovendi vomitum in ejusmodi ægritudine, quæ potius roborantia expostulat? Præterea excluditur in textu usus purgantium per superiora dumtaxat; videtur ergo tacitè is admitti per inferiora, ut deducitur ex præcedentibus Aphorismis, in quibus alter semper ex duobus admittitur, & alteruter tantum vituperatur. Quis autem unquam cōmendaverit purgantia dejectoria in Ventriculi languore? Postremò pugnare videatur præfens Aphorismus cum XV.VI., ubi lōgo alvi profluvio laboranti spontaneus vomitus supervenientēs

salutaris dicitur. Certe si spontaneus vomitus prodet, poterit quoquè prodesse ex arte paratus; nàm Medicus Naturæ imitator esse debet.

At hæc omnia solutu difficultima profectò forent si Lienteriæ incommoda à languido Ventriculi calore deducere niteremur, &, ut Antiquioribus est creditum, à vitio concoetricis, retentricis, & expultricis facultatis; nàm cùm in Lienteria cibi incocti statim egerantur eo ferè modo, quo sunt assumpti, ad imbecillitatem concoquentis facultatis, illos confiscere, & in chylum permutare nequeuntis, causam ejuscemodi subitæ egestionis veterum plerique retulere: alii ad defectum etiàm retentricis, undè debitum tempus concoetrici denegaretur: & alii ad irritatâ simili expultricem, quæ antè tempus sollicitata cogeretur cibos præproperâ propulsione ad alvum deturbare. Quocumquè autèm modo ciborum hæc citæ dejectio explicetur, sempèr cædem occurrit difficultates. At verò si pérpendantur quæ ab eodem Hippocrate de lœvitate Intestinorum dicta sunt, certè faciliorem, verisimiliorēmque hujus morbi causā inveniemus, atquè propositarum difficultatum solutiones. Is enim 6. Aphor. 1. inquit: *In longis lœvitatibus Intestinorum si ructus acidus superveniat, qui prius non erat, signum bonum. Quoniàm, ut subdit in comm.* Galenus, *significant ructus acidi tantisper cibum in Ventriculo retineri, donec principium mutationis accipiat, & naturam suorum operum reminisci. Siquidèm jàm satis anatome compertum est, ciborum dissolutionem, seu coctionem in Ventriculo, ope quorumdam succorum acidoacriū haberi, quin & distributionem eorumdem jàm dissolutorum fieri in Intestinis tenuibus per misturam confluentium succorum, fellei scilicet, & pancreatici. Quoties ita.*

itaquè succi isti hebetes sunt, vel mucore retusi, præpediti, aliterve depravati, nulla, vel mala fit ciborum confessio, dissolutio, distributio, & secretio, sed gravamine intestinis illato sponte suâ illi feruntur in alvum, & egeruntur. Nequè verò improbabile omnino est, quod ex Veteris Medicorum sententiâ refert Galenus *ibidem*, fieri ejusmodi ægritudinem propter intrinsecæ superficiei Intestinorum levitatem. Etenim ex Anatome constat internam Intestinorum tunicam rugosam, villosamque esse, innumeris glandulis miliaribus refertam, in quas hiant oscilla venarum lactearum, quæ transeuntem chylum à suis fæcibus secretum exugant, deducendum deinde per proprios ductus in commune Pequeti Receptaculum. Si igitur contingat villosam hanc Intestinorum crustam à re quapiam erodente abradi, & complanari, ut deinceps nequeant lactea vasa præterfluentem chylum exugere, procùl dubio sponte suâ tota massa chyllosa, vel etiàm non confecti cibi ad alvum delabentur, & evacuationem promovebunt Lientericam. Idipsum quoquè accidet à laxitate fibrarum intestinalium, & cum à vitiatis felleo, & pancreatico liquore mala fit alibilis portionis dissolutio, atquè à fæcibus secretio, ut latius in nostra praxi notatum est.

His itaque sic expositis, facili nunc negotio, Hippocratis mens in præsenti Aphorismo dilucidabitur: eo enim primùm insinuare videtur levitatem Intestinorum saltē aliquandò oriri vitio alicujus humoris, ut etiàm videtur adnotasse Galenus in *comm. Aphor. 1. lib. 6.*, qui propterea evacuatione egeat, sicuti superioribus Aphorismis de aliis meminerat. Mox vomitum non omnino in hac ægritudine pro-

hi-

hiberi, si præsertim illa Aestate contingat ex humoribus Ventriculum occupantibus, cùm in hoc textu dicat hyberno tempore non licere per superiora purgari; undè in aliis temporibus, & præsertim Aestate forte aliquandò licebit; aliter inde finitè dixisset in levitatibus Intestinorum nunquam per superiora purgandum. Quod hyberno præterea tempore malum sit Lientericos per superiora purgare: tūm quia per id tempus vomitus non solet esse facilis; tūm quia hyeme coctio, quæ in Ventriculo peragitur, melior esse consuevit distributio ne, quæ sit in Intestinis, ut antea ostensum est; quare ne vitiōsi humores ibidem stagnantes ad Ventriculum per vomitum revocentur, propterea dixit malum hyberno tempore per superiora purgari. Accedit, quod si Lientericus fluxus ex glandulis Intestinorum mucosis succis obsitis, & veluti incrustatis oriatur, certè illi per inferiora, & non per superiora purgandi erunt, quod & acutè quoquæ animadvertisit Amicus meus sempè recolendus Josephus Lanzonus Medicus Ferrariensis *animadv. 22.* Denique difficultati ex Aph. XV. VI. propositæ facile fiet satis, si dicamus, loquutum ibi Hippocratem non de Lienteria propriè dicta, sed de Diarrhoea, quas intèr multum interest. Sed & ibi de vomitu spontaneo diarrhœæ contingentib; hic verò de purgationibus arte promotis sermo est: Atqui non sempè licet quoquinque morbi tempore idipsum agere, quod aliquandò solet specialis, & provida morborum Rectrix, & Medicatrix Natura sponte suâ operari: sic per hæmorrhagias narium, per suppurationes ex auribus, per parotidas, per Umbilici relaxationem, morbos sèpè numero, causásque morbosas abstulit, per quas vias minimè Medico ex pe-

pediret. Ecquis unquam Naturæ solertiam poterit imitari, quæ sibi mille parat vias, ut scipsam à morbis vindicet, quemadmodum Galenus animadvertisit.

193

पैक्षिक वैदिक वैष्णव वैष्णव वैष्णव वैष्णव वैष्णव वैष्णव वैष्णव वैष्णव वैष्णव

### *APHORISMUS XIII.*

*Qui non facile per Superiora purgantur, ad Veratrum  
admittendi sunt, pleniore cibo, & quiete, cor-  
poribus ante potionem bumeſtatis.*

**C**UM anteà Hippocrates de temporibus purgationi per supera, vel per infera, aptis, vel ineptis, deque constitutionibus, & habitibus corporum, necnòn de morbis, in quibus vel una, vel altera evacuationis via magis, minùsve conferret, sermonem fecerit, sequentibus quatuor Aphorismis de usu agit Ellebori Veteribus maximè commendati ad eam, quæ per superiora fit, evacuationem efficaciùs moliendam, illùmque in medium adducit, velutì pro exemplo aliorum medicamentorum per os ducentium; atquè inquit Corpora ad vomendum difficultia non esse ad usum Hellebori ducenda privusquam fuerint humectata, cùm cibo, potuque, tūm quiete.

Helleborus in officinis duplex sempèr est habitus, albus unus, niger alter. Albus ad vomitum, niger potius ad dejectiones paratissimus. De albo autem hic mentio facta videtur, quod de evacuatione per vomitum sermo sit, & usui is foret apud Veteres frequentiori, quibus familiarissimæ quoquè erant vomitiones; undè Plinius lib. 25. cap. 5. illud quon-

quondam terrible, postea tam promiscuum evasisse scribit, ut plerique studiorum gratia, ad pervidenda acrius quae commentabantur, saepius sumptauerint: sed & tutissime sumi in Anticyra Insulâ, quoniā Sesamoides admilcent: In ejus autem usu cautionem sane dignissimam proponit hoc Aphorismo Hippocrates, ne mala inde sequantur, quorum ipsem et alias meminit, cum importunus, atque immoderatus est.

Primum considerat num Corpora difficulter per superiora purgentur, an verò facilem subeant vomitionem. Si facilè ad vomendum dedueantur, non erit cur ad Hellebore usum deveniendum sit, cum levī quocumque vomitorio Ventriculus possit exonerari. Solū ergo Veratri usum admissum consult in difficulter vomentibus, quorum Ventriculus acriori eget stimulo, quam ut à quocumque alio blandiori medicamento levius proritetur, ad difficultem vomitionem promovendam. Difficilis autem vomitus contingit, vel à structurâ Ventriculi se potius per fibras ad infera, quam ad supera corrugantis; vel à crassiori tunica, quam interiis ipsis vestitur; vel à glutinosis, crassisque succis internam illius partem oblinientibus; vel ab ejusdem Ventriculi fundo distantiori, ut non tam facilè per vomitum subversus se possit per œsophagum exonerari, teniente quodammodo per angustiam, atque stomachum comprimente Diaphragmate, ut in arctis pectore saepè evenit. Quocumque autem modo vomendi difficultas accidat, semper opus est validiori vomitorio, quo scilicet irritatio sensibilior, molestiorque excitetur ad invertendum Ventriculi, & intestinorum motum peristalticum, cum vomitus motus Ventriculi sit inversus, conantis expellere ea, quae illius cayum occupant. Cum

Cum igitur vomitus non facilè succedit his, qui ex allatis causis non omni leviori vomitorio per superiora purgari possunt, monet Hippocrates ad Veratrum esse admittendos: verum tamè pleniori cibo, & longiori quiete esse magnoperè præhumectandos. Siquidem Helleborus tenuium est parvum, & intè pharmaca nimiè acritudine, & ingenti mordacitate pollet, undè, ne Ventriculo vehementi noceat irritationem, atquè inflammationem inducat, expediet illum præmunire humectantibus alimentis; secùs ab utraquè facilè sequi posset convulsio, quam ex Hellebore lethalem idem Hippocrates pronunciavit 5. *Aph.* 1. Humectabitur autem convenienter Ventriculus juribus potissimum, & alimentis adiposis: quin & consueverunt plerique antè ejusmodi vomitoriorū exhibitionem cibum ad saturitatem usquè, & ex rebus præsertim oleosis, & pinguibus imperare, ut melius crassi, tenacésque succi cibo committi unasimul evomantur, & medicamentum vomitum inducens quodammodo cibo retusum nequeat Ventriculum vehementius lacerare, & exagitare. Quod sanè nedum in hellebori usu, sed in cuiusvis alterius efficacis, & violenti vomitorii intelligendum: etenim Hippocrates eo solùm hic usus est loco exempli.

Eadem ex causâ quietem servandam docet, antequam Helleborum sumatur, eamque non solùm Corporis, sed Animi. Confert enim utraquè quies nedum ad humefaciendum, verùm etiam ad vitale robur servandum, quod bene valere necesse est ad ferendam vomitionem: Evidem Corporis, & Animi motus plurimum extenuant, & vires debilitant.


At cum Hellebori usus veluti periculosisstius tamē multifariam illum corrigere, & præparare,

*Par. II.*

Cc

Ve-

Veteres conati sunt, ut apud Dioscoridem lib. 4., Aetiam lib. 3. cap. 124., Aeginetam lib. 7. cap. 21. & Galenum lib. quos quibus, & quando, & 3. de fractur.) nostris temporibus exoleverit, alia, & quidem initiora vomitoria excogitata sunt, in quibus tanta cautio, quanta in Helleboro expostulatur, non videtur necessaria. Verumtamen non temere, & inconsideratè quæcunque vomitum movent usurpanda sunt, cum aliquibus satè sunt quæ ex vegetalibus conficiuntur, aliis vero etiam quæ ex mineralibus sunt parata: quo pacto hic Hippocrates non omnibus vult Helleborum esse exhibendum, sed solùm iis, qui difficultè evomunt; undè pro variâ evacuandorum humorum conditione, vomitoria ista evariare licebit.



#### APHORISMUS XIV.

*Cum biberit quis Helleborum, ad motiones quidem  
Corporum ducere magis; ad somnos vero,  
atque quietem, minus. Indicat autem  
navigatio turbari motio-  
ne Corpus.*

**P**ostquam Corpora ad Hellebori sumptionem sunt disposita, ut facilem ex illo nanciscantur evacuationem, consulit Hippocrates ad motiones esse ducenda, sumpto exemplo à navigatione, per quam constat illa turbari, & promptius evomere. Scitè autem advertit Cardanus hunc Aphorismum scriptum fuisse ad commodam, facilem, celerem, minusque molestam ab Helleboro evacuatione.

tionem; sequentem verò adjectum esse ad illam augendam, vel cohibendam, si fortassè diminuta, vel excedens videatur: quā ratione vindicatur Hippocrates à calumniis Galeni *in comm.* dicentis, *li-*  
*quere quòd hic sermo eamdem vim habeat cum prio-*  
*re*, quasi verò Hippocrates bis de eādem re verba fecerit.

Confert itaque motus evacuationi promovendæ; tūm quià humores attenuat, fluxilésque reddit; tūm quià ductus corporis dilatat; tūm etiām quià cælorem suscitat, & medicamenti assumpti operacionem sollicitat: contrà verò quies, & somnus impedit, cohibetque. Quamobrèm experimur sisti somnō omnes cujusvis generis evacuationes, uno solùm excepto sudore.

Non tamē motus adeò vehemens, & immoderatus esse debet, ut Corpus delasset, vires eneruet, & ad cutim commotos humores deducat: hoc enī pacto retardaretur potius evacuatio, quæ ex assumpto vomitorio desideratur; quiniūmò duceretur vis venefica epoti Hellebore in partes Corporis penitiores, non sinè gravi noxā totius. Sed & nēc quicumquè motus ad vomitum promovendum exquiritur, sed qui corpora turbare valeat, & nauseam movere, cuiusmodi est navigatio, per quam inæqualiter illa exagitantur. Undè existimavit Argenterius conducibiles solūm in id esse navigationem, equitationem, & ambulationem per circulum. Adderem ego motum illum nostratisbus puellis cōsuetum, quo pensiles è suspenso fune librati in aëre ducuntur, reducunturque.

Sed an statim ab assumpto Hellebore, aliōve vomitorio medicamento movendum sit Corpus? Putaverim eousquè quiescere oportere, quo usquè me-

dicamentum fuerit in ventriculo dissolutum , sive , ut practici loquuntur , à potentia deductum in actu : cum vero Ventriculum vellicare , & nau- seam moveat cœperit , turbatione commovere neces- sum erit ; quod & plerique facere consueverunt so- lâ linguæ , & summitatis œsophagi vellicatione . Ve- rūm hâc in re plurimū tribuendum prudentia , & sagacitati assidentium , ne diutius , crebrius , aut impensiūs , quam par sit , Ventriculus proritatione subvertatur , & mala suboriantur non raro imme- dicabilia . Idein quoquè servandum erit in usu sub- ducentium medicamentorum , in quibus pro quiete somnus , & pro motu vigilia ( si fortasse illum Cor- pus ferre nequeat ) commendabiles erunt , prout medicamentum dilui , aut exaci exostulaverit .



### *APHORISMUS XV.*

*Cum voles Helleborum magis ducere , move Corpus ;  
cum vero sistere , somnum inducito , nec moveo .*

**Q**UOD hoc Aphorismo doceat Hippocrates modum , quo assumptum Helleborum eva- cuationem copiosiorem eliciat , patet per adverbium illud , *magis* : nām procūl du- bio vehementius , uberiisque purgabit Helleborus , si à motu seipsum insinuaverit , atquè confluentes humores adhuc à Ventriculo , & Intestinis remo- tiores eduxerit , potissimum si motus ejus sit con- ditionis , ut præter attenuationem , amplificationem que , agitat , turbet , & nauseam moveat , ut antea dictum est .

Si-

Sicut autem motus confert ad copiosiorem evacuationem promovendam; ita quies, & somnus eamdem, fortasse immoderatam, sistit, & cohibet; quamobrem Hippocrates cōsulit hoc eodem Aphorismo à motu abstinendum, & somnum esse indudendum, si illam comprimere opus fuerit.

At quo pacto somnus inducatur, Hippocrates nō explicat. Et quidēm non tam facilē est in egestionibus à purgante medicamento excitatis, quo scilicet Venter assiduò ad secessus proritatur, somnum allicere. Verū ad compescendas evacuationes per alvum immoderatas non raro cibus assumptus mīrè conculit: eō enīm affecta Natura ab ēvacuatione desistit, & fibræ Ventriculi, ac Intestinorum plurimūm ēādem de causā delassatæ contrahuntur, & confluxuros humores detinent, quinimmo vis medicamenti à portionibus cibi humidioribus non leviter infringitur, ipsæque succorum particulæ jām anteā dissolutæ, & attenuatæ, summoperè crassescunt, atquè consistunt. Attamen in vomitu quiā Ventriculus graviter afficitur, & per plures horas nauleā, & subversione tenetur, non videtur opportunum cibum assūmere; is quippè subindē gravatus, magis, magisque ad vomendum sollicitaretur, non simē graviori noxā. Proderunt eapropter, quæ stomacho grata, reficere quidēm possunt, sed vi quādam opiatā vomitum sedant, qualia sunt Vinum, vini spiritus dulcis redditus, Aqua cinnamomi stillatitia, oleo faccharum ejusdem, vel citrii, tinctura alkermes, aliudve simile, foto quoquè interē Ventre rebus aromaticis, putā oleo Mastiches, & Magni Ducis, elixire Quercetani, Aquā ardente, Balsamo orientali, vel Tolutano, idque genus aliis. Sed & Theriaca præsertim recēs vino diluta efficacissima quo, quē

què est, sicut etiàm Mitridatum, & Diaſcordium dosi convenienti, pro ratione virium, & ætatis. Lau- danum denique opiatum, & aliquo liquore ſolutum, aut in pilulam cum confectione hyacinthina reda- etum in compescendo vomitu, ut & in cæteris eva- cuationibus cohibendis, præcellere dicitur; cavendū tamè ne importunè, aut excedente dosi exhibetur, nam consopitis omnino viribus, stupefactoque Ce- rebro lethum afficit ab evacuatione.



### APHORISMUS XVI.

*Carnes Janas habentibus Helleborus periculosus:  
facit enim convulsionem.*

**Q**uod aliàs Hippocrates de quocumquè pur- gâte medicamento in benè valentibus pro- tulit, nûnc speciatim de Helleboro adnotat, & quidèm albo, quo nimirùm vomitus cō- citatur, ut ex hactenùs traditis clarè deducitur.

At mirum videri potest, quod Helleborus sit un- quâm sanis exhibendus, ut exindè convulsionis periculum timeatur. Quis enim unquam sanè men- tis Helleboro utetur, aut suo, aut alieno confilio, cùm benè valet? Quamobrèm videtur hic Apho- rismus inutiliter adjectus, quo fortassè debeant be- nè valentes commonefieri, ne Helleborum affuant. Verùm non dixit Hippocrates *benè valentibus*, sed *sanas carnes habentibus* Helleborum esse periculosū: nam possunt Corpora sanas carnes habere, & ali- quâ ægritudine laborare, præſertim citrè febrim, & absquè ullo sanguinis vitio, sed ſolâ quarundam par-

partium affectione, uti est dolor lumborum, genuum gravitas, Ischiades, ardor stomachi &c. In his enim affectibus solebant Veteres vomitoris uti, imò quamquam ex occasione Helleborum potare: tam illis familiare, & consuetum erat vomere. Hos ergo consulit Hippocrates ab Helleboro abstinere, si carnes sanas habeant; additque rationem, quoniā Helleborus convulsionem affert.

Sed quomodo ex Helleboro Convulsio oriatur, dubitari non incongruè potest. Et quidem non ex vī purgante id evenire fatendum, ex eo potissimum, quod cætera cathartica medicamenta etiā vehementissima, uti sunt colocynthis, scammonium, elaterium, convulsionem non afferant. Videtur itaque convulsionem afferre Helleborus acritudine potius Ventriculo, & nervis infensâ, quemadmodūm Cantharides speciatim nocuæ sunt Vesicæ urinariæ: Colocynthis, & Scammonium Intelchinis, Opium Cerbro. Proptèr vomitum enim, quem violenter inducit, fibras stomachi lassedit, & nervos ejusdem compungit, ac extorquet, undē fit, ut convulsionem, quæ passio nervorum est, pariat. At verò magis afficit Helleborus habentes carnes sanas, quoniā in his nervorum fibræ exquisitoris sensus sunt, atquè adeò facilius acris, atquè irritantis medicamenti viam, molestiamque percipiunt, quam minimè persentirent si hebetioris sensus forent, aut multa pinguedine, & crassorum succorum copiā infarcirentur. Quā etiā ratione fit, Ventriculum lentis, viscosisque humoribus, aut adiposis cibis oblītum acritatem Hellebōri minus persentire, quam si omnino vacuus, & benè valens sit. Hinc experientur gravius affici eos, qui jejuni Arsenicum, Auripigmentum, Sublimatum, aliudve istius generis venenum

num assumpsérunt; leviùs, vel nullimodè, qui à pastu: cuius rei non ignari circumforanei pharmacopœæ, arcanorum jactatores, ut rudem plebeculam illudant, venena sumunt, postquam se plurimū ingurgitaverint, & cibis potissimum olcosis, ac pinguisibus, quibus interna Ventriculi tunica ad veneni efficaciam retundendam obliniatur.

Cæterū Convulsio hic ab Hippocrate notata, non vera convulsio intelligenda est, sed motus convulsivus: Siquidèm per convolutionem veram, nervi, & musculi ad sua principia retrahuntur, & retracti perdurant, ut in Tetano, Opistothono, & Emprostethono; at verò convulsio, quæ ex Helleborō contingit, refert potius inæquales, atquè irregulares earumdem partium commotiones, spasmodicas, congruentiori nomine, appellatas, quemadmo- dūm in Epilepsia.

Sed quibus remediis succurrentum iis sit, qui ex usu Hellebori, aliūsve similis medicamenti, motus istiusmodi convulsivos patiuntur, non erit absē hīc breviter memorare, idque lubentiūs, quoniām non sunt hi eisdem omnino remediis tractandi, quæ usui esse solent cæteris convolutionibus, aut motibus convulsivis, ab humore nervos occupante progenitis, in quibus purgantia, dissolventia, & calefacentia dīcta à practicis commendantur; sed potius humefacentibus, & obtundentibus acrimoniam ab Helleborō inductam. Quarè jura ex vegetalibus, quæ nervis opitulentur, & Stomacho grata sint, prōde-runt, cuiusmodi præcipue parari solent ex bardana, stœchade, visco quercino, malo cydonio, cum floribus nymphææ, & violarum arefactis. Cydonium ipsum sive crudum, sive coctum fertur Hellebori albi antidotum, itemque Gelatina C.C., & condi-tura

cura florum nymphæ. Mirificè etiā conferre putantur extractum baccarum sambuci, & hyperici, Theriaca, & Mitridatum recens, cum pulvere seminum pastinacæ. Exteriūs verò proderunt quæcumquè leniunt, & partes concitatas demulcent, undè oleum hyperici, baccarum lauri, & vitellorum ovorum; itēmque radices Angelicæ in Vino excoctæ, & in cataplasmati formam applicatæ conferunt; balneationes quoquè vel ex aquis thermalibus blandè laxantibus, vel ex artificialibus, cum medicamentis anodynīs, præsertim chamomælo, meliloto, hyperico, alijs profūisse visæ sunt. Cætera ex communi agendorum methodo petenda erunt.



## APHORISMUS XVII.

*Eum, qui non febricitat, eibi fastidium, morsus oris Ventriculi, vertigo, & oris amaritudo, purgatione indigere per superiora significant.*

**H**actenūs opportunum, convenientēmque volutioniorum medicamentorum usum, animaldversiones, cautionēsque, in Hellebori exhibitione descripsit Hippocrates, nūnc signa tradit eorum, qui per superiora, vel inferiora purgandi sint: Et primū, eum inquit, qui non febricitat, sed nauseā, ac ciborum fastidio, itēmque morsu oris Ventriculi, vertigine, atquè oris amaritudine afficitur, purgatione indigere per vomitum significari.

Recenset itaq̄ē h̄ic indicia, quibus Medici di-

Par. II,

D

gnos-

gnoscere queant quandonam per superiora vitiosos humores expurgare cogantur, sectantes Naturam motum, ut idem Hippocrates alibi scriperat, quo mundus, ducendusque humor vergeret.


Et quidem ad superiora ferri indicabunt. Primum, *ciborum fastidium*, quo designatur Ventriculus inutilibus humoribus oppletus, unde illius fibrae laxatae nequeant corrugari, succi dissolventes, digestioni addicti, præpediti, aut retusi, tamis sensim non exacuant, & vis ipsa ciborum concoctrix habescat, & elangueat. Secundum, *morsus oris Ventriculi*, qui nonnisi ab humoribus præter naturam ibidem congestis, acribus, & biliosis dictis, sit, quibus nimis Stomachus vellicatur, & compungitur, eâ doloris specie, qui græcè Cardiogmos, & Cardialgia appellatur. Tertium, *Vertigo* designans, iisdem humoribus in Ventriculo collectis, sive per nervos, sive per arterias Cerebrum affici, & prævis halitibus adeò tentari, ut subinde in suis operationibus turbetur, & vertiginem incurrat, vel simplicem, vel tenebrisosam dictam. Quartum, *oris amaritudo*, quæ à degeneratis pariter humoribus, amarorem præferentibus exoritur; Unde œsophagus, palatum, & lingua pari affectione per consentientes glandulas, tunicasque cum salivario rore depraventur. Quamobrem cum hæc omnia manifestissime demonstrent vitiosos humores Ventriculi Cavum occupare, meritò per superiora, veluti per loca conferentia, illi erunt exturbandi. Si enim ad inferas partes dejicerentur, usu purgantis dejectorii, nō tam promptè, atquè expedite evanarentur & procùl dubio infici quodammodo quoquè possent, qui in intestina confluunt succi: quin & catharticum ipsum ab eorumdem succorum miscela deprava-

vatum, & corruptum graviorem molestiam afferret, atquè ex diuturniori mora in Intestinis, venæ lacteæ inquinaretur, facilèque oriri possent tormina, diarrhœæ, febres, præter alia non leviora reliquorum naturalium viscerum mala, speciatim vero Renum, & Vesicæ, ob transmissionem alicujus portio-nis dejectorii medicamenti: id enim cujuscumquæ generis illud sit, diureticum fieri solet, quemadmodum testantur urinæ per id tempus coloratores, multumque turbatæ.

Hæc autem indicia simili juncta dixit indicare per superiora purgationem, absente tamèn febre, nam si fortassè illa febri sociarentur, certè non à præsentia humoris in Ventriculo, quæ planè vomitum indicat, sed ab ipsa febre oriri possent. Quamobrem si humor Ventriculi cavum occupans desit, evacuatio minimè indicabitur, quæ nonnisi expostulata videtur ab humore Ventriculum replete: at verò non raro à febre accidit cuncta hæc oriri, quæ tamèn purgationem non exigunt, itò & aliquando contraindicant, ut cum febris inflammatio-ni, vel phlogosi copulatur.

Verum quamvis ista signa citrè febrim Corpus denuncient per superiora purgandum, eoquòd designent Ventriculum malis humoribus repletum; non tamèn si febris adsit, oportebit sempèr, & omnino à vomitoris abstinere, si ex iisdem, aliisque signis conjiciamus, humorum Ventriculi cavum occupare; etenim sempèr ac humorum Ventriculum infestant, vomitu ejiciendi sunt; undè sensus Aphorismi is erit, ut si absente febre, nausea, morsus oris Ventriculi, vertigo tenebricosa, & oris ama-ritudo quempiam affecerint, vomitus sempèr indice-tur; si verò hæc omnia à febre habeantur citrè

humorem in Ventriculo contentum; ab illo abstinendum, cum haec eadem à solâ febre pendere possint; at si præterea, etiam humoris præsentiam in Ventriculo sequantur, & non à febre exoriantur, vomitus adhuc erit procùl dubio indicatus, potissimum intèr ejusdem initia. Dixi intèr ejusdem initia, nam si fortasse haec accidant tempore declinantis febris, quoniām significant criticam evacuationem per superiora futuram, oportebit à vomitorio abstinere, & Naturæ motum criticum expectare, ex regulâ ab eodem Hippocrate traditâ Aph. 20. lib. I.: *Quæ judicantur, & judicata sunt integrè, nequè movere, nequè novare aliquid, sive medicamentis, sive aliter irritando, sed sinere oportet, de qua etiam re legendus Galenus 3. de Crisb. Liceret autem, si præmonitam evacuationem minime Natura expleret, ut alibi notatum. Verum intèr ea, quæ vomitum movent, & citò, ac tutò conferre solent, præstant ex stibio concinnata.*



### APHORISMUS XVIII.

*Dolores, qui sunt suprà præcordia, quicumquè egredi purgatione, medicari oportere per superiora significant: quicumquè autem infra subsistunt, per inferiora.*

**D**icit & hoc alio Aphorismo Hippocrates quando purgandum sit per superiora, & quando per inferiora, idque ex dolore partes suprà, vel infra præcordia occupante, potissimum deducit, dummodò purgatione opus sit.

In

In doloribus itaq; sive (ut exponunt Fuchsius & Heurnius) in molestiis, seu affectionibus supra præcordia, vel (ut alii vertunt) supra Septum transversum, si purgatione egeant, vomitu potius utendum, quia breviori viâ, & facilitiori molimine se Natura exonerabit; immo humores ipsi evacuandi promptiores, paratioreisque erunt ad exitum. Non tamè dixit in doloribus, seu molestiis quibuscumque, sive in doloribus simpliciter, & absolutè: nam nequè Pleuritis, aut Peripneumonia, nequè Angina, alijsve dolor cum inflammatione, purgationem indicabit; Sed in doloribus, qui purgatione egent, quales scilicet à Ventriculi orificio superiori ex pravis humoribus oriuntur. Sed nequè defuerunt, qui etiàm in affectibus Pectoris, & Pulmonis, cum inflammatione conjunctis, vomitum commendarint, quemadmodum præ cæteris Rulandus, qui usu cuiusdam Aquæ, benedictæ à scipso appellatæ, Pleuritidem, Pulmoniam, Empyema, cæterasque ægritudines Thoracis tuto se curasse testatur; quamobrem hâc ratione sënsus istius Aphorismi generalissimus foret, aptandus cuicunque ægritudini supra Septum transversum. Quod si non supra septum transversum, sed supra præcordia dolores, ac molestiae hic intelligantur, sententia hæc procùl dubio clarior fiet, quippè præcordia sub nomine phrenos græce nuncupata, comprehendunt etiàm Viscera plurima sub septo transverso constituta, ut Hepar, Ventriculum, Lienem, & alia adjacentia, in quorum doloribus, seu molestiis, purgare per superiora cutiùs licebit, ob consensum, quem ista ineunt cum eodem Ventriculo, in cuius cavum se plerumque exonerant.

Quemadmodum affectiones partium superiorum ob

V. Gal.  
6. de  
plac.  
Hippoc.  
G. Pl.  
cap. 94

ob loci promptitudinem indicat per superiora purgandum; ita è converso quæ inferiores partes molestant, exigunt purgationem per infera: difficillime enim humores in imo Ventre consistentes possent per vomitum expurgari, cum tamè promptissimè in Intestina confluentes ad alvum deponantur. Nèc absit dixit Hippocrates: *quicunque infrà subsistunt, idest stabiles, & firmi sunt; nàm si fortasse vagi forent, hanc, vel illam partem impentes, non temerè purgationem exquirerent, cùm nò benè constaret per quas vias esset educendum; quin, & verendum foret, ne à flatibus orti commodâ adhuc purgatione desinerent, sed contrà potius exacerbarentur.*

Nequè verò rationi dissentaneum putandum est, nedum de evacuationibus per cathartica tātū Hippocratem loquutum, verū etiā de quibusvis aliis egestionibus, suprà, vel infrà, promovendis, ut propereā sensus Aphorismi sit, in doloribus suprà septum transversum, & vomitione, & anacatharsi, prout alterutrā opus fuerit, utendum esse, infrà septum transversum verò, & dejectione, & diuresi, pro loci, & humoris proclivitate: non minùs enim unā, quam aliā evacuatione corpus affectum purgari posse experimur; quamvis hic de catharsi propriè videntur loquutus Hippocrates.



APHOR.

# ΑΦΟΡΙΣΜΟΣ ΙΧ.

## APHORISMUS XIX.

*Qui in medicamentis purgati non sitiunt, non cessant, priusquam sitiunt.*

**P**roponitur in hoc Aphorismo ab Hippocrate signum completæ purgationis à medicamento habitæ, illudque dicitur esse sitis evacuacionem subsequens, ut propterea eosquæ purgationem esse producendam videatur assertum, quo usquæ sitis comparuerit.

Affert Galenus *in comm.* quatuor causas, ob quas sit futura sitis ex purgante medicamento. I. Ratione ipsius Ventriculi, qui *ex caliditate, vel siccitate, vel ambabus qualitatibus promptè ad sitiendum perducatur.* II. ratione medicamenti, cùm acre fuerit, calidum, & mordax. III. propter humorem evacuatum, qui plerumquæ bilis amara est. IV. ex superabundanti evacuatione, per quam rorida substantia educta, siccitas deinde subsequitur, & sitis.

At quamvis hæc ut plurimum ita se habeant, non tamè sempè, & ubique veritati consonant, cùm non rarò expertum sit ingentem sitim fuisse subortam absquæ ulla, vel modica evacuatione, atquæ ab usu medicamenti leviter purgantis, quod sedandæ siti usui esse solet, quemadmodum fatentur de pulpa tamarindorum, de casia, de violis. Contrà verò sitis nulla, vel exigua subsequanta est à cathartico vehementiori; Undè fallacem, nimis conjecturam plerique existimarunt succendentem ex purgatione sitim; quin & de veritate istius Aphorismi magnoperè sunt veriti. Si præ-

te-

tērēā perpendantur, quæ à Galeno sunt in ejus ar-gumentum proposita, planè alias, & quidēm gra-viores addere poterimus difficultates: etenim si ex caliditate, & siccitate sitis oriatur, procūl dubio febre hecticā laborantes immensū sitirent, nullatenūs verò hydropici; nequè verò proptèr medica-mentum, cùm acre fuerit, calidum, & mordax; ne-què proptèr humorēm evacuatū, etsi biliosus sit, sitis oriatur; nām etiā levia, & quæ benedicta appellantur purgantia medicamenta, sitim xp̄issimè excitant molestissimam; & evacuato humore, præ-sertim bilioso, fcbreū, & sitim inferente, utraqū potius desinere deberet.

Quod præterea idēm Galenus scribit *i. de simpl. med. facult. cap. 30.* augeri sitim vel ob caloris copiam, vel ob humoris inopiam: ob caloris copiam quidēm ex febribus, aëre æstivo, cibis calefacien-tibus, & exiccatibus, purgantibus medicamentis, velenis erodentibus, aliisque; ob humoris inopiam verò, ex laboribus, vigiliis, sudoribus, cæterisque evacuationibus immodicis, nequè veritati cohæret; Siquidēm Hydropicos intensa, & molesta sitis urget, quæ nēc ab humoris inopiā, nequè à caloris copiā dependet.

De organo, scū sitis sede dubitare ulterius con-tingit: nām quamvis *in comm. hujus Aph.*, & ali-bi, putaverit Galenus esse Ventriculum: Alii ta-mēn nedūm ex Recentioribus, sed ex Veterioribus Philosophis, & Medicis Pulmonem existimarunt: cuius sententiæ fuerunt Plato, & Aristoteles. Un-dē sicūt edaces dixerunt eos, qui latiorem Ven-trem à nativitate nacti sunt, ità bibaces ex adver-so, qui ampliorem, longiorēmque thoracem. Hip-pocrates etiā lib. *de Carnibus* idipsum manifeste-

do-

docērē videtur asserens per laryngis rimam aliquid potulenti in tracheam, & pulmonis bronchia de-labi, ad illum irrorandum, humectandūmque; cui consentit pariter Galenus 8. de plac. Hipp., & Plat. cap. 15. Hinc idem Hippocrates hoc eodem 4. Apb. 54. inquit: *Quibus plurimūm siccā tuffes leviter irritantes in febribus ardentibus sūnt, non multūm siti infestantur: Quoniām, ut subdit in comm. Galenus, madescunt loca, quæ ad asperam pertainent Arteriam, & ideo minus fiticulose sūnt. Quamobrēm pluriēs expertum, magis extingui sitim usū gargarismorum, quibus scilicet asperæ Arteriæ ductus humectatur, quām si liberalior potus Ventriculum irroraret. Hūc etiām facit quod notavit pariter Hippocrates in epidemīis magnoperè ad omnem sitim prodesse os claudere, & tacere; quandoquidēm ex loquela non solūm salivarius ros extenuatur, & deficit, verūm etiām Thorax, Pulmo, & aspera Arteria plurimūm defatigantur, & exarescant: si autēm à Ventriculo sitis oriretur, haudquaquam proficeret silentium, eo loco ab Hippocrate commendatum, cūm vox, & loquela, ad Thoracem, Tracheam, & Pulmonem pertineat, juxtā illud: *Cor sapit, Pulmo loquitur*. Atqui non raro à pastu si diutiūs eloquamur, vehementius sitimus, etsi Ventriculus uberiori potu jām inundet.*

Ex his igitur, alisque, quæ consultō omittimus, videntur planè rationes à Galeno pro expositione hujus Aphorismi superiùs adductæ non minimūm enervari. Quamobrēm, ut sensum Hippocratis verisimiliūs assequamur, & congruentiūs tueamur à vindiciis, scire oportet sitim in Animantibus induci ex defectu ejus humoris, qui per sua vasal circumfluus irrorandis partibus addicitur, & latet,

ac lympha ab Anatomicis vocatur: etenim in statu naturali pari circuitu partes cunctas Corporis petit, irrigat, & humefacit, quo sanguis in easdem illapsus alit, fovet, atque in vita tutatur: hic idem aqueus humor glandulas salivarias pervadens, fauces, linguam, & guttur irrigat, atque gustui, & loquutioni peragendae plurimum conserit; oculos quoque oblitus, serum in pericardio conservat, & pro pulmonibus aliquâ sui parte in pectoris cavo colligitur; imò universas glandulas Corporis alluens, nèc non articulos, membranas, parenchymata, non solum nutricatui, & incremento proficit, sed etià plurimis ægritudinibus cuncta tuetur. At verò sicuti in statu naturali substantia, qualitate, & quantitate convenienti, cum per suos ductus circuit, omnia hæc Corpori beneficia elargitur; ita in statu morboso, si in his deficit, mille propemodùm incommoda parit: potissimum autem sitim excitat, si desit, totóque ferè corpore exhauriatur, sudoribus, mictionibus, spuso, lachrymis, aliisque immodicis evacuationibus, sive sponte, sive arte promotis. Similiter si glutinosior, salsior, acrior, acidior redditus, nequeat fauces, guttur, & linguam convenienter irrigare, ut experimur in catarrhis, in febribus, in subito timore, & aliquando etià móx à pastu. Si præterea aliò confluat, quam ut decet, aut alicubi restagnans extrâ proprios ductus feratur, ut in hydröpe, & dipsaco. Quare non mirum si diversimodè sitim sedari comperiamus, largo nedum aquæ haustu, sed & vino, ejusque spiritu, aliquando spiritu vitrioli, vel salis, cæterisque multum intè se disparibus, quandoquidem non ab una, eademque causâ lymphæ vitium exoritur; & sitis.

Na-

Naturalis præterea sitis in Ventriculo quidem, & in faucibus excitatur, ac persentitur; at vero morbos, & quæ præter naturam evenit, etiam in g丈ture, tracheâ, & pulmonibus; unde sçpenuerit accedit, ut ingenti siti crucientur ægrotantes, et si Ventriculus multis humoribus, etiam aqueis, sit repletus, imò nonnumquam adhuc languidus, & naufragi affectus. Sunt insuper qui solis gargarismis ab ejusmodi sitis molestiâ liberantur, & alii inspirato dumtaxat Aëre frigidiori: sub quo sensu dixit Hippocrates tusses leviter irritantes in scribus sicutum remittere.

Purgantia autem medicamenta postquam dissolutionem in Ventriculo passa sunt, suas operationes plerumque exerunt in Intestinis tenuibus, ubi irritatione simul, ac fermentatione indebitâ cum liquoribus felleo, & pancreatico perpetim inductâ, eos primùm humores diluunt, & extenuant, qui tunici, & glandulis eorumdem impacti fæcum depositionem non raro etiam remorantur; unde prima Alvi exoneratio, tota fermè sacerdaria esse solet. Mox si ejus sint efficacitatis, ut lacteas venas subeant, atque etiam cum sanguine secundum partes saltē tenuiores misceantur, ipsum fundunt, & glandulas potissimum Mesenterii laxant, exturbant, & extenuant, id eoquè vasa lymphica illuc pertingentia pari molestiâ cogunt lympham ubertum effundere, & quandoquè etiam sanguine intinctam, ut in hypercatharsi contingit.

Quoniām vero in glandulis præsertim solent vitiosi, & inutiles humores inhærent, cùm ob spongiosam earumdem substantiam facile suscipiant, & difficulter deponant, quos semel humores exceperē, idcirco sit, ut nunquam à catharticis congrua pur-

gatio sit successura, ni glandulæ maliis humoribus sint inanitæ, & ex præterlabente lympha quodammodo detersæ, ut indè universalis Corporis purgatio, & velutì purificatio, habeatur.

Hinc modò ad expositionem præsentis Aphorismi dicendum, Hippocratem hoc loco de ea purgatione habuisse sermonem, quæ ex medicamentis verè purgantibus, & catharticis universalibus dictis, peragit, neutriquam verò de laxantibus solùm, & lenitivis appellatis, quæ nùm Antiquis cognita fuerint, alibi discussum. Ea verò cùm sint addicta purgandis non solùm primis ductibus Corporis, sed etiàm intimioribus ejusdem partibus, atquè à Ventriculo remotissimis, planè in glandulas Mesenterii, & Pancreatis, imò in arterias, & venas, vires suas diffundunt; quamobrèm nedùm excrementa in eisdem primis ductibus stagnantia, sed etiàm penitiores alios, & alios humores, tūm utiles, tūm alibiles, sed degeneratos, exturbant, & evacuant; cùmque cum his multum lymphæ pariter educatur, emunctis ferè glandulis universis, proindè ingens sitis ad ejuscemodi purgationem subsequitur, quam Hippocrates hoc loco velutì signum completae purgationis in toto Corpore specialiter consideravit, ut proindè dixerit: qui in medicamentis, scilicet catharticis, & universalibus purgati, idest humoribus sive quantitate, sive qualitate peccantibus inaniti, non sitiunt, non cessant purgari, priusquam humores ex glandulis, & ex vasis sanguineis, ac lymphicis, educti non fuerint, ut propterea ab horum evacuatione sitire cogantur. Hinc sitis subsequens à medicamento purgationem, non est generale indicium cuiuscumque evacuationis à cathartico habitæ, sed ejus duintaxat, quæ à vehementioribus

ribus inducitur, atque totius ferè Corporis est, cum lymphæ, & seri sanguinis eductione. Quod si præterea hypereatharsis subsequatur, procùl dubio sitis molestissima accidet, præter alia, & graviora symptomata, immodecum, inconvenientemque evacuationem comitantia; de quibus Galenus comm. 36. &c. 37, 2. lib. Aphor. 5. &c. alibi.

Quamquam autem videatur Hippocrates in hoc Aphorismo ex superveniente siti completam purgationem determinare, non tamè putandum metam exinde præfigi in quibusvis evacuationibus promovendis: scis enim ex medicamento purgante proveniens designat solum maximam in humoribus, & partibus solidis motionem, undè licet purgationi superveniat, non tamè illam sistic, sed attenuato, dissolutoque nimium sanguine, potius augere potest. Quare si fortasse purgati non eò devenerint, ut sitiunt, non idcirco sunt ad sitem subeundam alio forte medicamento purgante cogendi, ne utiles humores dissolvantur, fundatur sanguis, & hypercaetharsis subsequatur, omnino perniciose: quoniāt ex eodem Hippocrate, evacuationes non sunt multitudine æstimandæ, sed si talia dejiciantur, qualia convenient; & ægri facilè tolerant i. Apb. 23. Præterquāquod infidele signum est in purgationibus sitire, cùm interdùm sitiunt à medicamento ægrotantes, nèc tamè bene sint purgati, & aliquando sitiunt ex peculiari Ventriculi constitutione, quandoquæ etiā à conditione medicamenti, ab æstu Aëris, à morbo, aliisque causis innumeris.

Notabile verò est, quod monet Cardanus hoc loco, multum conferre motum ad juvandam purgationem, cùm catharticum sitem non inducit, ne scilicet aut penitus non purget, aut parum, & imper-

perfectè, deducto argumento ex præcedenti Aphorismo XV.: cùm volueris ducere Helleborum, move Corpus. Etenim assumpta medicamenta, quæ non purgant, plerumqñè nocua sunt, & mortifera, nisi ejiciantur, ut contigit Adolescenti Eubœo s. apud dem. Verum enim verò pluriès expertum in praxi, magnoperè promoveri purgationes catharticorum, eportâ aquâ frigidâ; quinimmo uitatissimum est Medicis Romanis largissimas aquæ gelidæ potiones commendare iis, qui catharticum assumperunt, ut subinde abundantius egerant, & absque siti, laxatis nimirūm, humectatissque ductibus, atquè lubriciori alvo redditâ, quæ non raro constipatur, & contrahitur à medicamento fibras Intestinorum ex irritamento corrugante.



## APHORISMUS XX.

*Non febricitantibus si tormina acciderint, & genuum gravias, & lumborum dolor, purgari per inferiora oportere significatur.*

**A** Nec à Apb. 17. tradidit Hippocrates signa purgandorum humorum per superiora, nunc indicia protest, quibus internosse liceat purgationem esse faciendam per inferiora; & sicùt ibidem de non febricitantibus sententiam protulit; ità hic etiā febricitantes excipit, atque tormina, seu cruciatus circâ umbilicum, gravitatem genuum, & lumborum dolorem, citrâ febrim, indicare purgationem per inferiora molliendam; unde oportebat hunc Aphorismum anteriùs scribi, ut conne-

à oratione notarentur signa utriusque evacuationis per supra, & per infra promovendæ. Recenset itaque tria signa demonstratia purgationem faciendam per inferiora, termina nimirum, seu cruciatus circa umbilicum, genuum gravitatem, & lumborum dolorem; quæ sanè denunciant humorem infernas partes occupantem, ut etiam superius ostendit. At verò speciatim hæc tria memoravit, non quod alia idipsum non indicent, sed quod per hæc necessariò purgandum sit, ne humores in iisdem partibus affectis firmati graviora mala afferant, vel saltèm irresolubiles deinceps siant; Quamobrem non immerito adjectum est verbum *oportere*. Excipiuntur autem febricitantes, quoniā in his ejusmodi signa non semp̄r indicant materiam humoralem, vel omnino purgatione educandam; siquidem non raro in febribus decubitus humorum ad eas partes denunciant criticas motiones, vel abscessus ad articulos, undè à purgante medicamento effet abstinentium, ne motus criticus Naturæ impeditur, aut aliò distraheretur, non sinè febrietatis nocimento. Cæterum semp̄r ac ejusmodi accidentia ab humoribus contingunt, qui in inferiores partes tendant, purgatio non poterit non esse salutaris, cum & loci promptitudinem, & humoris vergentiam, & facilem à purgante medicamento evacuationem illa denuncient.

Verumtamen animadvertere oportebit, an non faustus, ac salutaris eventus ejusmodi evaevationem subinde subsequatur. Quippe nisi statim profecerit, verendum, ne à majori commotione humorum, & tumultuaria viscerum naturalium concussione futurus sit gravior affedus in imo Ventre, cuiusmodi siccus Hydrops ab Hippocrate Aph. XI.

bu-

*bujus libri præsigitur. Quare vitanda erunt ea, quæ in purgationibus nimium exagitant, & flatu excitant; sed potius in usum ducenda sunt, quæ gratiora visceribus, sive ulla perturbatione, viciosos humores blandè subducant, & amicabilitè allicant.*



### APHORISMUS XXI.

*Dejectiones nigrae sanguini atro similes, & sponte procedentes, sive cum febre, sive sine febre pessime: & quanto colores pravi fuerint plures, eo deterius. A medicamento vero procedentes, meliores sunt, idque quanto plures fuerint colores non pravi.*

**D**ejectiones tūm sponte naturæ habitas, tūm à medicamento promotas considerat hoc laco Hippocrates, cásque sive nigras solūm, sive multicolores: & quidem sponte factas omnino vituperat, sive nigræ compareant, sive alterius coloris à naturali recedentis; meliores vero judicat, si ab assumpto medicamento proveniant, eoque magis si colores plures fuerint, nēc multum à naturalibus, & consuetis recesserint.

Prudenter autem existimat Argenterius duas in hoc Aphorismo sententias contineri, alteram quidem pertinentem ad nigras dejectiones sponte procedentes; alteram ad pluralitatem colorum in dejectionibus apparentium; nequè enim nigræ evacuationes, plures colores admittere possunt: quamobrem unus Aphorismus in hunc modū scribendus foret: *Dejectiones nigrae, qualis est sanguis niger, sponte procedentes, sive cum febre, sive sine febre pessime.*

*fimæ. Alter verò : Dejectiones, quæ sponte factæ plures habent colores, deteriores sunt, quam si fiant à medicamento.*

At quænàm sūt istæ dejectiones nigræ sanguinæ atro similes? Certè eas hìc Hippocrates non intelligit, quæ atrabiliariæ dicuntur; nám de his infrà. Nèc, quæ concretum, nigrumque sanguinem referunt, aut propriè sanguineæ sunt, quippè non dixisset, *sanguini atro similes*; ubi similitudinem tantummodò, non substantiam, vel qualitatem in excretionibus notavit. Nèc præterea humorem illum, quem melancholicum appellant, ut in comm. Galenus interpretatur: etenim dixisset, dejectiones nigræ bilis, quemadmodùm Veteres melancholiā nuncupare consueverunt; sed & nequè ejusmodi melancholicus humor uspiam reperitur, cùm satis, superquè à Recentioribus ostensum sit, quaternarium humorum numerum fictitium esse, & qui in Lieñe fingitur potius açore, quam crassitudine, ac nigratice talis appellatur; & si fortassè in alvum decumberet, non quidem per venas, sed per arterias illuc mearet, adeoquè simùl cum sanguine effundi deberet, quemadmodùm in hemorrhoidibus; cùm tamè nullius harum evacuationum meminerit hìc Hippocrates. Pari modo reliquæ egestiones nigræ ab adustâ bile, vel pituitâ, perperam à Veteribus excogitatæ, velutì omnino commentitiae, rejiciendæ sunt, quæ & hìc nequè aptari possent, ubi istiusmodi nigræ dejectiones etiàm sinè febre pessimæ referuntur, cùm cæteroqui adusta pituita, & bilis, nonnisi cum acutis febribus jungi posse prohibeantur.

Verisimilius itaque putandum cohærenter Anatomie dejectiones nigras in hoc Aphorismo ab Hip-

Par. II.

Ff

.po-

pocrate memoratas fieri vitio succi pancreatici acidio-austerioris redditi, & prætèr Naturam fermentantis tūm bilem è cholidoco defluentem, sed crassam, & inertem, tūm partem cibi depravatam, & corruptam: ea enim est conditio istiusmodi acidi humoris, cùm austerior sit, ut compingat simili, & in atrium commutet quidquid crassiusculum adjicitur; eo fermè modò, quo fieri experimur ex acido Vitrioli cum alkali gallarū in atramento scriptorio, & potissimum compactiori: cùm enim pancreaticus hic humor à naturali statu recesserit, & ponticam austerioritatem acquisierit, sic felleum liquorēt combibit, crassā præsertim pituitā conjunctum, ut atramentum æmuletur: quamobrè in his, in quibus ejus acor prævalet, uti in Hypochondriacis, Scorbuticis, Lienosis, aliisque, solent ejuscemodi atræ egestiones apparere, quæ vulgo melancholicæ appellantur. Quòd si acidum istud etiàm in Lienc exorbitet, undè sanguis è ramo splenico in mesentericum derivans trajiciatur in Arterias, indéque etiàm in venas, quæ turgidae, & varicosæ hæmorrhoidales cæcæ nuncupantur, procùl dubio egestionem quoquè promovere poterit consimilis atri coloris, & non raro etiàm concreti sanguinis, si diuturniore moram ibidèm contraxerit, ut sèpse plus observatum. Et quamvis in Aphorismo videatur similitudo potius notata, ut propterea non sanguis niger, sed alius humor nigro sanguini similis designetur; si tamè ex græco codice verba textus examinentur, non videtur concretus, & nigricans sanguis ab ejusmodi dejectionibus exclusus; undè Fuchs exponit, *veluti sanguis niger*: & Heurnius *cujusmodi est sanguis niger*: idest ab acido austeriori concretus, & ater redditus.

De-

Dejectiones præterea istæ pessimæ censendæ sunt, cùm sponte processerint: *sponte* quidem, quoniām significant talem, ac tantam esse humoris virulentiam, ut sponte suā, nullo adigente medicamento, viam faciat, & exitum sibi paret. *Procedentes* verò, idèst non semel exeuntes, sed iteratis vicibus, & per universam ferè morbi latitudinem perseverantes, etiām intèr initia. Siquidem symptomaticæ evacuationes solùm à principio comparent, & continentèr perseverant; at verò criticæ, statim absolutvuntur, & nonnisi circà declinationem accidunt. Unde si dejectiones istæ nigræ semel tantum apparet, non erunt æquè malæ, ac si integrâ morbi duratione perseverent.

Nequè verò est necesse illas cum febre conjungi, ut malæ sint, quoniām haudquaquam à febris societate malitiam suscipiunt, sed ab humoris exeuntis conditione, ac pravitate, & à viscerum discrasia. Quare perindè erit, si febris adsit, vel absit. Est tamèn verum, quòd longè pejores censendæ erunt, si febrim comitem habeat; nam præter morborum, & symptomatum pluralitatem, arguunt quoquè sanguinis vitium, indebitamque inductam in illo fermentationem, & Cordis, aliorūmque viscerum læsionem: idque sive febris symptomatica putetur, sive essentialis dicta.

Cæterūm pessimas dixit Hippocrates, non exitiales, sicut de atra bile pronunciavit, & cùm ad morbos acutos, vel diuturnos cum extenuatione, ac languore, consequuntur: etenim istæ medelam non admittunt, ut inferius ostendemus: at verò quæ hic memorantur, poterunt artis industriâ temperari, & corrigi, si potissimum diù non perduraverint, & vires aliundè constiterint, in ætate non admo-

dùm proiectâ: quod sanè præstari poterit usu tòborantium medicamentorum, & acidum superabundans corrigentium, qualia præsertim sunt ex chalybe composita, & alkalina appellata.

Verum enim verò pravitas, & pluralitas colorum apparentium in excretis augent malitiam, & periculum affectorum: an quià ex humorum heterogeneitate, varia quoquè viscerum discrasia significatur, quæ propterea non tam facile queat artis auxilio emendari; an quià extremam denunciant corruptam, variis, plurésque humores, degenerati in virides, & porraceos, eruginosos, lividos, & atros. Unde idem Hippocrates 2. Aph. 14. dicebat: *In profundiis alvi mutationes excrementorum juvant, nisi ad mala mutatio fiat.* Pluralitas autem colorum in excretis hoc loco intelligitur eorum, qui omnino præter naturam sunt, secùs verò si secundùm naturam forent: quamobrem rectè in textu dicitur: & quanto colores *pravi* fuerint plures; Pravi autem colores à naturalibus, & consuetis penitus declinant, cujusmodi esse solent vitellini dicti, porracei, eruginosi, lividi &c. Atquè hinc facile occurri poterit difficultati ex præcitato Aph. 14. 2., ubi mutationes excrementorum utiles referuntur, cùm hic dicantur perniciosæ: ibi enim mutatio fieri intelligitur in coloribus Naturæ consuetis, & à malis in bonos; hic verò in morbos, & de malis in pejores, ac pessimos.

Sed cùr à medicamento procedentes nigræ dejectiones meliores reputandæ sint? Et quidem nigras non solum, sed & flavas, virentes, aliásve dejectiones yî medicamentorum habitas nemo amplius reformidat, cùm unicuique compertum sit eas potissimum consequi conditionem, & tincturam me-

di-

dicamentorum: Rhabarbarum enim ad flavum, sena, & casia ad nigrum, agaricus ad album excretos humores colorant; quin pro varia eorumdem excrementorum vi, & miscelâ, multi quoquè, & variii colores in exrementis comparere solent, & non raro absque ullo viscerum vitio, aut morbosæ constitutionis vestigio. Sed et si morbificam causam consequantur, adhuc decedentes ex assumpto medicamento humores pravi validam arguunt Naturam, & seipso non adeò rebelles, ut eidem evadant, vel non statim obsequantur. Non tamèn hinc quis existimet, omnino periculo vacare, quæ à medicamento prava, & atra procedunt: etenim Hippocrates non simpliciter nigras dejectiones ope medicamenti habitas bonas dixit, sed meliores, comparatè nimirūm ad eas, quæ sponte Naturæ contingunt; nam nigræ dejectiones ex pravis humoribus sempè malæ existimandæ sunt, eoquod denunciant pravas inesse Corpori dispositiones, unde nigræ illæ prodeant, adeò à naturali statu recedentes.

Postremò advertit Hippocrates, quò plures colores in excretis à medicamento comparuerint, eo minus malos esse, quoniā universam humorum colluviem, omnēaque malum Corporis apparatus indè evacuari significatur, - adeoque Naturam medicamento adjutam potuisse modico temporis intervallo vitiosos humores deponere, & expurgare, absque partium solidarum noxā sensibili. Colores autem plures, & non pravi, si omnino secundum Naturam sint, certè nedum meliorem, sed etiā optimam indicabunt egestionem, ut anteā ex Aph. 14. 2. memoratum est: si verò præter Naturæ morem accidunt, denunciant quidem profutus,

gam

ram evacuationem in genere causæ, cùm prævi humores excernantur; at verò in genere signi malam saltèm arguunt viscerum dispositionem, undè tamen prava colorum varietas exoriatur.



### APHORISMUS XXII.

*Morbis quibuslibet incipientibus, sive atra bilis vel superne, vel inferne exierit, letbale.*

**P**Ræcedenti aphorismo Hippocrates nigras similitèr dejectiones vituperavit; nunc verò specialius, quæ atræ bilis conditionem referunt, omnino exitiales asserit, nequè solùm per inferas partes, verùm etiàm per supernas, modò morbus inchoet.

Et quidèm initiantibus morbis solummodò, illius evacuationem exitialem esse docet: quandoquidèm nil tunc excernitur (inquit in comm. Galenus) Naturæ ratione, sed omnia sunt symptomata earum, quæ præter Naturam sunt in Corpore dispositionum; undè cùm adeat cruditas humorum, aliquid utiliter evacuari est impossibile: siquidèm oportet coctionem preire, subsequi verò discretionem, & posteà evacuationem, ut bona sit crisis. Hinc communi voto damnantur à Medicis evacuationes habitæ in principiis morborum, cùm vel multitudinem, vel pravitatem significant; at verò iisdem declinantibus, & post humorum coctionem, quælibet excretio salutaris est, velutì procedens à victrice Naturâ corpus à suis impuritatibus repurgante.

At quamvis cujuslibet humoris evacuatio inter ini-

initia morborum mala sit, longè tamèn periculofior erit, si atram bilem redoleat. Dicitur autèm à Medicis Atra bilis, humor ille, qui colore nigricat, sed non concrescit, ut sanguis, imò in terram decidens fermentescit, & bullulas excitat, vellut Acetum, àut Vinum, lumini objectum splendet, & acrimoniam, mordacitatémque sapit; quamobrèm viscera, per quæ transit, erodit, & ulcerat instar aquæ stygiæ. Hinc intèr humores omnes, qui statum Corporis morbosum consequuntur, pessimus hic omnino reputatur, & venenosus, veluti extre-  
mam nactus corruptionem, vitæ penitus inimicam.

Verùm quo pacto ejusmodi deleterius humor Atrabilarius in humano corpore generetur, non inutiliter quærí potest. Haecenius est creditum Bilem duplicem in humano Corpore reperiri, naturalem unam, & alibilem, in venis unà cum sanguine contentam; alteram nonnaturalem, & excrementosam in cysti felleâ collectam, ac continentè in tenuia intestina confluentem; fieri autèm ut eodem ægrotante, vi atquè pernicie morborum, viscera, & presertim Jecur intemperetur, atquè ejusmodi biliosi humores putredine, & exustione degenerent in vitellinos, croceos, mòx etiàm in cruginosos, porraceos, ac denique in atrabilarios, extremum corruptionis terminum designantes, qui propereà veluti summè recedentes à consueto Naturæ, ubicumque comparuerint, lethum prænuncient.

Sed jàm satis, supérque ab Accuratiōribus Medicis, de Bile in venis contentâ excogitatum, vanum, & futile detectum est, ut de illa ulterius verba facere pudeat. Solùm Bilem in cysti fellea contentam, & per cholidocum in jejunum intestinum transmissam, gravem, nocuámque mutationem,

su-

subire posse constat Anatome; si nimis indebitâ fermentatione cum aliis humoribus, & præsertim Pancreatico, illuc confluentibus, præter morem invertatur, & nedum colore, sed etiam acritate, & malitiâ, commutetur in naturam fermè deleteriam. Undè appositi quidem Galenus 6. de loc. aff. c. 5. animadvertisit generari non raro posse in humano Corpore humores veneno similes, qui scilicet idipsum agant, quod à venenis assumptis, vel infictis fieri experimur.

Et quidem si felleus hic humor acer, & oleus redditus cum acido pancreatis, aliòve, commisceatur in Intestinis tenuibus, ita ingenti fermentatione exacuitur, ut erodendi vim adipiscatur; nequè solùm iu Intestinis, sed & in Ventriculo ex depravato ejusdem fermento, corruptisque cibis; pariterquè ex lympha acriori cum fermento glandularum vitiato. Nèc dissimilem pati solet serum urinarium depravationem, si acrius sit, & sale acidiori inspergatur; itemquè si menstruus sanguis, atquè alia Uteri recrementa fermentis hysterics coinqinentur, & subsistant. Quamobrè ubique ex malâ atquè indebitâ misturâ fermentorum poterunt pravi, & deleterii humores progigni, & è diversis egeri emissariis, venenorum Naturam redolentes; undè erosiones, pustulæ, ulcera, gangrenæ, aliaque hujus generis perniciossissima.

Quoties itaque ex inconvenienti misturâ, ac fermentatione succorum, alii, & quidem præter Naturam exorti, præsertim acres, atri, & venenosí, per alvum, aut per os egeruntur, multis ex rationibus mortem prænunciant: quippè significant viscera non benè suos humores secernere, & repurgare, sed potius ex viciatâ textuâ, & crasi, illos inficere;

un-

undè fermentationes , dissolutiones , distributionesque alimentorum pessimæ fiunt in prægrande virū dispendum : sed & humores ipsi depravati acritudine velutì arsenicali, & acore fermè vitriolico, partes quas pervadunt , pungunt , erodunt , ulcerant , & gangrænam , aut sphacelum inferunt ; imò sanguinem ipsum, aut coagulando, aut exsolvendo, ineptum circulationi reddunt : infecto autem sanguine , & vel concreto, vel exsoluto, motus Cordis desinit , & vita . Cæterum egestiones istiusmodi aut suprà , aut infrà habitæ, sunt tantum nobis indicia, quibus malam viscerum, & fermentorum cōstitutionem conjectiamus jamjām lethum comminantem , nām non ex eo quod nigra prodeant , sed quod intus genita vītæ somitem inficiant , & corruptant , mors imminet .

*APHORISMUS XXIII.*

*Quibuscumque per morbos acutos , vel diuturnos , aut vulnera , aut quemvis alium modum extenuatis , nigra bilis , aut velutì sanguis niger , per inferiora subfederis , postridiè moriuntur .*

**V**Idetur hic Aphorismus multum cum XXI. congruere : verū ubi anteā dejectiones nigras universim vituperavit Hippocrates, nūc specialiū exitiales eas inquit in extenuatis . Decernit enīm nigrām bilem , aliūmve nigrum humorēm per inferiora excretum in valde extenuatis postridiè mortem portendere .

Cūm igitūr indeſinitē afferat paulò post succes-

*Par. II.*

Gg

su-

suram mortem iis, qui extremè extenuati sunt, si nigra dejecerint, inutilis procùl dubio censenda est quoramdam Interpretum controversia, quâ ambigunt nùm de atrâ bile propriè dictâ, an verò de melancholiâ sermonem habuerit. Nàm quæ adjecta sunt; aut *velutì sanguis niger*: manifestè declarant omnem cujuscumque nigri humoris dejectionem voluisse illum comprehendere, ut proindè parùm, vel nihil intersit, nùm bilis atra, an melancholia, vel alius niger humor, egeratur, modò Corpus vi morbi sit extenuatum; etenim imminentis mortis causa propriè ad languorem, & Corporis extenuationem refertur; undè hujus Aphorismi rationem afferens *in comm.* Galenus, subdit: *et* enim in talibus, idest extremè extenuatis, natura imbecillis adeò ut non possit concoquere, nequè discernere, nequè excernere, quæ ità prava existunt. Quin Heurnius historiam cujusdam ducis militum refert, qui cum diù quartanâ febre laborasset, indeque macruiisset, tandem à concreti sanguinis per alvum excretione, postridiè obiit. Porrò in hoc, nec atra bilis, nec melancholicus humor prodiit.

Quamyis autem hoc loco, nigre solùm dejectio-  
nis, sive atræ bilis, sive melancholiæ, aut facu-  
lenti sanguinis Hippocrates meminerit, velut om-  
nino exitialis in extremè emaciatis; non tamè  
hinc erunt eximendi aliorum humorum, imò etiam  
ipsius sanguinis, & chyli egressus inconvenientes:  
etenim s. Aphor., & alibi, tabidos etià brevi mo-  
rituros ait, si alvus immodicè solvatur; sed, si de-  
jectio nigra lethalis est extenuatis, ob extremam  
maciem, & virium languorem, sanè longè pericu-  
losior erit dejectio sanguinis, aut chyli, quod ar-  
guat summam naturæ labefactionem, quæ difficiili-  
mè

mē in extenuatis remittitur. Quare in his quælibet evacuatio magnificienda est, sed ejus potissimum humoris, qui tuendæ vitæ magis conferat, cuiusmodi est sanguis, & chylus.

Sed quod de dejectione Hippocrates adnotavit, an exponi quoquè possit de vomitu, non irrationaliter ambigitur; cùm atram bilem infernè, vel supernè exeuntem mortiferam præcedenti Aphoriso pronunciaverit. Et quidem si causa instantis mortis provenit ex extrema macie, & summo virium languore, nulli dubium, quod etiam vomitus niger valde extenuatis lethalis sit: Rarò autem tabefactis, & languidis vomitus accidit, quibus præ summâ virium jacturâ vomendi conatus nullus esse potest; undè factum puto hanc evacuationis speciem Hippocratem tacuisse.

De cæteris evacuationibus veluti per urinam, sputum, itemque furfures, sudamina, tubercula, adhuc dubitari potest, an non citam mortem portendant, si nigra compareant in extenuatis. Et dicendum lethalia plerumque indicia esse, sed non ad tam breve tempus, ut postridiè mortem afferrant; imò dubiam aliquando fieri conjecturam, cùm ob morborum, sive acutorum, sive chronicarum, eorumque temporum varietatem, diversimodè sit prognosticandum; atquè aliter in viris, ac in fœminis, & aliter adhuc in epidemias constitutionibus. De qua re legendus idem Hippocrates in epidemias, & in prognost.

Quoniām verò hic solūm nigri cujuscumque humoris lethalem exitum in extenuatis adnotavit, videndum cuius generis extenuatos intelligere voluerit. Interpretes communiter eos exponunt, quibus nedum spiritus, & humores consumpti sunt, sed

etiam solidæ partes exhaustæ, tūm acutie, & pravitate, tūm morbi longitudine cum evacuatione conjunctâ: etenim extenuatio talis, ac tanta esse debet, quæ virium dissolutionem, & Naturæ languorem inferat, ut proindè vitiōsi humores sponte suâ effluant. Nisi quippe penitus extenuati forent ægrotantes, profectò non tam citam mortem subirent, ut in Aphorismo dicitur, quandoquidem plurimi ab eodem Hippocrate referuntur in libris epidemiorum, qui nigra dejecerint, & minimè objerint, vel saltè in longius tempus vitam protracterint. Sic Herophon *agrotus III. 1. epidem.* quintâ die nigra dejecit, & 17. judicatus est. Et Aeger *III. 3. epidem. sect. 1.* qui decumbebat in Dealcis horto, quintâ, festâ, & octavâ die, ac denuò quintadecimâ, & decimaseptimâ, & per universum ferè morbi decursu nigra egescit, & graycolentia, quadragesimâ tamèn perfectè convaluit.

De tempore tandem jure etiam dubitari potest, nūm in principio solum, an solum in augmento, & statu, aut in declinatione, comparentes nigræ dejectiones exitiales sint, an verò quocunque tempore indiscriminatim. Et sane, cùm de extenuatis sermo sit, nequit intelligi de morbi principio, quando omnia symptomata debilia, & levia sunt, nec tantus marcor esse potest, quantus videtur exigitus ad carnium dissolutionem, & virium languorem; quin & Hippocrates ipse *per morbos acutos*, dixit, *vel diuturnos*: modò diuturni morbi dicuntur, qui quadragesimam diem transflierunt. Ad declinationem verò deducti, nunquam morbi lethales esse cōsueverunt, etiam ex documento Galeni *3. de trifib. cap. 5.* dicentis; *Nemo unquam vi morbi, in ejusdem declinatione mortuus est, nisi solum ex acciden-*

denti, aut ex aliquo errore commisso, vel à Medico, vel ab ægrotato. Igitur in augmento, & statu morborum id evenire fatendum: in augmento quidem, si morbus fuerit acutus, quippè tunc extenuatio provenit ex virulentia, quemadmodum in Pestilentiis; In statu verò, si fuerit chronicus, cum ex ipsa morbi diuturnitatè Corpus languefiat, & contabescat.

## APHORISMUS XXIV.

*Difficultas Intestinorum, si ab atra bile incepit, letalis est.*

**I**Ntèr plurima damna, quæ Atra bilis deorsum excreta afferre potest, memorat hoc loco Hippocrates Dysenteriam, velutì frequentius ex illa procedentem, cum infernas partes petierit in alvum deflata. Est enīm difficultas Intestinorum, græcè Dysenteria, frequens, cruenta, & dolorosa, dejectio; Quamquam nomine Dysenteriæ quicunque alvi fluxus cum dolore junctus non raro intelligatur, ut propterea Diarrhoeam quoquè comprehendat, quemadmodum deducitur ex Galeno 3. de *Symp. caus. cap. 8.* Plerumquè illa fieri dicitur ab humoribus acribus, qui vellicando Intestina, & dolorem afferant cum torminibus, & sèpiùs compellant ægrotantes desidere: Nonnunquam etiam mucosis, & falsis humoribus, qui tenacitate assidue torqueant, falsedinc verò erodant, & ulcus inferant.

Et quidem ab his inducta Dysenteria non tam fa-

facilè sanatur, imò omnino lethalis dicitur, si ab atra bile incapere, quoniā ab illa non solum Intestina ulcerantur, sed exeduntur, ac mortificantur, ob virulentam ejusdem conditionem. Atquē hinc monendi sunt quicumque rem medicam sunt facturi, ut non tam glutinantibus remediis Dysenteriae opitulentur, quām corrigentibus, & acidos, at acres humores temperantibus: quo pacto non semel vidimus dysentericos velutī repente sanatos hujuscē generis medicaminibus, tormentillā, bistortā, plantagine, centinodio, verbasco, baccis sambuceis, croco Martis, colchotare Vitrioli, hæmatite, sanguine leporino, & similibus. Hāc quippē ratione non solum affectis intestinis consulitur, sed specialiūs humoris ulceranti, & corruptenti, undē affectio ortum dicit, quemadmodū ex anteā traditis facile est deducere. Verū de hac re latius in nostra praxi.



### APHORISMUS XXV.

*Sanguinem quidēm suprà ferri, qualiscumque sit, malum: infrà autem, bonum, cùm niger dejicitur.*

**S**pecialiūs hoc Aphorismo sanguinis excretio consideratur, & tām per superiora, quām per inferiora; sed cùm suprà fertur, malum dicitur, cùm infrà, bonum, si niger dejiciatur.

De evacuatione itaque sanguinis per os habitā, manifeste intelligendus Hippocrates, ut interpretatur Galenus, exceptā illā, quæ per nares fit. Si quidēm è naribus sanguinem fundi, & səpissimè lubri-

Jubritèr , innumeris ferè constat experimentis , cùm & febres tertianæ , & continuæ , & ardentes , noa raro etiā malignæ , & pestilentes , criticè terminentur , ut extant exempla tūm apud Hippocratem , & Galenū , tūm etiā apud reliquos rei medicæ professores . Solūm vituperantur stillæ sanguinis è naribus erumpentes , velutī signum ingentem pravitatem denuncians , sicut pariter immoderata hæmorrhagia , quæ non facilè sistitur : cæterū in reliquis conferre consuevit ; undè plerosquæ novi , qui à periodica per eas partes sanguinis eruptione nedum à gravissimis capitis doloribus evaserunt , sed etiā ab aliis pessimis ægritudinibus præservati diutissimè vixerunt .

Sanguis igitūr per os excretus hoc loco vituperatur , & quidēm tūm ratione sui , qui de genere earum rerum est , quæ nunquam egeri debent , tūm ratione viscerum , & vasorum , in quibus asservatur . quoniām ea referata , aut erosa credendum , cūm prodit . Et quidēm sive è Capite , sive ex Ventriculo , sive demūm ex Thorace profiliat , sempèr sui , & principalis alicujus visceris noxam arguit , & non levem vitæ labefactionem , quippè quæ suo somite depauperetur .

Nequè verò ab his solūm egrediens crux malus est , sed , quod majus , quia alicubi stagnans , ut facilè est , illico concrescit , acorem contrahit , & corrumpitur , ac tandem in pus vertitur : ex pure autem innumera propemodūl detrimenta exoriuntur , febres potissimum , ulcera , marcores ; Undè idem Hippocrates 2. Aphor. 47. : Dum pus conficitur , dolores , ac febres accidunt : & 6. Aphor. 20. : Si in Ventrem sanguis præter naturam effunditur , necesse est suppurari . Et 7. Aphor.

*Aphor. 15. à sanguinis sputo, paris sputum; a pu-  
ris sputo Tabes, & Mors.*

Quamvis autem sanguis per os excretus semper aliquid mali referat, & sive spumosus sit, & floridus, sive nigricans, & concretus, quemadmodum colligitur ex adjecta voce: *Qualiscumque sit; id est cujusvis generis, & conditionis; Nihilominus le-  
vius malum portendit in foeminis, in quibus san-  
guinis excretae utiles esse consueverunt, etiam  
per tuissim, modò à suppressis menstruis purgationi-  
bus procedant; quamobrem idem Hippocrates 5.*

*Aphor. 32. Mulieri, inquit, sanguinem evomenti,  
menstruis erumpentibus, solutio fit; referatis nimis uteri ductibus, atque exente sanguine per loca  
convenientiora. Et Aph. 33. *vixdem: Menstruis de-  
ficientibus, sanguis ex naribus fluens, bonum.**

At quod foeminis salubriter accedit ex menstruo-  
rum suppressione, non raro etiam contingit viris  
ex pleuritide, si nimis uteri sputum sanguineum com-  
paruerit, ut dicitur 1. *Aph. 12. Quare genera-  
hoc Hippocratis effatum in aliquibus excipietur;  
Verumtamen oportebit diligentè advertere, num  
sanguis ipse immediate è suis vasis prodeat, sequar-  
turque alicujus principalis visceris erosionem; an-  
veò ex tumore jam disrupto, vel suppurato, excer-  
natur; etenim sicut in priori casu semper malum;  
ita in posteriori sèpissime bonum; quin immò mor-  
to lateraliter laborantes si in quatuordecim diebus non  
repurgantur, ad suppurationem revertuntur, 5. *Aphor.  
8.: Suppurati vero nisi in quadraginta diebus purge-  
tur à die, qua ruptio facta fuerit, in tabem trans-  
eunt, eodem 5. Aphor. 15. Quod si sanguis è glan-  
dulis faecium exsudet, & sputo excrenatur, non  
solum mali portendere solet, sed sanguinem  
etiam**

etiam prodest: compertum enim pluriēs est vehementi capitis dolore vexatos veluti momento cōvaluisse, excreto ē prædictis locis faucium sanguine. Quo sensu exponendus idem Hippocrates 7. Aphor. 37. ubi sibi ipsi contradicere visus, inquit: *Quicumquè evomunt sanguinem, si sine febre quidem salutare; si verò cum febre, malum:* Adeoque non omnem sanguinis per os evacuationem malam pronunciat, imò salutarem vocat, si sine febre sit. Planè is intelligendus de sanguinis exitu haudquaquam à Ventriculo, cuius vomitus peculiaris actio est, sed à glandulis faucium, & gulæ, ē quibus proliens sanguis evomitur. Quamquam & absquè ullâ Ventriculi lassione, ex viscerum naturalium obstruktione, aut tumore, possit sanguis ubertim evomi, aut excreari, pari modo ac ex utero male affecto contingit, ut anteā notatum est.

Sicuti suprà ejectus sanguis, quicumquè sit, malum dicitur, ità deorsum excretus, bonum, si tamè niger egeratur: at quâ ratione, non bene constat, præsertim si ad memoriam revocentur, quæ præcedentibus Aphorismis sunt recensita, in quibus dejectiones nigras pessimas Hippocrates promulgavit. Quare cùm inpræsentiarum nigrum sanguinem per inferiora excretum bonum proferat, videtur sibi ipsi manifestissimè repugnare. Verum quamvis hæc apud cæteros Expositores non sint facilia soluta, sic tamè à Nobis explicantur, ut quemadmodum Hippocrates superioribus Aphorismis nigras damnaverit dejectiones, ortas ex malâ, indebitaque mixturâ, ac fermentatione succorum fellei, & pancreatici in Intestina tenuiæ confluentium: ità hic laudabiliorem existimet nigram dejectionem præcedentem à sanguine ex vénis hæmorrhoidalibus cō-

crescente: manifestè enim hoc loco opponit sanguinem per os excretum sanguini deorsum exculti, ubi antea non sanguinem, sed dejectiones nigras sanguini atro similes retulerit, easque ab interioribus, & male affectis visceribus promanantes. Sed & multum quoquè interest num sanguis in ipsis visceribus degeneratus concreverit, an solùm invenis sedis suâ crastinie subsederit, aut tanquam impurus à reliquo sepositus sponte suâ prodierit. Quamobrem jure addit Hippocrates, cum niger dejicitur: nám si fortasse purus, & floridus egeratur, profectò malum erit, & quidem præter Corporis languorem, ac decolorationem, pulsuum imbecillitatem, viscerum labefactionem, minabitur tabem, vel hydriopem. At verò si niger dejiciatur, & per intervalla, periodo latiori, plurimum proderit, præscritim Melancholicis, & Nephritide laborantibus, ut dicitur 6. *Apbor.* 11., immò solet à gravissimis ægritudinibus præcavere 6. *epidem. sect. 3.*, ubi, qui hæmorrhoidas habent, nequè pleuritide, nequè peripneumoniâ, nequè phagædenâ, nequè furunculis, nequè tuberculî terebinthi figuram habentibus, nequè leprâ, nequè vitiliginibus correpti referuntur. Iis verò omnino suppressis, Hydrops, aut Tabes subsequitur, ex eodem c. 6. *Apbor.* 12. Undè nec supra modum fluere, nec omnino supprimi, salubre erit.



APHOR.

प्रदूषित विद्युत विद्युत विद्युत, विद्युत विद्युत विद्युत विद्युत

## APHORISMUS XXVI.

*Difficultatem Intestinorum habenti, si veluti carunculae dejiciantur, lethale est.*

**H**IC iterum de Dysenteria sermonem habet, quam terminum sortiti lethalem inquit, si in egestionibus carunculae dejiciantur. Nequè verò incipientem intelligit, veluti in Aph. 24. sed aliquantulum protractam, ut ostendunt verba illa, *difficultatem intestinorum habenti: quæ sanè ægrotantem diutius cā affectione detentum significant.* Sed enim nequè carunculae, & strigmenta Intestinorum statim intèr initia comparere possunt, quippe primum humores varii, & acres, mòx verò mucosa quædam, deindè cruenta, postremò strigmentosi, veluti carunculae, egeruntur: his autem apparentibus lethale signum est, quod nequè caro concrescere, nequè cicatrix abduci in his possit, ut subdit in comm. Galenus.

Adnotat autem non incepè Cardanus lethale hoc loco intelligendum, quod plerumquè mortem affert, & naturâ suâ, non tamè necessariò, nè sempè, nisi adjungatur virium imbecillitas, materiæ pravitas, vel fragmenti intestini excretio; quo casu æger omnino morietur. Quamobrem in Dysenteriis consideranda sunt quæcumquè in ulceribus perpenduntur, conditio videlicè ipsius ulceris, pars ulcerata, & causa vel faciens, vel foyens ulcus: ex his enim oritur, undè ulcera lethalia siant. Ab ulceris namquè conditione præfigire solemus lethalem eventum, si magnum, profundum, mali-

gnum, putridum, exedens, cum inflammatione, aut gangrenâ conjunctum, illud sit. A parte affectâ, si principem partem occupet. A causis demum, si ab acribus, erodentibus, venenosisque humoribus foveatur. Idipsum planè observandum in Dysenteria, siquidem cùm intestina gracilia sunt affecta, à pravis, ac deleteriis humoribus, undè fatida, livida, nigra, egerantur, cùm ramentis Intestinorum, ingenti dolore, cibi fastidio, febre, viarium jacturâ, certè mors præsto erit. Portò cùm ista desint in Tenesmo, et si non raro carunculæ egeruntur, mors non ideò necessariò subsequitur. Sub Carunculis autem comprehenduntur nedum glandulæ internam Intestinorū tunicam occupantes, sed etiàm fibræ illæ carneæ, quibus interiorem eorumdem substantiam communiri Anatomicorum nuperâ diligentiâ detectum est, ad motum peristalticum perpetuandum. Si ergò ulcus eò pervenerit, ut excessâ internâ tunica duriori, fibras istiusmodi erodat, & exteriorem pervadat longè molliorem, irreparabile profectò exitium portendetur, & eo citius, quo priora intestina, & tenuia, magis fuerint affecta, cùm ista discissa non coalescant, ex eodem Hippocrate 6. Aphor. 18. & 24.



APHOR.

A P H O R I S M U S   X X V I I .

*Quibus febricitantibus sanguinis fluxerit multitudine quacunque ex parte, cum reficiuntur, alvi iis humectantur.*

**P**Rognosim proponit hoc Aphorismo Hippocrates succedētis alvi hume<sup>cationis</sup> in febricitantibus ex fluxu sanguinis præcedenti, undecūque prodierit: Rem tām rarentēr visam, ut per pauci sint, qui illam observaverint; undē factura quoquē est, ut Expositores de ejusdem veritate plurimum etiā dubitaverint; proindē non mirum, si quod Fuchsius non solū in febribus, verū etiā in aliis morbis fieri dixit, alii ex adverso ad febres duntaxat contraxerint; & quam sententiam Cardanus universaliter veram fassus est, probabilem solū, nequē necessariam, statuerit Argenterius. Sed videamus quomodo illam nos congruis apremus argumentis.

Sanguinem immodicē fluentem jām anteā nocivū adnotavimus, cùm indē vita humana sensim fatiscat, ac tandem desinat, si fortassis ad eam pertingat quantitatē, ut motum Cordis intercipiat. Si ergō febrientes accidat largā sanguinis profusione debilitari, et si extintā febre evaserint, à resumptis viribus facile oriri putandum non levem alvi laxitatem; tūm quia ubi anteā excrementa cujusvis generis detinebantur, mōx statim vigoratā naturā, deponuntur, & alvus fit lubrica, idque potissimum si à languente Ventriculo cibi nēc bene digesti, nēc bene sint distributi; tūm quia lympha


pha, causa febris, tenuior reddita, ac detenta, prop-  
tèr immoderatum sanguinis exitum, incipit deinde,  
cùm Corpus reficitur, ad alvum deponi, ideoquè  
excrementa solvere, atquè intestina reddere lubri-  
ciora; tūm demùm quia, reflectis partibus, omnia  
illarum recrementa pari modo deferuntur ad alvū,  
quæ prius vī morbi detenta fuerant: quo scilicet  
pacto experimur, declinantibus febribus cūtas pro-  
moveri evacuationes, tūm sensibiles per alvum, urinam,  
sputum, sudorem, tūm etiā insensibiles, per  
poros cutis perspiratione. Porro ab immodica sanguinis  
evacuatione fieri plerumquè solet, ut multo  
sero in vasa inanita intruso per febrim scateat, &  
deinceps revalescens, ip alvum, aut vesicam depo-  
nat.

Speciatim autem notavit Hippocrates id febricitantibus accidere, quoniām per febrim plerumquè Corpora exarescent, undē serosa excrementa non tam facilē per id tempus egeruntur; at verò desiente febre, cùm gravamini illa deinde sint toti Corpori, solent à Naturā in pristinum statum restitu-tā, per proprios, & patentiores ductus evacuari. Hinc meritò adjecit, id dumtaxat accidere, cùm corpora reficiuntur. Atqui non parūm in idēm cōferet felleus humor, qui per febrilium accessionum tempora depravatus, ineptus evaserat fæcum repurgationi, mōx in salubreū statum revocatus consuetō usui secretionis, excretionisque intestinalium excrementorū, reficitur.

Verūm alvum humectari solummodò animadver-tendum, cùm membrata excrementa feruntur ad Intestina; at si fortassē in vias urinarias ducerentur, copiosior urina potius, quam lubricior alvus fieret, ut deducitur ex 3. prophetic. 40. Sic pariter,

si

si ad convalescentis Corporis refectionem ciborum frugalitas servetur, undē multa excrementa nequeāt cumulari, nēc profectō alvus humectior evadet: sequitur enim lubricitas alvi immodicam excrementorum collectionem, quæ nonnisi largiorem ciborū usum consequi solet, cohārenter his, quæ idem Hippocrates edocuerat 2. *Aphor.* 7., & *Aphor.* 17. ejusdem: ubi cibum præter naturam plūs ingestum morbum facere dicitur, idque patere sanatione, hoc est, collectorum excrementorum expurgatione, ut subdit *in comm.* Galenus.

*APHORISMUS XXVIII.*

*Quibus biliosa sunt dejectiones, hæ superveniente surditate cessant; & quibus surditas adest, superveniensibus biliosis dejectionibus, cessat.*

**A** Translatione humorum de una in aliam corporis partem varias, diversāsque accidere ægritudines, in confessu est apud omnes, cùm illi pro varicitate partium, in quas feruntur, varias quoquè excitent operationum lœsiones, adeoque morbos omnino differentes; undē qui humor stomachum vellicando cardialgiam affert, si fortassis in Cerebrum, vel meninges deducatur, phrenitidem, aliūnive morbum pariet: & qui suo acore alvum stypticam facit, in renes delatus lapides procreat, in liene restagnans scirrum, in pleura plūptidem, atquè alibi alias promovet affectiones. Hinc perpendens Hippocrates in febribus potissimum ejusmodi humorum in caput, & aures decubitus,

bitum, vel ex his in alvum depositionem, adnotat, surditatem oriri, vel desinere.

Pro biliosis autem dejectionibus eas intelligit, quae tenuium, & labilium sunt humorum, qui sponte suâ mobiles facile ex una in aliam partem deducuntur. Hæ verò tam sunt frequentes in febribus, ut vix unum ex millenis invenias, qui ejusmodi humorum egestiones per alvum non patiatur: cum enim in febribus sanguis indebet fermentare, secundum aliquas sui partes saltrem acrior evadat, sit propterea, ut ejusmodi acrum succorum in cysti fellea copiosior secretio, ac repurgatio habeatur, unde fæces, urinæ, immo etiam sudores, cæteraque cutanea spiramenta consimilem referant conditionem, & non raro cutis ipsa patifacit inficiatur. Igitur si fortasse per consueta Corporis emissaria recrementa ista minimè repurgentur, sed in sanguine detenta ferantur in caput, & aures, procùl dubio surditatem afferant, oppletis nimis ductibus auditioni conferentibus, cum etiam in statu sano, ejusdem generis excrementa in primam auditus semitam deponantur, unde Cerumen exoritur, flavum simùl, & salitum. At verò si ab his in alvum deferantur, flavæ dejectiones comparabunt, & quidem affluentiores, desinente interea surditate.

Verum advertit, & rectè Galenus, non de hac surditate Hippocratem locutum, quæ ex habitu difficulter solvit, & propriè surditas appellatur, sed quæ repente in febribus, vel aliter fieri solet, & subsurditas, seu gravis auditus dicitur: illa quippe vitium organi sequitur, vel saltrem à tenaci, hærentiæque humore dependet: hæc verò, quæ febricitantibus accedit, quoniā à fluenti humore procedit,

per-

perseverans esse non solet; quamobrem quā facilitate evenit, eādem, detruso inferiū humore, brevissimè desinit.

Cæterū hæc tunc solūm eventui præfigito respondebunt, cùm surditas, sēu subsurditas ex memoratis humorib⁹ provenit; nām si fortassē aliundē illa oriatur, ut accidit Hermocrati *agroto II. 3. epidem.* certè prognosis fallet. Sed & poterit quoquā humor in auribus collectus aliò diverti, & per sudorem, aut urinam expurgari, desinētque surditas, absquā ullā per alvum evacuatione. Itaque debent ista reciprocē respondere, ut aphoristica hæc sententia ubiquè vera inveniatur.

Undē autē consensum hunc Aurium cùm Intestinis deducamus, ut his fluentibus illæ laborantes exaudiantur. Arduum sanè est ex Anatome explicare, nisi solūm communes Arteriarum vias recensēamus, & mutuō int̄ se referentes ambarum partium glādulas; undē non semel vidimus brevi solutas parotidas ingentē tumefactas, egestionibus per alvum habitis. Attamēn crediderim istiusmodi subsurditatem febricitantibus evenire ab humorib⁹ dumtaxat circā Ventriculum collectis; sicut enim s̄pænum erò experimur aures obsurdescere, & tinnitus, sibilumque pati in vertiginosis ab affecto Ventriculo, imò & dolores, cæterāsque capitis affectiones à stagnantibus ibidēm humorib⁹ excitari; sic pariter credere licet in surditate hic ab Hippocrate memoratā ex suppressis egestionibus obtingere. Nequā verò verisimile videtur tantam humorum colluviem posse Aures occupare, quanta solet per alvum dein. dē in febrientibus egeri. Satis enim est nervos per eas partes excurrentes prætēr naturam affici, vellicari, atquā à pravorum succorum præsentiā gra-

vari, aut extorqueri, ut mox **Cerebrum**, ejusque organa sensuum coafficiantur: fiet autem ut potius **Aures** in his lœdantur, quam sensus alii, à conditione vitiosi humoris acris, & biliosi, quippe is, ut antea dictum, multum responderet cerumini, quod **Aurium** recrementum est felleum, & amarum.

LEADER PHONETIC TRANSCRIPTION  
Lædantur, quām sensus alii, à condicione vitiosi humoris acris, & biliosi, quippe is, ut antea dictum, multum responderet cerumini, quod Aurium recrementum est felleum, & amarum.

### APHORISMUS XXIX.

*Quibus febricitantibus sexto die rigores sunt difficile judicium sequitur.*

**A**D prognosim quoquè pertinet hic Aphorismus, quo edocemur rigorem febrentibus contingentem sexto die difficile judicium præmonstrare.

Rigor quidem adeò solet esse febricitantibus familiaris, ut unum ex peculiaribus symptomatis, que febres comitantur, recensetur. Potest autem & Periodicus, & Criticus, & Symptomaticus esse. Periodicus, cum accessiones febrium intermittentium, potissimum tertianarum initiat, renovatque, & sicuti is inseparabile, propriumque signum earumdem esse solet, ita quoquè bonum existimatur, de quo Hippocrates hoc eodem libro t. 63.: quibus in febribus quotidie rigores sunt, quotidie febres solvuntur. Criticus est, cum continuis, vel continentibus febribus supervenit, præcedente coctione: eo namquè febres aut desinunt, aut in intermitentes commutantur; unde Hippocrates Aphorismo 58. bujus inquit: *febre ardente laboranti, rigore superveniente, solutio fit.* Symptomaticus demum febricitantibus

accidit, sed absq[ue] ulla febris remissione, irritamentum, ac pravitatem humoris arguens, & si fortas-  
sē ægro jām debili accidat, lethale signum dicitur,  
*tex. 46.* Modò rigor hoc loco memoratus nèc pe-  
riodicus, nèc criticus esse potest, sed omnino sym-  
ptomatus, adeoque non bonus.

Nequè verò ex uno tantum capite malus illu-  
censendus est, nām sexto die contingens velutì in-  
tēr initia febris, & vigente cruditate, maligni-  
tatis nota esse solet, ut ex Hippocrate pluribus in  
locis epidemiorum clarissimè deducitur, & quæcum-  
què per hæc tempora contingunt, mala sunt; undè  
& morbus regius, & sudores sexto die inciden-  
tes, pessimi ab eodem Hippocrate proclaimantur:  
quamobrèm Galenus Tyrannicum illum appella-  
vit.

Sed quām nocuus, molestusque sit Rigor febrici-  
tantibus, ex ipsius naturā deducendum: est namquè *V. Gal.*  
universalis concussio Corporis cum sensu frigoris *des.*  
illata ab humore partes ejusdem sensu præditas ir-*sympt.*  
ritante. Ex hac autem concussione adeò totum Cor-*caus. c.*  
pus affligitur, ut velutì à longo itinere defatiga-*ult., de-*  
tum, ac verberibus cæsum conqueratur: succeden-*Rigor.*  
te verò intermissione, qua omnino febre vacet, *trem.,*  
quodammodo reficitur, & quiete compensat, quod *palp. c.*  
à febre rigorifica perpeccum est. At verò si febris *6. &*  
intermissio nulla sequatur, talem ex rigore mole-*comm.*  
stam concussionem rependere cùm non possit, ma-*63. hu-*  
gis, magisque debilitatur, & fatiscit, ut tandem  
succumbat. Accedit, quod causa rigoris humor est  
partibus omnibus infensus, itemquè sanguini, lym-  
phæ, & liquori nervorum, quapropter nisi deinde  
repurgetur, & per aliquam evacuationem egeratur,  
procūl dubio mala minabitur periculosiora.

Quamquam autem Hippocrates speciatim notaverit rigorem sexto die malum, non ideo cetera accidentia, si foris eodem die, aliove non critico, contingant, bona censenda erunt, cum & sudores, & vomitus, & dejectiones, & laterus, aliaque hujus generis, tum sexto die, tum aliis diebus, nec criticis, nec indicibus, ante coctionem, difficile judicium portendant: quaelibet namque evacuatio non ex precedente coctione, secretionaque contingens, pro symptomatica habenda est, velut ex pravitate, vel multitudine proveniens, nec tamquam ejus humoris, qui morbum facit. Hinc Philini uxor agr. IV. 1. epidem. cum octava die superriguisse, vigesima obiit: & uxor Dromeadæ passa rigorem tertiam, & sextam, paulò post perire. Sic & Hermocrates 3. epidem. morbo regio affectus sexta die, periret vigesima septima. Contraria vero Epicratis uxor, quæ superriguit decimam quartam, judicata est quadragesima. Quare, ut rigor, aliisque Naturæ motus, criticus, & salutaris censetur, coctionem, secretionemque peccantis humoris consequi debet, cum febris intermissione coniuncta, concurrentibus quoque aliis bonæ judgmentis indicis.

Qualenam sit ejusmodi difficile judicium, deduci potest ex 1. epidem. sect. 2. const. 2. ubi Hippocrates, cruda, & incocta, & in malos abscessus conversa, inquit, aut judgmentem non futuram, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidivam significare. Quod & in comm. istius Aphorismi rememorans Galenus subdit: eos, qui in hoc die (puta sexto) fiunt rigores, difficile habere. judgmentum, hoc est malum afferre, ac si male judicantes dixisset; vel certè infirmum, ut qui facile recidivam fherent, vel in longum tempus protraherentur, ac si dixisset difficulter subiles.

APHOR.

॥१२॥

### APHORISMUS XXX.

*Quibuscumquè accessiones fiunt, quacumquè horā  
febris dimiserit, si eadem crās occupaverit,  
judicium habent difficile.*

**E**T hic Aphorismus ad partem pertinet pro gnosticam eventus febrium, & quidem ex repetentibus paroxysmis eadem horā inconcussā, & invariata, eas soluti difficiles testatur. Exemplum affert Galenus febris, quae sépèr eadem horā, puta tertiā, redeat, & tūm primo, tūm secundo, tertio, ac quarto die initium resunat, & sic deinceps, licet aliā quavis horā intermittat, & desinat. Tales enim, inquit, febres horam sui principii in accessionibus inconcussam, & invariata habentes, futuras longas, & difficultē solubiles; idque sive quotidiē, sive tertio, sive quarto quoque die, illarē repetant.

Et sanè, quod de quibusvis periodicis febribus sermo hic sit ab Hippocrate prolatus, colligi posse videtur ex adjectis dictionibus. *Quibuscumquè accessiones fiunt.* Accessiones autem indefinite comprehendunt quotidianas, tertianas, & quartanas. Verum cùm idem dicat si eadem crās occupaverit: quotidianas potius expressas voluit, vel tertianas, quartanasque duplices, triplicesque, singulis scilicet diebus atfligentes. Quamquam probabile quoquè sit voluntate id exempli loco notatum, quemadmodum alibi consuevit, pari loquendi formulā usus, generalia medicinæ dogmata singularibus exemplis tradere.

Sed

Sed nūm voluerit sub quacumquē hora intermissionis febris designare repetitionem, inc̄ceptionēque sequentis accessionis, itānt finis unius sit initium alterius; an verò principium singulorum paroxysmorum eādem semp̄e horā contingat, licet finis, & declinatio cum intermissione variet, ab Expositoribus disceptatur. Sub priori sensu interpretatur Heurnius, qui vult casum ab Hippocrate fangi, si sequenti die, invaleat febris eādem horā, quā desit antecedenti. At verò sub posteriori exponit Galenus, qui servari quidēm semp̄e horam, in qua accessione suum faciat initium, non servari verò alias, in quibus finitur, ut antea notatum est, commentatur; parūmque interesse, an quacumquē hora, & cītiūs, & tardiūs febris definat, dummodo eādem semp̄e horā redeat, & incipiat. Et quamvis utrāque expositione sensus Aphorismi cohæreat experimento, suisque rationibus fulciatur; longè ramen probabilius videtur, & menti Hippocratis cōgruentior interpretatio, si finem unius accessionis, alterius principium excipiat, ut cūm expectatur intermissio præcedētis, & altera subsequentis febris accessione subingreditur. Etenim hic Aphorismus videot scriptus de febribus continuis, licet periodicis, cūm intermittentes Apb. 43. dicātur periculo vacare, quæ propterea difficile judiciū habere nequeunt. Cūm igitur febres accident, quarum remissionses initiantes succendentium accessiones excipiūt, ut quotidianæ, tertianæ duplices, hemitritæ, aliæque per subintraniam dictæ, tūnc protectō difficile iudicium sequitur; in his enim multi, & mali solente esse humores ingeniti, foci febrium sordidi, & fermenta viscerum non minimum depravata. Accidit præterea ex ejusmodi febrium generibus ingens

in

in viribus jactura, cùm nequè coctiones ciborum, nequè alimenti distributiones commodè peragantur, & quod graviùs, ob accessiones sibi subito succedentes Natura nequeat, ut in intermittentibus, restaurari, sed sensim hebescit, & elanguet. Secùs autem accideret, si febris omnino intermitteret, desineretque, ut existimat Galenus.

Quam præterea idem Galenus rationem difficilis judicii affert, desumptam ex fixâ, firmatâque causâ accessionum, quæ idcirco difficultè solubilis sit, multis improbat Argenterius, sed potissimum ex eo, quod erraticæ febres deberent esse facillimè solubiles, ob vagam, instabilèmque causam, ex qua oriuntur, cùm tamèn ex eodem Hippocrate habeatur difficillimæ solutionis esse, atquè adeò longissimas evadere; quin & illæ, quæ fixam, stabilèmque causam recognoscunt, ob id ipsum solvi faciliùs deberent, quippè quam melius subjiciantur coctioni, secretionique, quam si erraticam, vagantemque consequantur; undè concludit faciliùs concoqui biliosam materiam alicubi stagnantem, quam fluentem, vagantemque pituitam; itemquè citius febres continuas ex humore in venis concluso, quam intermittentes, procedentes ex humore per habitum Corporis diffuso, ut idem est Galenus arbitratur: sed enī experimur tertianas, & quartanas intermittentes, mensurnas, & annuas evadere, cùm hymen præsertim attigerint.

At quamquam hæc adversus Galeni expositionem ab Argenterio proposita non levis momeuti videatur, haud tamèn improbabilis illa penitus dicenda erit, si repetitiones febrilium accessionum statis semper horis habitæ, invariata temporis invasionem servent. Siquidem redditus accessionis febrilis eadem sem-

sempèr horā immutabilitè arguit æquabilem, constantemque in vasa sanguinea fermenti febrilis intrusionem, atquè in viscerebus, seu focis febrium, per uniformem, determinatamque fermentescientis sanguinis in sua emissaria depositionem. Verum quo pacto ista accidunt, clarius infra explicabuntur.



### APHORISMUS XXXI.

*Febricitansibus lassitudinem habentibus in articulos, & circà maxillas potissimum abscessus sunt.*

<sup>2. Aph.</sup> <sup>5.</sup> **A** Libi dixerat Hippocrates spontaneas lassitudines morbos prænunciare, iisque propterea usus est veluti signis futuras ægreditur præmonstrantibus; nunc & easdem assumit in signa prognostica futorum abscessuum in articularis, & circà maxillas, si febricitantibus accidunt, & absquè illa causa manifesta.

Notavit autem speciatim febricitantes, quoniā licet abscessus quibuscumque ægrotantibus accidere possint ex multa, & tenui materiā, cum virium languore, vel ex tenaci, & crassâ expulsione repugnante; frequenter tamē febrentibus contingunt, eo quod humores febrim excitantes per indebitam fermentationem motui magis subjiciantur, & de loco in locum ferri possint.

Cū itaque hi citra quamcumque evidentem causam, membra Corporis defatigare valentem. lassitudinem incurunt, ut vel si minimum, leviterque moveantur, se impotentes percipient, abscessibus

sibus subjiciuntur; etenim exinde significatur humores ad partes musculosas, itemque ad tendines, & ligamenta articulorum decumbere, unde impedimentum motus, & impotentia regendi Corporis pondus exoriatur.

Quoniām verò lassitudo triplex memoratur à Galeno comm. ejusdem Aph. 5. 2. lib., prima quæ ulceris, altera quæ tensionis, tertia quæ inflammationis sensum refert, dubitari hoc loco potest, quænam potius hic sit adjicienda, quæ futuros abscessus in loca articulorum prænunciet. Et dicendum omnem, & quamcumquæ esse comprehensam, cùm unaquæque ab humoribus exoriatur, & solùm inter se differat sensu, quem partibus inferunt; quamobrè non immeritò Hippocrates indiscriminatim lassitudines nominavit. Porrò ad partes lassitudine affectas velutì debiliores facile quicunque humores appellunt, & abscessus inferunt.

At verò non ex modica, ac momentanea Corporis lassitudine, hi protinus sunt præagiendi, sed ex continuata, diuque perseverante afflictione, ut propterea in Aphorismo notentur, qui *habent*, hoc est qui perpetim patiuntur *lassitudines*, non qui *habuerunt*, vel passi sunt. Indè cnim arguitur imbecillitas artuum, qui facillimè eapropter excipere possint decumbentes humores.


Sed & in articulis, & circà maxillas potissimum memorantur abscessus fieri, quoniām humores à partibus nobilioribus depositi non alibi promptius recipi, & consistere possunt. Sunt enim in articulis vacuitates; glandulæ verò velutì partes Corporis spongiosæ facilè etiām excipiunt, & detinent: harum autem præcipue notavit quæ circà maxillas sunt, uti in buccis, juxta aures, itemque in collo

& in jugulo ad linguæ radicem, quippè in has sæpiissimè vitiosos humores à Cerebro, aliisque internis visceribus abscedere experimur.

Quamquam autem articulos, & glandulas circa maxillas abscessus pati retulerit Hippocrates, non tamè reliquas idipsum subire posse negandum: etenim sextis cadaveribus, pluriès abscessus inventi sunt in glandulis Mesenterii, & Pancreatis, itemque in glandulis lumborum, & Renum, aliisque, & sanè, quâ ratione ponè aures, & in collo glandulae suscipere possunt vitiosos humores, eadē, & cæteræ tūm internæ, tūm extērnæ abscessus pati poterunt; quinimò non semel expertum est multò anteà quam exteriōres glandulae tumorent, interiores in Mesenterio intumuisse; undē rationabilitè quidem dissolventia, & diaphoretica medicamenta, in ejusmodi tumoribus à peritioribus Medicis commendantur, quæ scilicet impactos, hærentesque humores incident, attenuent, dissolvantque, & per patientiores ductus foras amandent, quemadmodum de urina multa, & crassa idem Hippocrates Aphor. 74. hujus fasus est, inquiens: *Quibus speratur futurus abscessus ad articulos, eos liberat ab abscessu urini multa, crassa, & alba, qualis in laboriosis febris quarto die quibusdam incipit fieri, &c. de qua re inferius.*



APHOR.



## APHORISMUS XXXII.

*Quibus autem convalescentibus ex morbo pars aliqua dolet, ibi fiunt abscessus.*

**Q**UOD de febricitantibus ex lassitudine praecedenti Aphorismo pronunciavit, nunc de cōvalescentibus ex dolore partem aliquam infestante idipsum profert Hippocrates. Quare & hic Aphorismus prognosticus quoquè est, alterum tradens indicium abscessus futuri, & quidem ea in parte, quam dolor excruciat.

Proponit autem cōvalescentes ex morbo, id est, qui nupèr è morbo servati sunt, præsertim acuto; nam ex morbis chronicis non tam facilè abscessus eveniūt, resolutâ nimilùm sēsim materiâ morbificâ ex morbi diuturnitate: quippè ex reliquiis humorū non bene subactis, nec expulsis, ejusmodi abscessus fiunt.

Pro dolente verò parte non solum intelligit, quæ reverà dolore, sive pungente, sive gravante afficitur, sed quocumquè modo laborantem, imbecillam, & languidam. Cùm enim abscessus, translatio sit humoris de una in aliam partem, præsertim ignobilem, certè nisi hæc languida sit, & imbecilla, commotum humorem minimè excipiet; unde sive à dolore re ipsâ cruciante, sive ab imbecilitate undecumquè inductâ, pars aliqua laboret, obnoxia fiet abscessui. Hinc experimur in partes torpidas, exangues, extenuatas, aut doloribus affectas, commotos humores decumbere, & abscessus parere. Quod verò vulgo dicitur dolorem trahere, veluti cucurbitula, ridiculum est, cùm & Galenus

*ipse 3. de natur. fac. 13. languorem in partibus, non dolorem accuset.*


A PHORISMUS XXXIII.

*Sed si ante morbum aliqua pars doluerit ; ibi morbus statuitur.*

**Q**uemadmodum præcedentibus duobus Aphorismis ex indiciis cōcomitātibus, vel consequentibus morbos, conjunctā videlicet lassitudine, aut in sequente dolore, prognosim futuri abscessus deduxit Hippocrates; ita hic ex præcedente morbum dolore in aliqua parte Corporis conjicit futurum morbum ibidem consistere, & firmari. Quamobrèm inquit Galenus *in comm.*, si quis velit connectere duobus prioribus sermonibus illū, qui nūc dicitur, ad unius Aphorismi integratiam, sive seorsum unumquemque scribere, nihil refert, nam & communitas eorum ostensa est, & singulorum proprietas in sermone præposito.

Cum igitur antequām morbus invadat, pars aliqua Corporis ad ægritudinem disposita dolore afficitur, vel aliter molestatur, aut languet, ibi futurus morbus firmabitur, sumptā conjecturā ex languore ejusdem partis affectæ. Nām sicuti spontanæ lassitudines, antē morbi invasionem cōtingentes, Corpus obnoxium ægritudinibus portendunt; ita labor, dolor, languor cuiusvis partis, prænuntiat futuram in eadem parte affectionem; quippè pars dolens, aut aliter affecta subjicitur recipiendis humoribus præter naturam adauctis, & vitiatis, qui propterā ibi-

ibidem consistentes morbum excitabunt, inflammationis, tumoris, aut abscessus naturam referentem; nisi tamèn evacuatione per vias urinæ, vel Intestinorum, aut etiàm per sudorem, vel narium hæmorrhagiam, aliterve, vitiosus, ac collectus humor egeratur, ut ex eodem Hippocrate deducitur 6. epidem. s. 4. intèr initia.



### *APHORISMUS XXXIV.*

*Si febrem babenti suffocatio repente supervenerit, nullo tumore in fauibus existente, est lethale.*

**P**ertinet quoquè hic Aphorismus ad partem prognosticam, atquè eo interitus præsigitur febricitanti, si repente suffocatione corripiatur citrà fauicum tumorem.

Quandoquidem inquit *febrem babenti*, procùl dubio is, cui hæc accidunt, febre multo anteà corruptus existimandus est: idque magis, quoniàm suffocatio dicitur supervenire; quare eadem repente contingens erit symptoma superveniens febricitanti.

De qua verò febre intelligat Hippocrates, dubitat *in comm.* Galenus. Et quamvis de eo, cui magna insit febris, videatur interpretari; contingit tamèn, subdit, etiàm sine magna febre, strangulatione repente superveniente, hominem interire; inevitabilior autem, & citior est mors, ut ne sperari quidem possit illius salus, cùm vchemens febris detinet ægrotantem, ob majorem respirationis indigentiam.

Sivè igitur acutâ, & gravi febre, sivè etiàm levio-

V. Hipp.  
in Coa-  
cis praen  
ubi ea-  
dem  
die, vel  
tertia  
peritii-  
rum  
agrum  
scribit,

viori æger afficiatur, si nullo tumore fauces occupante videtur repente suffocatione corripi, is prædictitur interitus. Cùm enim citrā causam evidenter suffocatio supervenit, vel in pulmone, vel in aspera arteria vitium aderit, & quidem ejus conditionis, ut non tam mole, quam venefica pravitate respirandi organa inficiat; vel etiam à Spinæ vertebris luxatis, atquè introrsum inflexis partes respirationi dicatae comprimuntur: quorum utrumque lethale est, medelam haudquaquam admittens. Suffocatio namquæ non aliud est, inquit Galenus, nisi interitus subitus propter defectum inspirationis, qui fit ex angustia alicujus instrumenti ex iis, quæ observiunt respirationi. Quoniā verò dixit nullo tumore in faucibus existente, implicitè proinde intelligendum voluit tumorem guttare occupare: quæ enim internam partem asperæ arteriæ infestant, vel exterius circum obsistunt, haudquaquam visu spectari possunt, etiamsi os undequaque amplificetur: inflammato autem gutture, ejusque muscularis, impeditur inspiratio, & expiratio, vel per compressionem, si forte exterius inflammatione gravetur, vel per obstructionem, si interius constipetur.

Sed quid si tumor in faucibus appareat, an non lethale signum existimandum sit? Et quidem sine vitæ periculo ejusmodi in faucibus tumor non erit, cùm non minus periclitentur ægrotantes ex impedita respiratione, quam ex impedita ciborum deglutitione. At verò longè periculosior censenda est læsio respirationis, quam deglutitionis; cùm sine respiratione, & aëre, diū vivere nequeamus, absque deglutitione verò, & sine cibo ad plures dies vivere possimus. Accedit, quod tumor apparet in faucibus, multis, variisque medicamentorum generibus tra-

tractari potest, & non raro ad maturationem, vel resolutionem perductus ægrum incolumem relinquit, secùs verò qui guttur, & asperam arteriam occupat; & si fortassè maturitatem subeat, delabente in pulmonem, & thorace in purulentâ materiâ, necem quoquè affert.

Dubitari præterea solet quinā tumor hic ab Hippocrate memoretur, cùm apud Medicos tres species tumorum (excepto Erysipelite) communiter recentiantur, phlegmonis, scirchi, & œdematis. In codice græco scribitur *œdema*, id est tumor mollis factus à phlegmate; undè is videtur speciatum in Aphorismo notatus, eoque magis quia citrè dolorem est, cuius ne quidem verbum facit Hippocrates in textu. Verùm crediderim potius Inflammationem intelligendam esse, cùm febricitanti superveniat, ubi humores acitudinem, tenuitatemque sortiuntur. Præterquamquid tumores œdematosi veluti à lentis humoribus inducti sensim, & per paulatinam congestionem fiunt, nèc facile gutturi, aut asperæ arteriæ adnascuntur; in Aphorismo autem dicitur repente suffocationem fieri oportere, & minimè apparentem. Quamquam si fortassè œdema exoriatur adhuc vitæ periculum minet, ob interclusam respirationis semitam. Usus est autem nomine œdematis Hippocrates, quod omnem tumorem, scù inflationem significat, ut etiam in *comm.* Galenus advertit.

Non est autem prætereundum periclitari aliquando ægrotantes, & suffocatos interire, absquè ullo tumore, aut inflammatione gutturis, vel faucium, ob malignam solùm, venenatamque inspirati aëris conditionem, quemadmodùm contigit circa Annum Domini 1618., quo tempore per Italiam, sed præser.

sertim in hoc Regno Neapolitano fæva lues contagiosa viguit, quâ innumeri ferè pueri periire. Id verò potissimum illâ affecti patiebantur, ut fauces, & guttus livescerent, & factorem emitterent pestilentem. Compertum quoquè est suffocari homines, cæteraque animalia peculiaribus halitibus è quibusdam cavernis, ac fodiis erumpentibus, non dissimiliter ac iis accidit, qui aërem illum exhauiunt è cryptâ ad lacum Anguianum sitâ. Ex densiori etiâm, aut plûs justo tenuiori aëre idipsum pluriè visum, quemadmodùm in cellis vinariis ex fermentante musto, locis occlusis, specubus subterraneis, thermis, hypocaustis, alijsque, ut latius in nostra Medicinæ parte theoretica. Verumtamen suffocatio in hoc Aphorismo memorata nonnisi grave Pulmonis vitium sequitur, atquè ab interna, non autem ab externa causa illatum, ut anteâ dictum est.



### *APHORISMUS XXXV.*

*Si febrem habenti repente collum pervertatur,  
ac vix possit devorare, non existente  
tumore, letale est.*

**U**bì præcedenti Aphorismo lethale signum ex subita suffocatione febricitanti superveniente à læso gutture, vel pulmone, desumptum est; nunc ab impedita deglutitione idem indicium sumitur ob vitium faicum, & gulæ. Evidèm sicuti respiratio pertinet ad asperam arteriam, ejusque ductus, ità ad fauces, & œsophagum deglutitio.

Et

Et sanè utrumquè symptoma cōsiderat Hippocratis in febricitantibus, quibus sempè gravius, ac periculosius est ejusmodi extraordinariis accidentibus molestari, cùm per febrim vires magis labefactentur, vitæ usus, & operationum vitalium commoda sensibilius afficiantur, quæ planè diutiùs læsa esse non possunt, et si in cæteris ægritudinibus facilius sufferantur.

Quotiēs ergò prætèr incommoda febris, & symptomatum, illam frequentiūs concomitantium, accedit febrientes rarioribus, insuetisque aliis vexari, longè majus pectoralium imminet. Et quidèm de vita magnoperè ambigendum, si repente illis collum <sup>v. Cels. lib. 2. c. 6.</sup> pervertatur, contorqueaturque, ut vix, ac ne vix quidèm possit deglutire. Significatur enim talem, ac tantam læsionem in musculis moventibus, flexoribus, & circumvolventibus collum inductam esse, ut etiā nervi, & vertebræ spinalis medullæ coafficiantur; undè etiā gula, quæ per fibras, & musculos, spinæ adhæret, suo munere deglutiendi detungatur. Atqui hæc non sine luxatione, inflammatione, paralyssi, aut convulsione contingunt, quæ febricitantibus omnino mortifera esse solent. Sed & impedimentum deglutitionis non leviter quoquè incommodat, cùm Corpus alimento, & debitâ virium instaurazione privet. Quod autem ab inflammatione ex luxatis vertebris, aliave simili affectione spinæ id oriatur, clarius expressit idem Hippocrates s. epidem. sect. 2., & Galenus 4. de loc. affect. cap. 3. Quamobrem quomodocumquæ spinæ vertebræ offendantur, adhuc contusione, vulnere, contorsione, yaldè de exitu lethali timendum erit.

## APHORISMUS XXXVI.

*Sudores febricitanti si incaperint, boni tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & undecimo, & decimoquarto, & septimodecimo, & vigesimoprimo, & vigesimo septimo, & trigesimoprimo, & trigesimoquarto: Hi enim sudores judicant morbos; qui verò non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidivam.*

**P**ergit Hippocrates examinare sudores in febribus evenientes, per quos hæ sapissimè judicatur: eos autem inquit, si incaperint diebus imparibus, potissimum indicibus, & decretoriis, bonos, & salutares esse; secùs in aliis. Quare considerat hic solummodo tempus apparitionis sudoris, nám de substantia, qualitate, loco, & modo, infà.

Quamquam autem ferè omnes Interpretes unanimi consensu generalem hanc Hippocratis sententiā exponant, indequè rationem dierum judicatoriorum tueantur; si nihilominus perpendantur accuratiū, quæ hic eorumdem serie is complexus est, procùl dubio plures, & quidem non levis momenti difficultates occurrent excutiendæ.

Primum autem se offert examinandum, cùr ad seriem criticorum, & indicum, quartum diem in hoc Aphorismo non retulerit, recensuerit verò tertium, & quintum; itemquè cur vigesimum primum, non vigesimum, qui tamè ab eodem intè potiores criticos alibi refertur; & cùr vigesimum septimum, non vigesimum octavum, veluti per septenos com-

pa-

paratum ad vigesimumprimum.

Nèc deindè difficultate caret, quare tempus su-  
doris incipientis in febribus sit hic per dies impa-  
res, velutì crismos recensitum, cùm tamè idem  
Auctor i. *epidem.* judicatorios dies diviserit in im-  
pares, & pares, eo sanè discrimine, ut si morbi  
per dies impares exacerbentur, imparibus quoquè  
judicentur, & per pares, diebus paribus.

Sed etsi per dies impares ingravescentes morbos  
speciatim voluerit hoc Aphorismo designare; undè  
postmodùm non decimumtertium, sed quartumde-  
cimum recensuit, & trigesimumquartum, non trige-  
simumtertium, vel trigesimumquintum, in quibus  
accessiones repetunt sensibiliores, graviusque affi-  
gentes, cùm febres periodum servant tertianarum.

Undè præterea tantam fidem hoc loco judicato-  
riis diebus præsticit Hippocrates, qui in *libris epi-*  
*demiorum* quamlibet diem tūm imparem, tūm pa-  
rem, decretoriā notat. Evidēm Larissām Virgi-  
nem sextā die judicatam refert, ut & filiam Eu-  
rianactis. Python æget primus i. *epidem.* decimā  
die sudavit, & judicatus est; aliisque plures pari  
modo judicati commemorantur, ut latè à Nobis  
ostensum est alibi *cap. de crīsbūs, & diebus criticiis.*  
Quamobrèm Celsus diligentissimus cæteroquì præ-  
ceptorum Hippocratis observator nullam dierum  
criticorum rationem habendam voluit, sed tantum  
accessiones repetentium febrium considerandas, cùm  
**ex illis morbi judicium sumant.**

Animadversione pariter dignum videtur, cùr omi-  
serit quadragesimum diem ultimum criticum acuto-  
rum morborum, in quo multi à gravissimis morbis  
vindicati memorantur, ut præteream reliquos dies  
**in chronicis considerabiles, sexagesimum, octogesí-  
mum,**

mum, centesimum, & centesimum vigesimum. Hinc traditam criticorum dierum rationem suspectā plerique habuere, nequè solùm ex Recentioribus, sed apud Vetusiores quoquè, ut testis est ipsem Galenus, qui in *comm.bujus Aphorismi* hæc habet: *Nō parva est de diebus scriptis in Aphorismo discordia, cùm alii alios pro arbitrio scribant.*

Adhuc insupèr inquirendum foret, quomodo possit sudor die tertio, vel quinto, criticus, & salutaris esse, cùm tunc morbus in principio sit, quo tempore nunquam salubriter Natura movet, quæ tam brevi concoquere, & malos humores secerere nequit. Contrà verò qui fieri potest ut sudor post vigesimumseptimum, vel trigesimumprimum crumpens tam malus sit, ut morbi longitudinem, laborem, vel recidivam portendat, si aliter succedit, cùm jam perdiu is duraverit, ejusque causa morbifica magnâ ex parte domita putanda sit, cum signis coctionis, & criscos, præsertim quia sudores ab humoribus tenuibus proficiscuntur, & hic ab Hippocrate considerantur, veluti acutis morbis fūnem imponentes, qui propterea ultrà quadragesimum producti non referuntur.

At quamvis hæc pluriini facienda sint, ut alias quoquè meminimus; aphoristicam hanc tamē Hippocratis sententiam non incommodant, quippè is sudores hic memorat, qui frequentius febrientes allevant, & potius iteratò febres sensim solvunt, quam semel per absolutam, exactimque crisi judicant, quemadmodum Galenus 3. de *crisib.* adnotavit, raro nimirum febres præsertim productas punicā, perfectaque crisi terminari, sed saepius reperitis evacuationibus desinere, quas idem solutiones appellavit, cohærenter his, quæ Hippocrates ipse

*Aph.*

Apb. 63. hujus, ex rigoribus quotidiè recurrentibus, febres quotidiè pariter solvi animadvertisit, potissimum per sudores. Quoniā verò istæ per dies plerumque impares invadunt, nèc quadragesimum transcendunt, ideo factum, ut impares præsertim notaverit, omiseritque quadragesimum. Quòd autem de sudoribus non semel apparentibus, & judicantibus febrim, sed incipientibus apparere, & pluriē redeūtibus agere constituerit, patet manifestè ex contextu ejusdem Aphorismi, nam inquit: *sudores febricitanti si incæperint: si ergo enarratis diebus incæperint, ac deinceps progrediantur, utiles existimandi erunt.* Cum imparibus autem connumeravit quartumdecimum, & trigesimumquartum, an quòd voluerit sequi Priscorum morem, qui ex Pythagoreis hos dies magis commendabiles fecerit; an quiā sub his adjacentes comprehensos vouluit, quos ideo non retulit; an demum quiā quæ sèpiùs observavit, scripsit. Atqui anticipantes, aut seriùs redeuntes febres non raro in causa sunt, ut crises, quæ cæteroquì die impari evenirent, pari- accident; etenim fieri potest, ut tandiu iteratis accessionibus præveniant, aut remorentur, ut tandem dies permutent. Cæterum quarti diei Hippocrates non meminit, quoniā sudores hic consideravit in declinationibus februm comparentes, quæ cùm per dies impares ponantur exacerbari, propterea illi non nisi in diebus imparibus quoquè prodibunt. Sed & raro crises observatas testatur Galenus in quarto die, qui se semel tantum, & Archigenem bis in totâ vitâ vidisse faretur.

Quod postremò sudores aliis diebus cōtingentes, quām in his, qui notantur in Aphorismo, labore portendant, morbi longitudinem, vel recidivam,

in-

*P. etiam  
Hippoc.  
progn. 2  
s. 26. &  
Mercur  
3. de ex  
crem. L.*

intelligendum, cùm absq[ue] signis coctionis accidit, nequè v[er]i Naturæ post secretionem expellentis; tunc enīm humorum multitudinem, aut pravitatem consequuntur, adeoque morbum futurum longum, molestum, redeuntem, anticipet, & non raro etiam capitalē, si præsertim alia pravitatis indicia simul copulentur.

॥१७॥ ॥१८॥ ॥१९॥ ॥२०॥ ॥२१॥ ॥२२॥ ॥२३॥ ॥२४॥ ॥२५॥ ॥२६॥ ॥२७॥ ॥२८॥ ॥२९॥

### APHORISMUS XXXVII.

*Frigidi sudores cum acuta quidēm febre mortem; cum mitiori verò longitudinem morbi significant.*

**Q**ualitatem nūnc sudoris in febrentibus considerat Hippocrates, & præsertim eam, quæ ad tactum pertinet, veluti sensibiliorem, frequentiorēmque, frigoris videlicet autē caloris. Inquit autē frigidos sudores semp̄ malos esse, sed tamēn cum acuta febre junctos, mortem; cum mitiori verò, solum longitudinem ægritudinis præsignare.

Et quidēm oportet sudores in febribus calidos persentiri, tūm quia à partibus viventibus calore præditis emauant, tūm quia sanguinis, vitæ somitis, serositates redolent, & salium misturas, undē tensionem tactui inferunt calorificam: quo scilicet patēto calor è corporibus percipitur, mediā actione sensui tactus illatā: quamobrēm quæ acriūs tactum afficiunt, patentiusque cutis poros divellunt, discerpuntque, ea quoquè calorem excitant urentiorem. Contrā verò quæ coarctando constipant, vel obtundunt, sicutū tenuiores partes hebetant, ac figunt ita

itâ sensum frigoris inducunt, & non raro etiam stupefaciunt, si fortassis modum excedant. Hæc autem ab uno, & solo sanguine, vel in motum celeiorem adacto, vel contrâ præpedito, contingunt; si quidem quoadusque sanguis mediocriter fluidus per venas, & arterias excurrit, atque portione sui floridâ, & vivificâ cunctas Corporis partes irrigat, & quaquaversum inseritur, calor, quem vitalem appellamus, in iisdem persentitur, quæque inde prodeunt, etiam excrementa, caloris quoque sensum exhibit. At verò, ubi præter naturam is afficitur, & vel exsolutâ portione volatili, vel etiam coagulata, vel aliter irretitâ, circuitum æquè bene persolvere nequit, immò effoetus, vapidusque, nec arteriolarum externarum partium subit, nec cutim convenienter fovet; cumquæ ab acido potissimum seriosores, & lymphicæ portiones ex eodem male affecto, pressius, infensiisque exprimantur, & per glandulas subtercutaneas in exteriorem Corporis ambitum protrusæ, ab ambiente Aere figantur, sudor proinde frigidus exoritur.

Atque hinc sudores frigidi cum acuta, & continua febre conjuncti mortem prænunciant, quippe qui significant eam in sanguine, cæterisq; liquoribus Corporis discrasiam, & depravatam affectionem inductam esse, ut jam jam cruentem, floridamque illius portionem figendo, aut exolvendo circuitum remoretur, & pulsationes in corde, & in arteriis intercipiat, magno cum vita discrimine. Frigidis quibus sudoribus legimus periisse Philiscum, Silenum, uxoremque Dromedax i. epidem. Quod si febris acuta, & continua non sit, sed levis, & pusilla, ut ex adjunctis symptomatis, ab humore potius in glandulis subcutaneis concreto, atque sensim per febrim


brim extenuato; ejusmodi sudor exorietur, quare longitudinem solummodo præsignabit.

Est tamè verum quòd multum differt sudor frigidus cum febre acutâ copulatus, ab eo, qui mitem febrem comitem habet: qui enīm febri acutâ, & continuâ jungitur, veluti ab exsoluto sanguine procedens, præter sensum frigoris, instar glutinis adhærescit, undē liquatæ substantiaz alibilis portionem exhibet; qui verò febri mitiori sociatur, cùm non nisi lympham crassorem in glandulis hærentem, sensimquè contabescantem pro materiâ recognoscatur procùl dubio seroñorem conditionem participabit, adeoquè minus malus erit, quoniām nil aliud mali arguit, quām multam, crassam, crudamque materiam, quæ tandem diuturnitate temporis dissolvetur, & superabitur.

Debent autem mites ejuscemodi febres tales reverà esse ex sui naturâ, modicum scilicet, levemque recessum à consueto, & sano statu Corporis inducentes: nām si fortissimè mites, & pusillæ forent ex malignâ, venenataque conditione, quemadmodum Galenus animadvertis, pusillas febres inquiēs quādogenitè malignas esse, certè majus, celeriusque periculum minantur, an quòd internam alicujus visceris inflammationem consequuntur, an etiām quia corruptionem, & gangrenam.

Quoniām verò indiscriminatim dixit Hippocrates frigidos sudores malos esse in febricitantibus, meritò dubitari potest, an de sudore quocumque morbi tempore erumpente intelligere voluerit; an verò de sudore solum in diebus criticis. Et quidem cùm superiori Aphorismo sudoris meminerit certis diebus prodeuntis, videtur notasse dumtaxat eum; qui, quo die crisis expectatur, erumpat, ut

existimat Heurnius. Verum, non est, ut Aphorismum, ad hos tantummodo sudores contrahamus, cùm & reliqui etiā intè initia febrium comparrentes, si frigidi sint, id ipsum prælagiant. Immò fatetur Mercurialis ratissimè contingere, quòd ægri in principiis morborum multum sudantes, aut non periclitentur, aut longā ægritudine non corripiantur. Quin & calidi quoquè sudores lethales esse consueverunt, si ægrum non allevent, & vires dissolvant. Quamobrèm non ideo quia sudores Hippocrates frigidos vituperavit, calidos perpetuò utiles putandum, cùm & hi, nisi modum, quantitatémque servent à viribus tolerabilem, atquè universales sint, è toto nimirūm Corpore manantes, in febrium declinationibus, quæ propterea subindè intermittent, pessimi quoquè censendi sint. Atqui non semel vidimus ejuscemodi frigidos, exitialésque sudores cōpescuisse diaphoretica alexipharmacæ, velutì Antimonium diaphoreticum ritè præparatum, & convenienti dosi Diascordii Fracastorii commistum, itemquè Bezoardicum minerale, aut martiale cùm extracto ligni aloës, sal volatile viperarum, aqua magna nimitatis, spiritum salis ammoniaci dulcem redditum, elixir vitæ, idque genus alia; fotis interea partibus extimis spiritu vini, vel simplici, vel cum caphurâ misto: quod planè plerisque paradoxum, qui tamè vel ex ipso Nicolao, ad id Rosatam novellam præscribente, discere deberent, quâ ratione istiusmodi mala tractanda sint.





## APHORISMUS XXXVIII.

*Et qua parte Corporis sudor est, ibi significat morbum esse.*

v. Avic  
1. p. cdt  
2. 2.
**S**udores in febribus, ut salutares sint, nedum calidi, sed è toto Corpore stillantes esse debent, cùm intèr evacuationes universales à Medicis referantur. Quandocumquè igitur particulares sunt ex unâ, vel alterâ corporis parte manantes, mali putantur ex 2. prognost. 26. Damnat itaque illos hìc Hippocrates nedum ut causas morbosas, verùm etiàm ut signa, ostendentia illam partem, undè effluunt, speciatim affectam esse. Non tamèn hæc cutanea solum intelligenda, quasi verò sudor ex poris cutis erumpens, eamdem cutim laborantem designet, sed potius viscera interius recondita; quamobrèm è capite profluens, Cerebrum, ejusque meninges laborare designabit; è pectori verò Pulmonem, & Cor. Nequè insupèr ex illo semèr erumpente, idipsum conjectandum erit, sed ex iteratis, recurrentibusque sudoribus; Unde experimur eos, qui Cerebro destillationibus obnoxio laborant, in somno circà frontem, & cervicem sudore perfundi, & nares humectiores pati: quæ ratione dicebat Hippocrates 6. *Apbor.* 2.: Quibus nares naturâ humidiores, & genitura humidior, ii minùs integrâ sanitate fruuntur: quoniàm Cerebrum serositatibus abundat. Oportet autem sudorem in his spontè prodire, nullâ causâ externâ impellen te, pura æstu aëris, exercitiis, hypocaustis; quippe à superabundanti humore necesse est, ut is solum-

mo-

modò erumpat; quamobrèm sicuti egestiones per alvum, aut per vias urinæ spontè habitæ, & plusquam Natura postulat, excedentes, multitudinem humorum ostendunt, eorum præsertim, quæ imum ventrem occupant: ità pariter exsudationes particulares adauditæ, atquè alicubi collectæ serositatis indicia sunt. At verò plerumquæ in glandulis, quæ innumerabiles per habitum Corporis dispersæ detextæ sunt, serosi isti humores colliguntur, ut præ cæteris prodidit Uvarthonus in sua *Adenographia*: hæ autem vel cum à frigore ambientis exprimuntur, vel cum ab ejusdem æstu attenuantur, & rarescunt, vel cum adeò turgidæ, ulterioris lymphæ incapaces evadunt, solent sponte suâ illam in sudorem adiungere. Atquè hinc obesiora corpora, velutì succipella, facile ex quacumquæ levi causâ copioso sudore perfunduntur.

Nequè verò sudor quâ parte erumpit, malè affectam illam solum indicat, sed eam quoquæ, undè provenit. Expertum enim, Caput aliquandò sudare ab affecto Ventriculo, aut Utero, ut in Vertigine sympatheticâ, & hystericalâ affectione. In his enim non tantum morbus in Capite, & Cerebro designatur, ubi sudor comparet, sed potissimum in Ventriculo, in Utero, undè affectum Cerebrum titubat: sic pariter sudat cervix, & frons ex syncope, inopino timore, Cordis anxietate, aliisque vehementioribus animi pathematis, neutiquam morbo Cerebrum affidente, sed Cor; quoniam ex Corde vehementer perturbato, sanguis tumultuariè commovetur, & in serositates extillat, caput, & faciem potissimum perfundentes, ob Imaginatricis conturbationem, molestamque impressionem, à tristi, & injunctivo objecio susceptam.

Postremò ejusmodi sudores plerumq; noctu, & intèr dormiendum contingere solent. Competrum enim habemus, eos, qui pectore laborant, vel laxiori, imbecillioriq; capite sunt prædicti, per nostrum sudare circà partes easdem, in quibus se laxos experiuntur, sensim scilicet se exonerante Naturâ quibus superfluitatibus opprimitur. Vigilantes quoquè consueverunt nonnulli circà Stomachum, & Ventriculum sudare, cùm præsertim multo cibo, immoderatōque potu infarciuntur. Qui prætercà doloribus articulorū obnoxii sunt, solent sèpius ex nullo, vel levi motu in plantis pedum, & volis manuum crassiori humore interdiù madescere. Quare pars sudans significabit morbum in seipsa latenter à susceptis ex imbecillitate humoribus, vel aliundè transmissis, vel ibidè aggestis, & ingenitis. Hinc medicamenta ejusmodi humores abscentia dirigi debebunt tùm ad partem ipsam quæ sudat, tùm ad eam, quæ sudoris materiam procreat, & suppeditat.



### *APHORISMUS XXXIX.*

*Es qua parte Corporis calor, aut frigus,  
ibi morbus est.*

**N**Edùm à sudore particulatim erumpente latentis ibidè morbi indicia sumere possumus, verùm etiàm ex aliis accidentibus, quæ eidem insueta contingunt; undè ex mutato cutis colore, ex tumore, dolore, alopecia, asperitate, & duritie, aliisque, id ipsum conjicere solemus. Notat

autem speciatim in hoc Aphorismo Hippocrates sensum caloris, aut frigoris, qui si fortasse in aliqua parte diutiùs perseveret, nec facilè cedat, eam ægritudine laborantem, designabit.

Et quidem calor, aut frigus partem affectam indicabunt, si modum, & temperaturam excederint, cum recessum arguant à consueto, & naturali: calor etenim alicubi exuperans, sicut & frigus, designant humorem ibidem collectum hæcere, qui aut indebitam fermentationem excitet, aut circumvenientem sanguinem retardet, aut consuetam perspirationem impediatur, aut alibilem succum depravet, aliudve præter Naturæ morem agat, quod sensum acuat, vel obtundat; quemadmodum à sanguine restagnante plerumque accedit, ut in tumoribus. Sed & aliquando fit, ut partem exsolutam, vel emortuam denunciet, adeoque præsentem, vel imminentem gægrænam. In his etiam, qui quartanas, vel tertianas febres patiuntur, frigus molestissimum, quale glaciei, inter initia paroxysmorum circà lumbos persentitur, designans ad easdem partes ejuscemodi febrium focos pertinere; quemadmodum novissime demonstravit Franciscus de leboë Sylvius.

Necesse autem est, caloris, aut frigoris excessum ita partibus accidere, ut diutiùs perseveret; nam si fortasse illico disperaret, cum non à firma, stabilique caufâ procederet, certè vel nullam, vel levem tantummodo partis ægritudinem indicaret, sed solam ejusdem imbecillitatem, quam obnoxia illa denotaretur perturbationibus subeundis, præsertim ex halitibus, è quibus fugaces ejusmodi calores excitari solent.

Pari ratione, si fotibus calorificis sensus frigoris desineret, nec literet latentem in par-

te morbum arguere: etenim non raro ab æstu acris immoderato facies plurimum calere solet, quæ frigidâ ablutione illicò mitescit; & contrà sèpissime per hyemem algent manus, pedesque, nullo interiorius latente morbo, quoniām mōx igne, aliōve corpore calorifico in naturalem, consuetumque calorem restituuntur. Quare ejusmodi excalefationes, refrigerationesque, ab internis causis induci debent, nequè ut levis momenti sint, oportet, ut proindè obstant adhibitis extrinsecus medicamentis, secūs latentem sub cute morbum non indicabunt.

Morbus denique ex ejusmodi sensu frigoris, vel caloris, in partibus affectis indicatus, materialis esse debet, nam quemadmodum dolor non sit nisi à re solvente continuum; ita frigus, & calor in partibus excitatus non sine aliquo sensu doloris, absque causâ materiali nequit haberī, putat ab humore sensum frigoris, vel caloris inferre valente. Porro omnes istiusmodi tensiones cum tactu sunt: Tangere autem, vel tangi, nisi Corpus, nulla potest res.



#### APHORISMUS XL.

*Et ubi in toto Corpore mutationes sunt, si  
Corpus refrigeretur, vel rursus calefiat, vel  
color alias ex alio oriatur, longitudi-  
nem morbi significat.*

**E**TIAM ex coloribus in Corpore apparentibus, mōx verò disapparentibus, cæterisque mutationibus repente subortis, atquè evanidis, de morbi cōditione judicium ferri posse decernit Hippo-

pocrates; & ubi præcedentibus Aphorismis partem  
affectam ex sudore, ac sensu caloris, aut frigoris  
dignoscendam protulit, nunc ex mutationibus Cor-  
pori contingentibus, futuri morbi chronicus progra-  
sim exhibit. v. etiæ  
Colf.  
lib. 2. c.

Mutationes ægris Corporibus evenientes quam-  
vis plurimæ esse possint, sensibiores tamèn, fre-  
quentiorésque referuntur, quæ visu, & tactu cun-  
ctis innoscunt, velut excalefactiones, refrigerationésque, & colorum mutationes, præsertim in fa-  
cie. Hæ modò cùm subinde sint, & sèpius eva-  
riant, malè affectam Corporis, & sanguinis, alio-  
rūmque humorum, constitutionem designant. Sicùt  
enim colores, qui naturaliter Corporibus accidunt,  
ex sanguine, cæterisque suctis cum sanguine com-  
missis exoriuntur; undè vulgo fertur: *qualis color*  
*apparet in cute, talis humor abundat in Corpore.* Ità  
in statu morboſo, colores variii in cute apparentes  
varietatem confluentium in sanguinem humorum  
consequuntur, atquè adeò depravatam ejusdem san-  
guinis habitudinem. Itemquè sicùt calor mode-  
ratus, conformis, & consentaneus vitæ à sanguine  
convenienti est, ità ab eodem malè affecto, ac vi-  
tiato, varix, differentiésque colorum mutationes pro-  
ficiuntur.


Non tamèn hic intelligendas vult Hippocrates  
eas Corporis mutationes, quæ sensim, aut pro-  
gressu temporis ægrotantibus eveniunt, vel certâ  
solum periodo, statutoque ordine redeuntes, sed  
subitanæas, repentinae, inordinatas, quemadmodum  
colligitur ex eodem lib. de judiciis, undè hic Apho-  
rismus videtur desumptus. Et sanè: Siquidem mu-  
tationes periodum servantes, & per intervalla re-  
deuntes, cujusmodi in febribus intermittentibus, in  
qua-

quarum initii cutis friget, & pallet, calet vero, & rubet in augmento, non semper morbi longitudinem portendunt. Quare tunc potius erunt observabiles, cum repente accidunt, & evanescunt; ut cum facies E. g. mox rubet, mox pallet, modò livescit; modò flavescit, calet, & friget; quodque uni parti accidit, contingat quoque reliquis, ac toti corpori, & quidem vel simul junctâ partium omnium extimatum, vel unius post aliam, continuatâ mutatione.

Sed cur hujusmodi repentinæ mutationes morbi longitudinem prænunciant, difficulter est inquisitionis. Et crediderim id ex malâ, variâque sanguinis affectione verisimilius provenire. Cum enim partes acres, acidæ, serotæ, crassæ, exolyentes, coagulantes, aliisque in se ille suscipit, varias affectiones partibus, quas permeat, imprimat; unde acritudine calorem, & ruborem, acorem, pallorem, & frigus, serotatem mollitiem, alborem, & madorem, crassitatem nigrorem, tumorem, & hebetudinem, & si fortasse salasilaginem conterat, pruritum, asperitatem, & erosionem partibus inferet. Hinc Hippocrates lib. de ossibus scribit: *laxatis venis, sed potius arteriis, ex corde sunt colores rubicundi, ac lucidi; adstrictis vero virides cum pallore, aut etiam lividi.* Laxantur autem, aut constringuntur arteriæ, & venæ, prout sanguis acerior, & floridior, vel contraria acidior, & consistentior evaserit. Modò sanguis, cum varias contrahit affectiones, atque diversorum succorum misturas, certè longius tempus exigit, ut percolatione, secretionaque in emissariis habitâ, in statum naturalem redigatur. Accedit, quod ex variâ, ac multigenâ sanguinis constitutione viscera Corporis diversimodè quoque afficiuntur, illorūmque

que fermenta vitiantur, quocircà ob differentem  
eòrumdem discrasiam, non tam facile potest ægri-  
tudo indè deducta removeri, sed in longum tem-  
pus necessariò protrahitur; sed & nequè periculo  
vacabit, si præsertim alia copulentur, quæ illius  
pravitatem, ac malitiam ostendant, quippè non si-  
nè vitæ discriminè sit sæpenumerò morbi lôgitudo:  
nequè hic Hippocrates longum morbum attestatus,  
securum illum, & salutarem est ausus affirmare.

Verùm hæc non ex quacumquè causâ profecta  
putandum, sed ex infixa, ac tenaciter hærente,  
secùs morbi longitudinem minimè portenderent, ve-  
luti si à vaporibus tâtummodò provenirent memo-  
ratæ colorum mutationes: hæ etenim in affectioni-  
bus hysterîcis, in morbillorum, ac variolarum erup-  
tionibus, in Renum, & Intestinorum doloribus, sæ-  
pissimè accidunt citrà diurnitatem.



### *APHORISMUS XLI.*

*Sudor multus ex somno factus absq[ue] causa manife-  
sta, Corpus uti pluri cibo significat; Si vero cibum  
non accipienti hoc accidat, scire oportet, quod eva-  
cuatione indiget.*

**P**er utili sanè documento admonet hoc Apho-  
rismo Hippocrates, quid ex multo sudore cō-  
jectandum, quidque agendum sit, traditâ cau-  
sâ immoderatae istiusmodi sudationis. Undè ad dia-  
gnosim ille pertinet, quâ curatio congruentè in-  
stitui possit. Verùm sunt hic plura distinctim ani-  
madvertenda,

*Par. II.*

*No*

*Su-*

Sudor primùm refertur multus, sēu copiosus: quandoquidem salutaris ut ille sit, non parcus, & imperfectus esse debet, sed qui universam causam morbisicam extrā Corpus educat. Jure ergo adnotatur multus, ut exinde ambigere non liceat ab ejus parcitate catharsim judicari necessariam, quæ compleat, quod à sudore fortassis perfici non potuit.

Dicitur inductus ex somno; nām ut superius inuebamus, sudor salutaris esse debet calidus, universalis, & in somno factus: si modò is calidus, universalis, & copiosus, in somno contingens, non proposit, illius malitia aliundè petenda erit, cùm iteratò profluat, & non allevet.

Sed & præterea absqùe causâ manifestâ adjicitur id est, quod prodeat non ex æstu ambientis aëris, aut hypocausti, nec ab assumpto medicamento sudorem elicente, nec aliquam aliam causam, quæ ipsum promovere valeat, sed solùm internam, reconditamque, consequatur.

Cum igitur hæc simili junguntur, sudor autem non semel accidat, sed sèpius repeat, Corpori intereà nihilum proficiente, suspicari primùm licet eum à ciborum, & potuum copiâ provenire, unde tanta ejusdem materia suggestur: solent quippe partes Corporis, præsertim extenuatae, aut etiam viribus exsolutæ, statim ab assumpto cibo, dilutiones ejus particulas in suis poris excipere, quibus deinde gravatae, cum nequeant omnes in sui nutricium transmutare, coguntur in adjacentes glandulas deponere, & modò per sudorem excernere, qui sanguine desinet assumpto cibo, & potu frugaliori, quantum scilicet sati sit viribus reficiendis, absqùe ullo partium gravamine. Si autem sudor multus ciborum,

rum, & potuum copiam non sequatur, planè desingabit ingentem aquei, & serosi humoris collectionem, quæ omnino evacuatione egebit. Verumtamen sudor si modicus foret languorem potius Naturæ, vel rariorem cutis texturam argueret, cùm fortassè diutiùs repeteret.

At quo genere evacuationis impurum ejusmodi Corpus repurgari debeat in Aphorismo Hippocrates non explicavit. Quare licet pressius intelligi possit, quæ per cathartica peragitur, quibus compactiores, crassiorésque succi, à fæcationibus reliqui, efficacius educuntur; nihilominus etiàm quæ per vias urinæ sieri solet, admitti poterit, si præsertim ad eas vergere videantur, qui excernendi sunt. Nàm quâ ratione crassi humores ad articulos deponendi, solent non raro per vias urinarias expurgari, poterunt & eâdem, qui per cutim omnino excerni nequeunt, in Renum ductus transmitti, & evacuari. Sæpè etiàm expertum est ex stypticiori alvo, laxatis urinæ meatibus, uberiùs illam profluxisse, crassam, turbidamque, ac multo sedimine saturam. Verùm tutius sempè erit catharticis uti, si non semel, & vehementioribus, saltēm blandioribus, & per intervalla, prout res ipsa, & vires tulerint. Ea autem ejus potissimum sint generis, ut simili incident, & attenuent, referantque conditionem hydroticam, aut phlegmagögam.

Nequè verò hic reticebo quod jàm pridem iterato usu cōperi, contumaces morbos, atquè reciditas morborū causas, in penitioribus Corporis partibus hærentes, tuto, salubritérque fugari, & quod admirabilius, absquè ullâ multoties evidenti evacuatione, bicipiti pulvere nostro, ex cerussa stibii Salæ, & nitro ex lotionibus ejusdem elicito, atquè ad plures dies ex-

hibito, dosi tamèn variâ pro Corporu, & æstatum di-  
versitate. Mirum enim quâm efficaciter omnes istius-  
modi ægritudines depellat, quæ cæteroqui aliis cu-  
jusvis generis medicamentis obſiſtunt. Verum in  
illius præparatione diligens, & sagax artifex expo-  
ſtulatur, ut res ex voto ſuccedat,



### APHORISMUS XLII.

*Sudor multus calidus, vel frigidus, ſemper fluens, frigi-  
dus magis, calidus minis, significat morbum.*

**S**udorem quoquè hic multum, ſeu copioſum, ſemperquè fluentem conſiderat, illūmque ait omnino morbum indicare, leviorem tamèn, ſi calidus, graviorē, ſi frigidus ille ſit. Equidem mo-  
dicus sudor utpotè levis momēti ab Hippocrate par-  
cipenditur, velutī levem quoquè causam deſignans;  
at verò abundans, & perpetuò profluens, non ſem-  
per ſciliçet, aut unico die, præſertim critico, ſed totâ morbi duratione cōtingēs multitudinem ſimil,  
& malitiā arguit, quæ ſaltēn diurniori tempo-  
re emendari poterit: Pravitatem autem ſignificabit  
majorem, vel minorem, prout frigidus, vel calidus  
ille fuerit; nam calidus tenues, mobilēſque humo-  
res deſignabit, qui facilius exſolvi, & expurgari  
poſſint; frigidus verò, crassos, & conſistentes, coctio-  
nis longè diſſicilioris. Quamobrèm non magis, &  
minis legendum existimant Fuchsius, & Heurnius, ut  
Leonicensus vertit, ſed majorem, ſeu longiorem mor-  
bum, & minorem ſeu breviorē.

Conſideratur præterea hic sudor ē toto Corpore

ma-

manans, non verò ex aliqua tantum parte. Ità enim melius nectitur Aphorismo præcedenti: nám de sudoribus particularibus anteā verba fecerat. Quamquam nil repugnat, ut etiā aptari possit sudoribus ab unā, vel alterā parte erumpentibus; equidem sicut se habet sudor universalis ad totū Cor-  
pus, ità sudor particularis ad speciales Corporis partes, ideoquè sudor multus, sive frigidus, sive calidus semp̄r fluens morbum omnino magnum indicabit, vel dignitate partis affecte, vel sympto-  
matum magnitudine, ac s̄evitiam, aut curandi diffi-  
culty. Hinc omnis sudor bonus, calidus est; ac verò non omnis sudor calidus, bonus est, nisi alia conjungantur, quæ sudoris bonitatem attestentur, ut præsertim, si in declinatione morbi fiat, præce-  
dentem coctionem subsequatur, feratque deinceps ægri levamen, ac morbi, causæ morbificæ, & sym-  
ptomatum abolitionem.



## APHORISMUS XLIII.

*Febres quacumque non intermitentes tertio die fortiores sunt, magis periculose. Quocumque autem modo intermisserint, periculum abesse significant.*

**O**rditur nūnc Hippocrates accidentia febriū, quidque boni, aut mali ex illarum accessionibus, ac progressibus præfigiri possit, pluribus Aphorismis edocet. Primum autem illarum continuatatem, atquè intermissionem memorat, atque intermitentes periculo vacare, continuas verò, & præsertim tertio quoque dic ingravescentes, pe-

*tertio  
in conc.  
præfigi.  
ubi: Fe-  
bris est.  
tinua  
per ter-  
tium  
angescen-  
tes pe-  
riculo-  
sa.*

riculosas magis, magisquè fieri, quo graviores, validiorésque fuerint.

Omnes itaque febres cōpleteur, cū dicat *quamcumque*: quo nimirū nullam excipit, modò non intermitat. Dicuntur autem non intermittere, cū ægrotum nunquam febre vacantem deserunt, licet magis, vel minus excrucient, prout magis, minusve ad augmentum accesserint, in quo omnia symptomata vehementiora fiunt. Has febrium species Græci consueverunt *synochas* appellare, idèst continentè affigentes, non quod suis quoquè temporibus particularibus careant, sed quia ægrum nunquam immunem relinquunt, quamvis pro varia materiæ morbificæ motione, modò incipient, modò augeantur, aut stent, modò denique in declinationem vergant, quam nondùm absolutam alia accessio febrilis excipiatur, cum iisdem omnino molestiis, ut prius; sed & non raro tertio quoque die vehementius adoriantur, & affigunt.

At quænam sint ejusmodi febres continuæ tertio quoque die vehementius affigentes, controvertitur apud Expositores. Fuchsius semitertianas interpretabatur, græcè *bemittereos*, de quibus Hippocrates I. epidem. constit. I. hæc habet: *Febres horridæ, continuæ, acutæ, omnino non intermitterentes; forma autem erat semitertiana, uno die leviores, altero vero gravius invadentes, & in summa acutiores evadentes.* Hinc duas statuunt exigi conditiones in febre semitertianâ, ut nimirū continua, & acuta sit, item quæ horrifica, & alternis diebus gravius affigens:   
2. de  
differ.  
febr. c. quas ut Galenus eidem aptaret, semitertianam febrem compositam ex tertiana intermitterente, & continuâ quotidianâ: hâc enim ratione inquit simili horrificam fieri, tertiiis quibuscque diebus

bus ingravescerentem, & continuam, atquè acutam.

At crediderim voluisse hic Hippocratem eas febres memorare, quæ græcè *Tritæophyes* appellantur, tertianarum naturam referentes. Harum quoquè meminit Galenus 2. *de differ. febr. cap. 2.* vocatq; tertianas extensas, quæ scilicet de uno in alterum <sup>v.2 in.</sup> <sup>6. epid.</sup> diem adeò protrahuntur, ut antequam prior accessio <sup>23.</sup> desinat, nova per triduum subingrediatur. Tritæophyes ergo istæ febres, præterquamquod suâ natu-  
râ molestissimæ, cùm continuæ sint, & de tertio in tertium novis sempè accessionibus recurrentes, so-  
lent etiàm gravissimis symptomatibus stipari, quæ procedentibus paroxysmis magis, magisquè increbre-  
scunt: quamobrèm prælanguidi redditi ægrotantes facillimè succumbunt; jure igitur in Aphorismo re-  
feruntur periculosiores.

Verùm quomodo cùquè intermittētes periculo va-  
care, quâ ratione adjectum sit, non omnino benè constat; cùm apud plerosquè gravissimos Auctores habeatur, ab intermittentibus febribus ægrotos pe-  
riisse, & non sine nota malignitatis; quamvis à Galeno proditum sit in comm. iſtius Aphor.: So-  
la illa, quæ in quietem febre vacantem desinunt, periculo carent, etiamſi vehementissimam, & valde longam habuerint accessionem. Non absquè ratione au-  
tem eas, quæ in quietem febre vacantem desinunt, ef-  
ſe absque periculo, inquit, ut quæ non ex inflamma-  
zione aliqua, nequè ex maligna humorum putredine  
occasionem habeant: neutra enim harum ad quietem  
pervenit febre vacantem. Attamen non desunt, qui vel omnino falsum, vel non perpetuò verum hunc Aphorismum afferant, præsertim quia citrā inflam-  
mationem, & absquè humorum malignâ putredine  
continuæ, & periculosæ febres observatæ sint, imo  
exi-

exitiales, & malignæ s̄epelæpiùs videantur cum intermissione, ut de Hermocrate scribit Hippocrates 3. *epidem. agr.* 2., qui licet pluriè à febre liber visus fuerit, nihilominùs vigesimaseptimâ die mortuus est.

At estò hæc à quibusdam opponantur, haud tamè rationabilitè evinci poterit, febres reverà intermittentes periculosaſ esse, ni priùs successu temporis in continuas permuntentur. Per id enim, quòd verè intermittunt, periculo vacant, undè ut periculum minentur, continuæ fieri debent. En quacumquè cujuslibet accessionis intermittencium februm declinatione febrile fermentum, velut san- guini extraneum, repurgatur, & expellitur, vel per sudorem, vel per dejectionem, aut vomitum, vel per urinam, vel saltè insensibilitè mediâ transpiratione: cùmque mors contingere nequeat absquè proximâ, & continuatâ sanguinis, & cordis lœsione, quâ utriusque motus interrumpatur, sit proinde, ut cum febris intermissione illa haberi nequeat.

Quæ verò febres referuntur intermittentes, & mortem attulisse, reverà intermittentes non fuerunt, vel continuæ mòx evaserunt. Et quidèm sunt, quæ remissionem, declinationemque subeunt, non tamè omnino desinunt, sive ad quietem febre vacan- tem pervenient, undè apparenter solum viden- tur intermittere, quemadmodùm Hermocrati acci- dit, qui visus est à febre immunis, sed reverà fe- bricitabat, idque ex eo potissimum, quia numquam symptomatibus fuit vacuus, ut bene etiàm obser- vat Mercurialis *hoc loco*, undè de non legitimâ, & verâ intermissione suspicari jure possumus; quin & s̄epelæpiùs absquè ulla evacuatione, vel manifestâ causâ, perfectè declinasse non licet credere.

Sunt

Sunt præterea quæ primùm intermittentes, deinde transeunt in continuas, ut cùm fermentum febrile anteà extraneum sanguini, deinceps intraneum evadit, aut ex malâ sanguinis habitudine, aut ex viscerum discrasia, undè perpetùm sanguis inficiatur, contrahátque simile vitium, quod aliundè suggerebatur. Sic aliquandò acidum ex Pancreate sanguini suggestum, ita illum succendentibus paroxysmis viciat, ut nedùm acorem imprimat difficultè seccunibilem, verùm etiam eumdem reddat concrescētem, undè febres simùl continuæ, & malignæ.

Sed dubitari potest, an Hippocrates hunc Aphorismum voluerit intelligendum de omnibus febribus intermittentibus, ut nimirùm illæ vi solùm intermissionis periculo vacent; an verò solas tertianas expresserit, cùm earum dumtaxat, quæ tertio die fortiores fiunt, in priori Aphorismi parte meminerit. Et quidèm probabile videtur excipere voluisse solùm tertianas febres quomodolibet intermittentes: etenim hâc ratione exceptio memorata in secunda parte Aphorismi responderet adamussim generali assertioni primæ. Verùm quia febres istiusmodi periculo vacare dicuntur, uti intermittentes, procùl dubio parum intererit, an tertianæ, quotidianæ, vel quartanæ sint, duminodò intermittent, & ægrum febre vacantem deserant. Febres siquidèm omnes à periodis desumptæ, possunt ab uno, eodemque humore diversimodè tamèn affecto exoriri, ut alias à nobis est ostensum. Quare eas periculo vacare putandum non à conditione peccantis humoris, qui idem in omnibus esse potest, sed ab intermissione; Quamvis tertianæ cæteris sempèr securiores hoc Aphorismo notentur, cùm intermiserint, tortè quia cæteris breviores, Cæterum dicuntur intermittentes.

tes febres periculo vacare, secluso quocumque alio morbo, cum quo illæ copulari possunt: quippe quartanæ febres, cæteroqui tutissimæ, ubi intermiscent, si cum obstructione, & scirrho Lienis conjugantur, lethales esse consueverunt, sicut pariter tertianæ cum Istero, ac Jecinoris tumore, & quotidianaæ cum Ventriculi languore, fluxuque cæliaco; Idipsum de cæteris dicendū. Porro quò tempus intermissionis longius fuerit, eò febris secundaria fiet: habet enim Natura, quò melius seipsā reficere valeat,




### *APHORISMUS XLIV.*

*Quos febres longæ exercent, iis tuberculæ, vel labores in articulis sunt.*

**F**actâ distinctione febrium quarumcumque in acutas, & chronicas, quemadmodum illæ solent sæpiissimè per sensibiles evacuationes terminari, potissimum verò per sudores, urinam, ac defunctionem, quoniàm excitantur ab humoribus auxilioribus, & facilè mobilibus; ità istæ potius per abscessus desinunt, quòd crassi, tenacésque humores difficiliùs extrà Corpus per consueta emissaria queant expurgari. Hinc Hippocrates eos, hoc Aphorismo, prædicet, qui longis, ac diuturnis febribus laborant, in tumorcs, & articulorum dolores incidere, quo tempore declinationem attigerint. Humores enim in his febribus, tūm ex crassitie, & ineptitudine ad motum, tūm ex imbecillitate Naturæ, quæ tantâ diuturnitate debilis evasit, nequeunt nisi in articulos decumbere, ut anteà quo-

quæ

què monstratum est; undè postmodum labores, & dolores accidunt. Tubercula verò licet in articulis pariter non raro oboriantur, nil tamèn prohibet, quin etiā in reliquis partibus, præsertim adenosis, erumpant, ubi facile ejusmodi humores adhaerescunt, & in tumores attolluntur. Hinc tubercula non ad articulos referenda putat Cardanus, & Fuchsius Aphorismum legendum esse arbitratur cum particulâ disjunctivâ *vel*, ita ut tubercula ad totum Corpus, labores vero, seu dolores ad articulos pertineant. Veram quā de causā longis febribus hæc accidunt docet Hippocrates Aphorismo sequenti.

*APHORISMUS XLV.*

*Quibus tubercula, vel in articulis labores, ex febribus accidunt, ii plenice utuntur cibo.*

**E**xpli cat hoc Aphorismo Hippocrates quibus tubercula, vel in articulis dolores ex febribus accidunt, eos nimirum, qui pleniorc utuntur cibo, à febribus evasi. Quare de convalescentibus post febres diuturnas, dictum exponunt cum Galeno Fuchsius, & Cardanus: nèc absque ratione; siquidem remanent ab his febientes multum languidi, & extenuati, proindequè partes diu alimento depauperatæ, mòx uberiorius pastæ, facile ob debilem concoquendi facultatem pravis, atquè indigestis succis opplentur, qui deinde ad glandulas Corporis, vel ad articulos depositi, abscessus, tubercula, & dolores articulorum excitant. Hac eadem ratione experimur à diuturnis ægritudinibus sanatos, plurimum famescentes, nèc tamèn benè ci-

bos conficientes, excrementorum pluralitate, obstrunctiones incurrere, aliisque hujus generis mala. Nequè verò poterunt aliundè hæc accidere; etenim qui ex febribus convalescunt, post evictam, expulsamque causam, vindicatos esse oportet; si ergo non ab humoribus, qui febrim excitabant, nèc à reliquiis eorumdem tubercula, & labores articulorum pendere possunt, quippe eos expulsos credere est, si febris desit; procul dubio à copia ciborum, & ab excrementorum indè emergentium superfluitate tubercula, & articulorum dolores exoriri putandum. At verò pro varia exrementorum, sive ad cutim, sive ad articulos, motione, depositioneque, modò articulare dolores, modò tubercula excitabuntur, ut etiam superius animadversum est.



### APHORISMUS XLVI.

*Si Rigor incidat, febre non intermittente, agrò jam debili, lethale est.*

**R**igor ut in febribus sit salutaris, sequentem opus est ut habeat intermissionem, sive quietem omnino febre vacantem. Si enī exinde febris non intermitat, nèc ægrum immunem deserat, certè mali morbi testimonium erit, & ingentis pravitatis indicium, ut latius à nobis Ap. XXIX. est ostendum. Si præterea ægrum debilem invadat, lethale signum omnino erit, ut hic ab Hippocrate indicatur.

Advertit autem, & rectè Galenus, aliud quid referre verbum inciderit, ac incidat: Inciderit enim anum significat Rigoris insultum; incidat verò, plures.


Un-

Unde Rigor hoc loco notatus, non erit qui semel contigerit, sed qui pluriē repetierit. Plurimum namquē affligitur æger & Rigore ob vehementem rotius Corporis concussionem, per quam vires infringuntur, & universa membra relaxantur, quæ tamen incommoda, nisi febris intermissione, restauratis scilicet viribus, compensentur, gravissima existimanda sunt. Quod si præterea aliqua evacuatione rigore subsequatur, quæ nullam faciat intermissionem, propter utrumque dissolvi hominem par est, tum quia imbecillis ferre non potest rigoris agitationem, tum quia ab evacuatione dissolvitur. Si vero solus accidat rigor, nulla evacuatione subsequente, utroque modo casus caret bonitate, nam tānquam causa mala vires hominis tentat; & malum signum erit, illius indicans imbecillitatem, que solita erat noxios humores in rigoribus evacuare, nūc vero hoc non potest efficere. Hactenū Galenus.

Insuper animadversione dignum est, quod verbū *incidat* non significat Rigoris repetitionem à principio habitam, sed vel in augmento, vel in statu contingentem, cum antea febris absque rigore invaserit; unde *incidat* perinde est à *superveniat*, sive casu, & sine ullâ causâ rationabili contingat. Porro ita sit, ut ab humore maligno, & irritante, non vero à Natura, quæ causam morbificam adoriatur. Rigor exciterit; unde merito Galenus illum virtuperat, & veluti causam malam, vim, facultatemque Corporis lalentem, & uti signum malum ejusdem indicans imbecillitatem, idque potissimum, quia febris non intermittit.

Quoniam vero Hippocrates inquit in ægro debili ejusmodi Rigorem lethale signum esse, videndum quam imbecillitatem intelligat, partis scilicet natu-

Valis, vitalis; an animalis. Et quamvis de omnibus exponi possit, cum unaquaque in ægrotantibus mala sit, & à singulis bene constantibus salutis spes affulget, juxta ac idem auctor scripsit 2. Aph. *Mente constare, & bene se habere ad ea, que offeruntur, bonum; contrà verò malum.* Ni nihilominus specialius vires vitales attenduntur, quibus Naturam pugnam cum morbo sustinet. Parum autem refert an debilitas absque causâ manifestâ contingat, an etiam aliquam evacuationem, aut extremam ne diam consequatur, modo talis sit, ut Naturam rendo impotentem efficerit. Cæterum de Rigore legi meretur idem Hippocrates lib. I. de morbis, & Cardanus in comm. istius Aphorismi.



### APHORISMUS XLVII.

*Excretiones, in febribus non intermittentibus, livide, cruentæ, fetidae, & biliosæ, omnes male. Sed si prosperè excernuntur, sive per alvi excretionem, sive per urinas, bona. Si verò aliquid eorum, quæ non confert excerni, per hec loca excernitur, malum.*

**S**TATIM IN IPSO limine commentarii incusat Galenus Hippocratem prolixitatis, afferens potuisse sententiam hanc dici compendiosius; Sed nesciūm is à Cardano defendit, verum inscitiz potius ipsemet Galenus insimulatur. Etenim Hippocrates excreta in febribus trifariam hic considerat, examinatâ primùm illorum naturâ, deinde excretionis modo, postremò successu. Excreta siquidem præter Naturæ morem semp̄ re ipsâ mala sūt: quæ

quæ facile educantur, bona; difficultè verò mala: & demùm si exindè levetur æger, atquè in melius proficiat, bonum; contrà, malum. Aphoristicam hanc propterea sententiam ità exponit Cardanus, ut excreciones in febribus non intermittentibus qualitercumquè pravæ fuerint, sèu colore, sèu odo-re, sèu substantiâ, sèu permistione, alitervè, ma-lum significant, itemquè si difficultè prodeant, & absquè levamine; secùs bonæ erunt. His adjici quo-què debet locus, per quem fiunt, quemadmodùm ex textu deducitur; nàm si per loca consueta, & conferentia habeantur, bonum; per aliena verò, & insueta, malum.

Quāvis insupèr Hippocrates retulerit excreciones speciales per alvum, & vias urinæ, qui debuisset generalioribus Aphorismum describere, ut objicit idem Galenus; implicitè tamèn continentur sub his quæcumquè evacuationes. Mos enim Hippocratis est, sub speciali cuiuspiam exemplo generalem proponere doctrinam. Sed & voluit is quoquè universas evacuationes cum particularibus cōparare, pendentes ex affectionibus similitè universalibus ad particulares relatis: quoniàm ut benè idem Cardanus *specialia signa in morbis universalibus, & universalia in morbis specialibus, non significant bonum, neque salutem.* Undè excreciones in febre non sunt bonum signum, scüt nec urina in morbo lateralí, sed sunt signa impertinentia. Hæc pro Hippocrate adversus Galeni calumnias ex Cardano. Nunc sensum Aphorismi aperiamus.

Memorat Hippocrates excreciones, sèu per os expurgationes, in febribus, veluti evacuationes particulares nihilum facientes in febrentibus, in quibus commendabiles solùm sunt universales. Illæ etc-

nim


nisi velutì non pertinentes, nèc facientes ad rem, causā inque morbosam, malæ censendæ sunt, & præfertim si fuerint lividæ, cruentæ, fætidæ, & biliostæ, quippè quæ incongruentes simùl, & ineptæ, quoniām lividæ, cruentæ, fætidæ, biliostæ. Näm lividæ, & fætidæ, corruptelam; cruentæ, & biliostæ, sanguinis vitium, & vasorum laxitatem, aut erosio nem arguunt. Hæc autem si continuè febricitantibus accidunt, pessimam in sanguine diathesim, & in visceribus pectoris, aut capitis gravem indicant affectionem.

Verumtamen quæ ex propria substantia, aut conditione excrationes malæ sunt, poterunt aliquando bonitatem participare, si prosperè, & facilitè prodeant. Nequè verò hæ solū, sed præterea quæ per alvum, & vias urinæ contingunt, bonæ erunt, si modum & raverint Naturæ convenientem, putè absquè dolore, güt anxietate, & sinè ullo virium dispendio. Etenim quamvis excrementsa alvi, & vesicæ pravam referant conditionem, si tamèn commode, & absquè molestia egerantur, salutaria sunt, expulsâ nimirūm causâ morbosâ. Contrà verò obrunt, si Naturam potius lacestant, & crucient, viresque labefaciant: quod autem benè prodeant, argumento erit cottio, & bona tolerantia, inquit in comm. Galenus; atquè cum his, & morbi species, & tempus anni, & regio, & etas, & natura agrotantis.

Concludit demum Hippocrates: Si verò aliquid eorum, quæ non confert excerni, per hæc loca excernatur, malum. Quibus admonet malam, & perniciosam esse evacuationem per has vias eorum, quæ excerni non debent, veluti chylus, sanguis, vel alijs ab illo, qui morbum faciens, debet evanuari;

näm

nām quemadmodūm expellenda si retineantur no-  
cent, itā retinenda si egerantur, non proficiunt: quod  
planē intelligendum nedūm de substātia rei excre-  
tæ, sed etiā de qualitate, & tempore excretio-  
nis. Unde sex universim semp̄r sunt in quacum-  
què evacuatione consideranda, substantia, & natu-  
ra rei, quæ excernitur, nūm sanguis, chylus, pus,  
caro, vermis, lapis: Qualitas rei excretæ, nūm  
calida, frigida, benē, vel male olens, mordax, sal-  
sa, acida, tenax, aut fluida, alba, vel nigra: Quan-  
titas, nūm moderata, vel immoderata, servatā  
præsertim proportione cū morbo, & causa morbosæ  
Tempus, nūm coctâ, vel crudâ materiâ, int̄r initia,  
aut in declinatione morbi. Locus, an per loca  
consentanea, & consueta Naturæ, an verò per dis-  
sentanea, ut si fæces per os, non per alyum. Modus  
demùm, nūm cum dolore, anxietate, vel sinè ullâ  
molestiâ, nulloque negotio. Hinc facile quispiam  
conjectabit nūm utilis, salubrisque sit, an pernicio-  
sa evacuatio, undecumquè illa prodierit, quemad-  
modūm hoc loco Hippocrates edocere visus est.

*APHORISMUS XLVIII.*

*In febribus non intermittentibus, si partes exte-  
riores sint frigidæ, interiores verò urantur,  
& sicuti habeant, lethale est.*

**I**N hoc Aphorismo interitus præsagitur his, qui  
febre non intermittente laborat̄es frigent exte-  
riùs, interiùs verò r̄estuant & sitiunt. Et quainvis  
ferè omnes Interpretes id accidere fateantur febri-  
*Par. II.*

Pp

bus

bus ardentibus malignis, velutì lipyriis, quarum  
proprium est ingenti siti ægrotantes cruciare, &  
æstu immodico exurere, non tamè cæteris quoquè  
febribus idipsum quoquè evenire posse negandum,  
si internam inflammationem consequantur. Verùm  
necessè est febres hasce continentè affigere, cùm  
ejusmodi accidentia nequeant cum intermittentibus  
conjungi, ut prudentè ab Hippocrate est animad-  
versum, fuitque pariter notatum à Galeno *comm.*  
*43. bujus*, qui intermittentes febres nèc ab inter-  
na inflammatione, nèc à maligna humorum putre-  
dine oriri posse docuit.

Ut autèm hæc interitum portendant, non satis  
est ægrotantem interius urì, atquè ingenti siti cru-  
ciari, sed etiàm necessè est exteriora frigere: quip-  
pè viscerum internorum æstus ab inflammatione  
procedens sanguini circumeunti impedimento est,  
imò signum est manifestissimum remorantis sanguini-  
nis, qui nonnisi ab acido figente restagnat, adeo-  
què non solùm frigus extimis partibus incutit, ve-  
rùm etiàm gangrènam internam inducit, uti sectio-  
nibus Cadaverum pluriès innotuit.

Sed & Erysipelas non raro interiores partes oc-  
cupat, undè æstus, & sitis ingens. Quemadmodùm  
enim partes cutaneæ erysipelate sæpè spissè affici  
solent, & quandoquè etiàm erratico; ità internæ,  
præsertim Pulmo, Diaphragma, Jecur, aliæque pa-  
ri modo erysipelate infestantur, ut propterea mul-  
tos in praxi ejusmodi molestiis vexatos, cum  
inquietudine, anxietate, linguæ scabritie, hoc mali  
genere ægrotantes suspicari liceat; undè postmodùm  
fit, cur non sempè suppurationes consequantur,  
cùm deinceps isti convalescunt, resolutâ nimis rùm  
insensibilitè materiâ, quemadmodùm externo ery-  
sipe-

sipelati contingit. Porro erysipelata interius proge-  
nita nedum admittit Galenus *in comm.*, & alibi,  
sed etiam Aetius, qui præterea *lib. 5. cap. 89.* ex  
diversis partibus erysipelate affectis, varias quoque  
febrium ardentium species distinguit; unde *lipyriam*  
appellat, quæ fit ex erysipelate in Ventriculo, *Ty-  
phodem*, quæ in Jecore, & *Crymodem*, quæ in <sup>V. etiæ</sup> *Pulmone*. Hippocrates etiam *5. Aph. 43.* meminit <sup>Gal. 7.</sup> *Aphor.*  
*erysipelatis in Utero*, itemque *erysipelatis in Pul-* <sup>42.</sup>  
*mone 2. de morbis*, unde ab exterioribus ad inte-  
riora idem verti, malum scripsit *6. Aph. 25.*, ab <sup>Idem</sup> *p. de*  
*interioribus autem ad exteriora bonum.* <sup>morbis.</sup>

Adjecit in textu Hippocrates sitim, veluti sym-  
ptoma omnino cum febre ardente conjunctum, si-  
quidem duo referuntur signa illius pathognomoni-  
ca, calor exurens, & ingens sitis. Verum credide-  
rim funestum etiam futurum eventum ex solo inter-  
norum viscerum æstu, atque extimarum partium re-  
frigeratione. Sitis autem sive adsit, sive desit, nil  
quidpiam pernicici detrahet, aut addet: equidem  
si adsit, ardorem viscerum confirmat; si vero desit  
corumdem stuporem, & gangrenam arguit. Atqui  
sitim fortasse adjunxit Hippocrates veluti signum,  
quo internarum partium æstus patentius possit in-  
ternosci, non tam ex sensu ipso, quo sæpe istius-  
modi febientes carent, quam ex linguae scabritie,  
& ariditate, quæ in his numquam abest.



## APHORISMUS XLIX.

*In febre non intermitte si labrum, palpebra, vel supercilium, vel oculus, vel nasus pervertatur, vel non videat, vel non audiat, jam debili exstante. Corpore; quidquid horum evenerit, mors proxima est.*

**T**radit, & hoc alio Aphorismo Hippocrates imminentis exstitionis signa in febricitatibus, de sumpta ex laeso sensu, & motu animali, atque adeò ex hebetatis organis in id concurrentibus, hisque potissimum quæ Cerebro sunt proximiora, ac visui, & auditui sunt destinata, atque ex contractis partibus ad labia, & palpebras spectantibus.

Et quidem hæc febre non intermitte laboratibus si acciderint, instantis interitus indicia esse testantur, nám si fortassis intèr initia paroxysmorum intermittentium febrium eveniant, quo tempore per rigorem, horroremque universum Corpus concutitur, nil damni timendum foret; febre enim intermitte, illa statim desinerent; nequè vero tam facile est ejusmodi symptomata intermittentè febribus per rigorem, aut horrorem evenire, & diutius perseverare.

Animales autem operationes hic speciatim lœtas memorat, & tūm quæ ad motum, tūm quæ ad sensum pertinent, contorsionem nimirum, seu contractionem labii, palpebræ, supercilii, oculi, vel nisi, atque hebetudinem visus, & auditus. Contingunt enim ejusmodi contractions virtus Cerebri,

&amp;

& nervorum, indequè derivantis liquoris, qui fi-  
bras nerveas irroraturus, acritudine potius, at-  
què infensâ conditione vellicat, & compungit, un-  
dè convulsionem manifestam patit in partibus pro-  
ximioribus, & Cerebro attignis. Solent etiàm non  
raro nervi, & Cerebri meninges phlogosi, aut  
erysipelate corripi, ut propterea potius proximio-  
res, quam remotiores partes contorqueantur. Id-  
ipsum quoquè arguit læsa videndi, atquè audiendi  
facultas, cum perceptiones, sensionésque quæcum-  
què, ut fiant, ad Cerebrum per nervos referri de-  
beant.

Verumtamen ægro jàm debili hæc accidere opor-  
tere animadvertisit, quandoquidem perfractis viribus  
vitalibus, læsiones istæ partis animalis omnino erunt  
inemendabiles, nequeunte scilicet Naturâ per san-  
guinem operationum Animalium vitia corrigere,  
atquè in pristinum vigorem restituere. Symptoma-  
ta autem virium languorem comitantia, aut con-  
sequenta, sempè cæteris pejora sunt, & mortem  
mox futuram portendunt, succumbente nimis  
violentiae morbi Naturâ.

Ne quis autem putaret symptomata isthæc parte  
animalem læsam indicantia junctim esse intelligen-  
da, advertit postremò Hippocrates, unumquodquæ  
illorum satis esse ad exitum lethalem prænuncian-  
dum, cum ad virium vitalium languorem, quæ-  
cumquæ animalis operatio læsa si consequatur, na-  
turam omnino labefactatam, ac summe fatigantem  
designet. Itaque debilem ægrotantem in operibus  
vitæ, præsertim pulsu, nullo negotio è medio tol-  
lunt, & è viventibus eripiunt quæcumquæ alia partis  
animalis læsiones etiàm in externis sensibus, si  
ab internis proficiuntur. Cæterum de tempore  
pe-

nequidem verbum fecit Hippocrates, quoniām quādumquē prodierint, semp̄ mala sunt, quāvis plerumquē in augmento, aut̄ statu febrium universali comparere soleant, & lethum afferant.



### APHORISMUS L.

*Ubi in febre non intermitte difficile spirandi, & delirium acciderit, letale.*

**P**R̄cedenti Aphorismo læsas in febricitantibus partis animalis operationes tūm ad motum, tūm ad sensum pertinentes adnotavit Hippocrates, nūnc eas considerat, quæ organis spiritualibus debentur, nemp̄ respirandi difficultatem cum delirio conjunctam, hancque exitiosam quoquè pronunciat, si febrem non intermittentem consequatur.

Difficultas aut̄ respirandi hīc ab Hippocrate memorata, non quæcumquē, & levis solūm, per intervalla recurrens, sed gravis, & continens intellegitur: quipp̄ illa ferē semp̄ febres acutas comitatur, etiām intermitentes, saltēm int̄ initia, aut̄ cūm increverint, sed citrā periculum, quoniām his remittentibus desinit. At verò, quæ hic consideranda proponitur in febre non intermitte, perseverans esse debet, quæque nedūm statis horis invadat, sed quousquē febris duraverit, ægrotum continentēr afficiat. Porrò hæc accidit febricitantibus non ex sola febris conditione, quæ plerumquē respirationis usum depravat, ob novi semp̄, recentisque Aëris indigentiam, sed potissimum ob maximam in Pulmonibus sanguinis exagitationem, fer-

men-


mentationem, & phlogosim, quæ non raro etiam erysipelatodem inflammationem arguit, Pulmonibus iplis, & Cordi summoperè infensam, à qua paucissimi sunt, qui mortem effugiant.

Respirandi difficultati adjicit Hippocrates delirium, ut propterea hæc duo juncta voluerit. Ex ambabus enim, vitali scilicet, & animali potentia lœsis, mortem præmonstrari animadvertisit. Et quidem, cùm utrūquè in febribus non intermittentibus jungitur, internam indicat inflammationem, potissimum pulmonis; undè respirandi difficultas velut consequens inflammationem, esset quodāmodò causa delirii. Sed & inflammatio diaphragmatis id ipsum afferre potest, cùm illud arteriosum, & nervosum viscus sit, ac principale respirationis Instrumentum, quamobrem ipso inflammato & respirandi, & ratiocinandi vis, atquè facultas, sèpissimè lèditur; quini mò Antiquis sempè putatum, delirium quodcumquè sympatheticum, & interruptum ab una, & sola diaphragmatis inflammatione proficiunt: quod tamèn non omnino verum, ut latè ostendimus in nostra praxi *capite de phrenitide*.

Verùm cùm plures difficultas respirationis differentias retulerit Hippocrates 6. *epidem*, sec. 2. sub illicis verbis: *spiritus pravi, crebri, magni, rari, hic quidem tardus, ille verò velox*. Jure dubitari potest, quam hic specialius notatam ille voluerit. Et acutè quidem Fuchsius, si hæc, inquit, duo symptomata, difficultas spirandi, & delitium conjungantur, necesse erit Hippocratem interpretari de magna & rara spiratione, quod scilicet illa proprium est delirii symptomata, quemadmodum in prognosticis disertè iis verbis testatur: *magnus spiritus, & ex longis intervallis, delirium declarat*. Et mòx <sup>1. pregn</sup> *ra-* <sup>27.</sup> *tio.*

tionem assignans subdit: quippe ambo haec; magnitudo scilicet, & raritas spirationis, veluti oblitus actionis pathemata sunt. Si vero sensim de difficultate spirandi loquamur, delirio amoto, tunc haec ipsa, propter mala, quae instrumentis spirationi inservientibus accidunt, & quae a Galeno in comm. recensentur, evenire solet, velox, & cerebra crit. At vero concludit, haec duo symptomata in hoc Aphorismo conjungit Hippocrates, si quis esse lethalia, quod nimicum, & Cerebrum, & Instrumenta spirationis lesa esse significant.

Sequitur autem Pulmonis, aut Diaphragmatis inflammationem Cerebri commotio, & delirium, non tam propter nervos mutuò communicantes, quam ob arterias, & medio sanguine, qui suâ per inflammationem contractâ acritudine, Cerebrum vellicat, atque ad depravatè operandum lassifit, ac disponit, ut aliâs a Nobis demonstratum est. Carterum haec nonnisi febres continuas comitantur, proinde scriptum; ubi in febre non intermitte: haec enim delirium propriè intèr sua symptomata non admittit.



### APHORISMUS LI.

*In febribus abscessus, qui ad primas iudicationes non solvunt, longitudinem morbi significant.*

**Q**UAMVIS Hippocrates simplicitè dicat in Febribus, tacite tamè subintelligendum productis, ac protractis. Etenim, ut superius animadversum, istæ sacerdapius per abscessus


sus judicantur. Cùm autem superveniens abscessus illas non terminat, diuturniores futuras significat, nondum scilicet universâ febrium materiâ ad habitum Corporis depositâ, sed crassiori, compactiori que adhuc interius hærente, quæ febrim in longius protrahit.

Quoniām verò abscessus morbi longitudinem significare dicuntur, qui ad primas judicationes nō solvunt; jure propterea dubitari solet, quid pro illic intelligere voluerit Hippocrates. Sed benè Fuchsius ex græco codice interpretatur, qui in primis diebus judicatoriis contingunt; at non primâ aut secundâ septimanâ, cùm febres istæ longæ sint, nèc tām citò possint primis hebdomadibus judicari, sed posterioribus; undē non referenda prioritas hæc ad dies ipsos criticos, sed ad abscessus eruptionem, itaūt sensus fiat futuras febres longas, cùm non desinunt statim ac abscessus apparuerit, argumento quod adhuc causa persistat, nèc sufficienter per abscessum sit evicta, nèc perfectè à sanguine deposita. Qui verò cum Brasavolo Philotheum sequuto, pro non solvunt ad febrim relato, passivè vertunt non solvuntur, idēst abscessus, plurimū aberrant à veritate, & ab Hippocratis mente; cùm impossibile videatur, abscessus, statim ac apparuerint, solvi, & evanescere, quippè qui fiunt ab humoribus crassis, & consistentibus, nonnisi diutissimo tempore solubilibus, ut benè etiā Fuchsius advertit. Quamquām & abscessus ipſi si diutiū persistant, nèc tām facile solvantur, aut maturentur, aliam diuturni morbi speciem inferant, in adaucta magnitudine dicāt.

*Iis, qui in febribus, vel in aliis morbis sponte illacrymant, nihil horibile accidit; qui vero non sponte, horribilius.*

**S**ignum hoc à lacrymarum apparitione desumptum pertinet etiā ad Cerebri, & partis animalis lesionem. Non voluntariæ autē illæ esse debent, quæ scilicet ægrotantibus invitis, & citrā quamcumquæ causam manifestam accidunt, & absquæ ullâ oculorum, & palpebrarum ægritudine. De his quoquæ meminit pluriès idèm Hippocrates, præsertim verò 1. prognost. 13. > 4., & 6. epidem. s. 1., & 1. epidem. const. 3. Unde Celsus lib. 2. cap. 4. int̄ mala signa retulit *sine voluntate lacrymare*: quippè profluant lacrymæ istæ ob languorem, laxitatēmque caruncularum ocularium, itemquæ Cerebri, & meatuum in oculos patentium, unde serofitantes extillant, quæ plerumquæ etiā in his acritatem sapiunt, à cōsimili lympha procedentes: Quod si voluntariæ profliant lacrymæ, vel patentem aliquam causam, aut oculorum ægritudinem consequantur, nūl malis præfagiunt, nisi quod ab ipsis oculis male affectis indicatur, quemadmodū ex lippitudine, inflammatione, dolore, quibus nil horibile accedit illachrymari. Sic pariter si ob mæorem, commiserationem, gaudium, itemquæ fumum, pulverem, solare lumen, acris alicujus corporis conrectationem, aliudque simile lacrymæ defluant. Ceterum in eo, quod culpatur Hippocrates, aut primus librarius, à Galeno, quod scripseric in Aphorismis.

rismo *horribilis* comparativè, cùm anteà nihil horribile dixerit per negationem, scitè defenditur à Cardano in *comm.*, qui præterea non solùm *malum* sed etiàm *mortem* ex non voluntariis lacrymis præfigiri animadvertisit, ut accidisse refert suæ uxori Luciæ Bandaretæ, cui ob diarrhoeam pereundi fluxere ubertim lachrymæ per tres horas antè obitū. Verùm tûm crediderim eas minari lethum, cùm cæteris, & quidèm gravioribus symptomatis associantur, ut accedit Dealcis uxori *agræ XV. 3. epidem.* Porro ipsæ solæ non omnino sunt exitiales, ut pluriès expertum.



## APHORISMUS LIII.

*Quibus circà dentes in febribus quidam lentores nascuntur, iis fortes fiunt febres.*

**A** Lentore circà dentes adnato in febrientibus præfigit hoc Aphorismo Hippocrates febres futuras vehementes. Sunt autèm lentores tenaces quidam, glutinosique succi. faucibus sapenumero adhærescentes, & non rarò etiàm linguæ, ac dentibus, cùm uberiùs cumulantur, undè in oris hiatu per diducta labia in liquati glutinis modum extenduntur. Nedùm verò ex viscosis, crassisque humoribus Ventriculi, & œsophagi tunicas, glandulasque occupantibus, gignuntur, verùm etiàm ex lympha crassiori è ductibus Stenonianis derivante per palatum in gingivas, & dentes, quæ deinde partim inspirati, expiratique Aëris miscelâ, partim ex halitibus è Ventriculo, & Pulmone elevatis acommodantibus, partim denique ab æstu febris præseferentibus, partim


Qq 2

adeò

adeò densatur; ut glutinis tenacitatem referat.

Ab his igitur portenduntur febres acerbiores, tum quia acris lympha, aliisve succus similis febrile fermentatione potentius promovet, & diutius conservat, copiam simul, & crassitie; tum quia viscosi ejusmodi humores oris hiatum liberiorem impedites, & gros in respiratione anxious faciunt, præpeditis non leviter Aëris ductibus; undè etiam sitis, & astus major. Sed & sanguis ejus generis lymphâ irretitus, mirum quam subigi, & commoveri debeat, ut ipsum per febrim extricet.

Opitulabimur verò ejusmodi malis, nitro aquâ dissoluto, vino albo veteri, ejusque spiritu, os superius abluendo; itemquæ elixire proprietatis Helmontii, spiritu salis ammoniaci dulci reddito, balsamo salis, aliisque, etiam assumptis, ex liquoribus in idem conferentibus.



#### APHORISMUS LIV.

*Quibus plurimum siccæ tusses leviter irritantes in febris ardenter fiunt, non multum sibi infestantur.*

**M**Emorat hic Hippocrates quam pro sint siccae tusses leviter guttur irritantes, febribus, cum eos à molesta siti eximant. Febres namquæ ardentes duobus sempè, tamquam pathognomonicis signis, sociari solent, urente nimis ardore, & siti molestissimâ: modò hæc abesse solet, vel non plurimum urgere, cum siccae tusses leviter fauces, & guttur proritant, scilicet irratis partibus, tum Pulmonem, tum Ventriculum spe-

ctan-

stantibus, undè sitis originem sumit, ut aliàs ostendimus.


Siccas tusses intelligit eas, ex quibus nil, vel tenuc admodum, & serosum expuitur, ad differentiam tussis humidæ, per quam crassum, multumque sputum educitur. Eas autem fieri credendum à serosâ, & aquâ materiâ, ad partes faucium, & gutturis pertingente, quam Recentiores Anatomici lympham ex primo ejus Inventore Th. Bartholino appellarunt. E Cerebro, & glandulâ pituitariâ putarunt Veteres in os extillare; at sagaci industria Thomæ Vvarthoni, & Nicolai Stenonii, detectum est per peculiares ductus à postica capitis parte, & ex glandulis circâ aures sitis, in radicem lingue, & in musculos buccinatores depluere, quamobrem madidum os in statu sano perpetuò experimur. Ab his igitur madescit guttur, & sitis, infringitur, cum in febribus fortasse liquatur, diluiturque plus æquo lymphicus ejusmodi humor, ut etiam exinde tussicula excitetur.

At quâ de causa per tussim hanc sitis præcipue remittatur in febricitantibus? Anteâ meminimus ex doctrina ejusdem Hippocratis, & Platonis, sitim vigere in gutture, & Pulmone, ut propterea illa facilius, promptiusque sedetur collutionibus, & gargarismis, quibus partes istae irrorentur, & madescant, defluentibus nonnihil per latera asperæ arteriæ sensim, ac pedetentim in Pulmones. Cum itaque vi fœbris lymphicus hic humor tenuatur, & confluens in laryngem, titillando, tussim promovet absquè screatu, non multum contingit siti febrieres infestari, qui cæteroquin Causone affecti vehementer sitirent. Debent autem ejusmodi tussicula leviter irritare; sic enim arguant tenuem, serosumque

que humorem in eas partes illabi; nām si fortasse copiosior, vel crassior humor tusses pareret molestiores, tale emolumenntum haudquaquam afferrent, immō pectus, & Pulmonem molestè admodūm concutiendo, febrim potius exasperarent, & sitim adauerent. At verò levis irritatio, nequè molestam tussim infert, nequè partes spiritales concutit, sed blando solūm madore illas lenit, & irrigat.

Quià verò tusses dixit Hippocrates leviter irritantes, sanè non semel, sed iteratò repentes, ac perseverantes intellexit: hāc enim ratione poterunt illæ sitim lenire, si nimirūm səpiùs fauces, & guttur humefaciant; quamobrèm non immeritò adjectum est adverbium plurimūm, quo significetur multoties per tussim eas partes irrigari oportere.

Tandem dicitur non multūm siti febrientes infestari, non quòd omnino siti careant, sed quòd mihius afficiantur, adeoque illa, quæ per febrim ardentem molesta nimis esset, & inextinguibilis sitis, per ejuscemodi gutturis, & Asperæ arteriæ irrorationem plurimūm remittatur, sedeturque, ut proinde magnâ ex parte tolerabilis evadat.



### *APHORISMUS LV.*

*Ex inguinum tumoribus febres omnes mala,  
præter diarias.*

**L**oca tumorum, nempè inguina, quæ Leoninus adjecit in sua versione, alii Expositores detraxerunt, feceruntque sententiam universaliorē, comprehendentem quemcumque Tumorem glandularū: etenim, ut advertit præ ceteris Fuchsius

BII-

Bubones græcè Hippocrati in Aphorismo notati significant tumores omnes adenum, sèu glandularum, ex Galeno 2. *ad Glauconem cap. i.* Undè malè Leoninus hanc vocem ad inguinum tantùm adenas tumefactas contraxit, cùm omnium adenum tumores significet. Occasionem autem, ( subdit idem Fuchsius ) errori huic dedit vox ambigua *Bubon*, quæ, ut testis est Phavorinus, & locum Corporis, & malum denotat, inguina nimirūm, & tumorem adenum.

Itaque non solum ex inguinum tumoribus, sed ex aliis quibuscumquæ tumefactis glandulis febres obortæ malæ censendæ sunt, exceptis diariis: etenim diariæ febres cùm suâ naturâ brevissimæ sint, vixque spatum unius diei transcendent, certè non poterunt aliundè pendere, quam à materia facile diffabili, vel ad summum à confluxu, & suppuratione humorum in adenibus collectorum, citrè sanguinis, aliorumque liquorum, vel viscerum infectionem, quare levis omnino momenti erunt. At vero cùm terminum Diariarum transegerint, & in longius producuntur, ab alia planè materia, præterquā ab halitibus originem trahent, adeoquæ vel grave vitium glandularum, vel internarum partium infectionem arguunt difficulter resolubilem, præstîm quia glandulæ in humano Corpore talem, ac tantam intersece inеunt societatem, ut etiam via protinus communicent. Observatum namquæ est plurius in cadaverum dissectionibus ad colli, mammarum, aliarumque externarum partium glandulas tumefactas, præcessisse malè affectas eas, quæ interius reconduntur in Mesenterio, Pancreate, & lumbris, ceterisque visceribus, ut alibi etiam notatum.

Quamvis autem videatur loqui Hippocrates de bu-

*v. Hipp.  
6. epid.*

bubonibus sponte subortis, si tamè ex venerea  
lue proveniant, judicium longè diversum faciendum  
erit: ex ea enim, cùm præter materiæ depositio-  
nem, vitium in sanguine, cæterisque liquoribus, imò  
& in partibus solidis præsignetur, etiàm absq[ue] fe-  
bre, periculo illi non vacant, nàm, & dolores ar-  
ticulorum, exosteses, ulcera, tabes, aliáque gra-  
vissima symptomata, consequi solent, ut passim  
experimur.

Solent quoquè bubones malignam, pestilentem-  
que febrim ostendere, quæ absq[ue] dubio pessima  
est, & lethalis. Quin & non raro ab illis mòx ap-  
parentibus, febre necdùm conspicuâ, ægrotantes  
velutì repente perierunt, ut malo fato experti fu-  
mus anno 1656., cùm gravi pestilentia Regnum hoc  
Neapolitanum devastaretur. Sed hæc meminisse non  
juvat.

Salubriter autem ejusmodi malis occurtere expe-  
diat ope dissolventium medicamentorum, sanguinem,  
& viscera à labe veneni repurgantium, ut sunt om-  
nia Bezoardica, & Alexipharmacæ, spiritus theria-  
calis, spiritus caphuræ, & salis ammoniaci dulcis  
redditus, extractum ligni Aloës, tinctura Alexiphar-  
maca, elixir vitæ Quercetani, & proprietatis Hel-  
montii, Bezoardicum mineralis, & Joviale, Mer-  
curius diaphoreticus, idque genus alia. Glandulis  
verò tumefactis primùm extraheantia, ut emplastrum  
fodicationum Paracelsi, tum suppurantia, deinde cau-  
stica, & exedentia, tandem digerentia, detergen-  
tia, & repurgantia, erunt admovenda, ut nimisrum  
per eas diutulè reseratas Corpus universum, fortasse  
labe infectum, inaniatur.

APHOR.

Febricitanti sudor superveniens febre non deficien-

*te, malum. Prorogatur enim morbus, & multam significat humiditatem.*

Hic A-  
phoris.  
scribi-  
teret lib.  
de  
judica-  
tionib.

**S**udor, ut febricitantibus prospicit, debet febrim vel adimere, vel remittere; cum autem neutrum affert, profecto malus erit: & quidem si cum aliis signis pravam febris naturam denotatis copuletur, etiam mortis periculum minabitur; at vero si his destituatur, morbum fore longum tantummodo premonstrabit, quippe qui ab humorum copia profiscatur, ut hic memorat Hippocrates.

Advertit autem Fuchsius sudorem crebro, & assidue repetentem esse oportere, ut multam materiam, productumque morbum pronunciet. Et quidem si semel accideret, non miru si febris non esset desituta; considerabilis autem sit, cum repetit, & febrim non interrupit. Eo enim ex universo Corpore fluente, fieri nequit, quin vires languent, & a perseverante febre magis, magisque debilitentur. Sed & idem omnino accidere poterit, si sudor semel contingens copiosus fuerit, atque universalis, nec tamquam febrim praecidat: æquè enim vires infringuntur iterato sudore, ac uno, & copioso. Malus quoquæ istiusmodi sudor erit, quia et si calidus, ac universalis, consentaneusque febribus, morbum tamquam non solvit: decretoria enim non decernentia mala, aut difficultas judicij.

Cum ergo febrim sudor superveniens non interrumpit, profecto morbum longum ostendit, quippe

Par. II,

Rg

qui

qui is sit, qui per sudorem veluti per evacuacionem convenientem, nec desinat, nec intermitat, Idque nonnisi à copia, & multitudine serosæ substantiæ, quæ planè longius tempus exigit, ut secernatur, ac repurgetur. Præstabit ergo ad ægritudinem hanc breviandam paulatim imminuere tam serosæ materiæ superfluitatem, & quidem non solum dejectoriis, præsertim hydragogis, verum etiam diureticis convenientioribus, quæ sane hâc in re plurimum prodesse poterunt.



### APHORISMUS LVII.

*Qui à convulsione, aut distensione nervorum tenetur,  
febre superveniente, liberatur.*

**F**ebrium non adeò malam esse, ut plerisque persuasum, sed plerumque iugamento esse, atque plurimis ægritudinibus suffragari, jam alibi ex pluribus ejusdem Hippocratis testimoniis demonstravimus; sed tamè vel ex hoc præcipue Aphorismo palam fieri potest, quo Auctor confiteretur Spasmum, ac Tetanum eâ superveniente sanari. Sunt enim istæ ægritudines nervorum, & musculorum, inductæ ab humoribus fibras eorumdem rigidæ, contractæ, obduratasque reddentibus, ut propterea motui, & flexioni incommodent; undè describuntur à Medicis contractiones nervorum, ac musculorum, ad propria capita: quam autem febris his attenuans, dissolvendisque opportuna sit, cuique notum. Neque vero solum in ejusmodi capitum affectiibus, sed in cæteris quibuscumque, in quibus di-

ge-

gerere, diluere; scernerē, ac repurgare opus sit. Hinc quemadmodū convulsiones, distentionēsque nervorum, ac similes aliæ exigitudines febre superveniente desinunt, quippè quæ dissolvendo, repurgandoque vitiosos humores, remedio est; ita ex adverso si illæ febri accident omnino exitiosæ sunt, ut idem Hippocrates meminit in *Coac. pranot.* inquiens *cum febre acuta convulsiones pernicioſæ*. Sed <sup>Aphor.</sup> <sub>26.</sub> de hac re aliās.

Inutiliter autem videntur allaborare, qui nimis anxiè exponere student, quid per convulsionem, quidque per distentionem nervorum, sic hic intelligendum, cùm ex græco codice habeatur memoratus in Aphorismo *Spasmus*, & *Tetanus*, qui non nisi nominibus differunt, altero generaliori, specialiiori altero; cæterū tūm parte affectā, tūm causis convenient, iisdēmque ferè remediorum generibus tractari solent.

Quamquam autem à convulsione, & distentione nervorum habito febris superveniens salutaris sit, illa tamè nequè lenta nimis esse debet, nequè multo post tempore à convulsione, distentionēque compertum enim non semel mihi est, febres modū quemdam non servantes convulsis ejuscemodi nullā ratione profuisse, sed potius mortem prænuntiassisse, velutī quæ ab interiori sanguinis, & liquoris nervorū labē illatā, exsolutam vitæ cōpagem, arguat: & lenta admodū tenaces succos nervos infarciētes nequeat digerere. Debent itaqè febres convulsis supervenientes nequè mites omnino esse, nequè admodū vehementes, & molestæ, sed diarium naturam quodāmodò sapere, ut nimirūm convenienti calore, ac moderatā humorum cōmōtione hærentes in fibris nervorum succos dissolvant, & per

**E**nconvenientiora Corporis emissariâ deponant; unde idem Hippocrates in Coac. prænot. inquit convulsio nem solvit febris superveniens acuta, quæ prius non fuit, si vero fuit prius, jam exacerbata; sed & paulo postquam convulsio acciderit, febrem expedite supervenire, impactos siquidem humores, hebetatas partes, contractas, obduratasque nervorum, ac muscularum fibras, non tam facile febris concoquere, atque ad pristinum statum revocare poterit, præsertim quià hujus generis humores acidi, austrique esse solent, & cum diuturnitate temporis concreverint, inemendabiles sunt, quamobrem Hippocrates coac. prænot. s. 3. v. 55. ait syderationes repente exolutorio modo fientes, temporis progressu febre accende, perniciose sunt. Hac eadem ratione contingit membra jampridem paralyti resoluta difficilime sanari, et si magna & efficacia medicamenta adhibeatur, quæ proxime ad febrem inferendam accedant: Procedente enim tempore adeo illa ab humoris impacti vitio hebetur, ut tandem veluti emortua videantur.

Sed num liceat febrem, cum fortis fortuna non supervenit, medicamentis ad id facientibus, excitare, quæri hic non absurde potest. Et quidem videtur Hippocrates suadere 2. epidem. s. 5., ubi si Puerperis, inquit, convulsio fiat, febrem excitato. Verum neque tam facile est id agere, neque tutum, & nec ex voto sortitum pro libitu deinde arcere; semel enim inducta febris diutiùs planè habebit, aut etiam exasperabitur, ex mala humorum, ac viscerum habitudine: licebit autem solummodo iis remediorum generibus uti, quibus passim experimur tenaces humores attenuari, habentes dissolvi, atque per sudorem, vel urinam, sensim, paulatimque degredi.

duci. Idque fortassè , crediderim voluisse Hippocratem sub nomine febris significare , cùm ejusmodi medicamenta , sudorem potissimum prolientia , potentiam præstent , quod à febre naturâ fieri consuevit . Sed de his etiàm aliàs .



### *APHORISMUS LVIII.*

*Febre ardente laboranti, rigore superveniente, solutio fit.*

**R**igor febricitantibus undequaquè molestissimus , tūm ex sensu frigoris etiàm penitiores partes cruciante , tūm ex universi Corporis ingenti , atquè inæquali concussione , quâ vires plurimū iufringuntur , solet aliquandò criticus , & salutaris fieri , cùm subsequentem febrem vel interrupit , vel terminat . Et quidèm cùm post præcedentem vitiosæ materiæ coctionem , secretionemque , ejusdem extrà Corpus propulsionem , vel per sudorem , quod frequentius , vel per dejectionem , aut urinam , quod rarius , consequentem retrahit .

Meminit autem hic speciatim Hippocrates febris ardentis , quippè quæ continens suâ naturâ est , nèc unquam ægrum immunem deserit , quin non raro , ut idem Hippocrates author est , septimâ die permit ; nequè verò quam notham , & spuriam vocant , sed legitimam , & exquisitam notasse , credendum est , cùm sinè ullâ adjectione illam protulerit , & cui rigor accidere possit : constat autem hunc nonnisi exquisitæ posse supervenire .

At undè possit Rigor continentè febrentem arripe-

ripere? Hippocrates i. de morbis id ita definit:  
*Frigescente sanguine, necesse est & reliquum totum Corpus perfrigerari; & ubi bujusmodi quid factum fuerit, Rigor appellatur: & si quidem vehementer fiat rigor, vehementior etiam fiet tremor, nam dum contrahuntur venæ, sanguine coacto, & congelato, Corpus etiam contrahunt, & tremere faciunt; si vero minus aliquanto sanguinis coactio fiat, hic Rigor appellatur; Horror autem dicitur debilissimus rigor.* Verum ardens febris, vel ab eo, quod in sanguine vitiosum est, per indebitam commotionem, fermentatio nemque excitatur, vel etiam ex eo, quod aliunde suggeritur, & cum sanguine commiscetur. Per Rigorem autem, universalèque Corporis concussionem sæpenumerò utrumquè repurgari solet, ac per sudorem, aliāmque evacuationem, à sanguine secedere, & extramitti, unde postmodum febris vel omnino desinit, vel saltē intermitit, quamobrem idem Hippocrates animadvertisit: *Quibus in febribus quotidie Rigores sunt, quotidie febres solvuntur.* Hinc Rigor in his est indicium futuræ solutionis per aliquam evacuationem, quam Natura mox tenans perficiet aliquandò, cùm & nonnunquam ipsa eadem accessione Rigoris, interdum etiam succedentibus diebus contingat. Sic mulier, quæ decumbebat in littore *Aegra XIII.* i. epidem. trimestri foetu grida nonnisi crisi passa est per vomitum, & sudorem in decimaquarta die, licet riguerit in undecima. Qui vero in sutrina decumbebat, judicatus est cum iplo rigore in septima, 4. epidem. Sed & nequè Rigore solum, verum etiam Horrore idem contingit, ut de Nicodemo in Abderis, & de Virgine Larissæ, aliisque meminit idem Hippocrates 3. epidem. s. 3. agr. X. & XII.; nequè tantum febres ar-

*Aphor.*

*63.*

ardentes & continentes, sed alias quoquè exinde  
judicatas testatur 1. *epidem.* *agr. VI.*, & alibi.

Sed quid si à Rigore, vel Horrore febris nèc  
descinat, nèc intermitat? Profectò mali judicii si-  
gnum erit: arguit enim Naturam tentare sui exo-  
nerationem, sed ex defectu secretionis, concoctionis  
nisi que non posse, atquè adeò imbecilliores fieri per  
Rigorem, sine spe succendentis criticæ evacuationis;  
hinc mortua decimâ quarta die refertur 3. *epidem.*  
*agr. 12. sect.* 2. quæ mulier decumbebat in men-  
daciū foro, cùm in quarta riguissest, & bis in  
septima, semel rursus in decima, bis denuò in un-  
decima, atquè semel iterum in tertiadecima. Ve-  
rendum etiā plurimum in istiusmodi iteratis Ri-  
goribus absq[ue] crisi, ne Cerebrum, Diaphragma,  
aliæque nervosæ partes metastasim patientur ab ir-  
ruente humore seroso, & acri, undè postmodum  
internæ inflammationes, erysipelata, deliria, atquè  
hujus generis alia, ut non semel in praxi sumus  
experti.

### *APHORISMUS LIX.*

*Tertiana exquisita septenis circuitibus, cùm longissima est, judicatur.*

**C**um de Rigore nupèr meminisset Hippocra-  
tes, velut futuræ judicationis indicio, is-  
que tertianas exquisitas intermitentes spe-  
ciatim comitetur, harum terminum nunc proponit,  
ut indè conjiciamus, quo tempore cæteris febribus  
continentibus ille superveniens possit criticam re-  
fer-

ferre evacuationem, & falubritèr easdem desituras indicare. Est autem Tertiana exquisita intermitens hic per antonomasiā intelligenda, quæ nimirum alternis diebus invadit, in singulis accessionibus spatium duodecim horarum non transcendent; rigore incipit, sudore, vomitu, vel dejectione terminatur, præter ea, quibus ad illam internoscendam adnotavit Galenus 2. de differ. febr. cap. 3., & i. ad Glauconem cap. 5. Septenis vero circuitibus desinere omnino dicitur, quia causam tenuem, facileque subigibilem recognoscit, quæ sponte suâ fecernitur, & à reliquis humoribus repurgatur; ut alias ostendimus in nostra praxi trattatu de febribus. Cumque circuitus alternatim repeatant tertio quoque die, proinde fit, ut ad summum, non, ut plerique putant, XIV. sed potius XIII. die, quâ septima accessione recurrit, penitus terminetur, ni tamén error aliquis contingat, aut ex parte Medici importunè medicamenta præcipientis, vel ex parte ægrotantis, qui fortassè in sex rerum nonnaturalium usu deliquerit.

Sed, ut tardissimè, inquit, judicatur; nam fieri potest, ut etiam ante hoc tempus desinat, puta quarto, quinto, aut sexto circuitu, seu septimâ, nonâ, vel undecimâ dic, pro corporum affectionum varietate, & humoris febrem foventis, fortassè parcioris, ac benignioris, facilitori resolutione; quamobrè rectè dixit extremum illius terminū esse septimum accessionis redditum, cum scilicet nullo artis auxilio interrupta, sponte suâ, ut consuevit, procedit; si enim ope antifebrilium medicamentorum, quemadmodum nostrâ ætate fit, usu Corticis Peruviani, ejus impetus infringatur, & periodicum fermentum hebetetur, profectò citius effet abi-

abitura, sicut jamnunc passim experimur.

Verum quod hic septimo circuitu, ut tardissime tertianam febrim desitaram inquit, in *Coacis prænotionibus*, ad nonum protulit; ibi enim: *Tertiana exquisita in quinque, aut septem circuitibus, aut ad summum in novem judicatur*, fortassis ex malâ habitudine Corporis patientis, ex abundantiori, conscientiorique humore, ex inclementi tempestatum constitutione, aliâve de causâ, quæ illius solutionem retardare queat. Hinc putaverim finem Tertianarum hic ab Hippocrate recensitum plerumque intelligendum, cum pro rerum, causarumque in id concurrentium varietate, & oxyüs, & seriüs, & faciliüs, & difficiliüs, desinere possint; quemadmodum easdem experimur modò simplicibus, levioribüsque, modò plurimis, & gravioribus symptomatis stipari.



### APHORISMUS LX.

*Quibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis ex naribus fluens, aut alvus turbata, solvit morbum.*

**E**tsi anteà Aphorismo XXVIII. scripscrit suæ ditatem desinere supervenientibus biliosis dejectionibus; hic tamè non per dejectionem solum, sed è naribus hæmorrhagiam, si febrentibus accidat, eamdem, nequè jamdiù genitam, stabilémque, sed ipso febris decursu inductam, à metastasi peccantis humoris solutum iri docet. Id ipsum expressius retulisse videtur lib. de *judicationibus* Par. II.

Sf in-

inquiens: *Quibus in febribus aures obsurduerunt, his, non soluta febre, insanire necesse est. Solvit autem sanguis ex naribus erumpens, aut alvus biliosa egeret, aut dysenteria accedens, aut coxarum, aut genuum dolor. Hinc autem colligere est oportere febrim definere, vel saltē multum mitescere, cūm subinde aures obsurduerint, translatione scilicet humoris in organa aurium, & præsertim in eam auditionis sensitam, quæ Tympano attigua est, atquæ in glandulas auribus circumiacentes, undē postmodum in alvum is ferri possit; Si verò febris exinde non solvatur, delirium accidit, perturbato potius per humoris metastasim Cerebro, adigente, commoventéque non leviter febre superstite, quam sanè subsurditas velutì novum symptomata sequetur, haud verò ut criticus abscessus judicabit; delirium autem si non vocis, saltē mentis erit. Porro id cum surditate solvetur, aut erumpente affluentē è naribus sanguine, aut diarrhoea, vel dysenteria superveniente, aut translato in coxas, vel genua humore aures occupante, undē postmodum in his dolor, & fortassis etiā tumor sensibilis, ut in ceteris judicatoriis abscessibus fieri solet. Quod autem fluens è naribus sanguis Cerebri sensoria gravata, & malè affecta levet, atquæ alvus soluta surditatem adimat, jām cunctis notum, estque à Nobis latius anteā demonstratum in expositione App. XXVII. Advertere hinc modò est, non dixisse Hippocratem solvi ex ejusmodi evacuationibus febres ipsas, sed morbum, eum scilicet, qui ex metastasi aures in surditatem, & Cerebrum in insaniam deduxerat.*

APHOR.

Febricitans, nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidere.

## APHORISMUS LXI.

*Febricitans, nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidere.*

**D**ubitat in comm. Galenus sitne reverà hic Aphorismus Hippocratis, an à quopiam alio intersertus; siquidem is, inquit, non modò die quartodecimo multos vidit judicatos, sed etiā in vi-  
gesimo, & quadragesimo, & sexagesimo, & octuage-  
simō; ipsi verò judicant & vigesimaquarta, & trige-  
simaquarta, & ab initio protinus quarta. Sed cùm  
alibi idipsum omnino scriptum sit ab Hippocrate,  
præsertim verò 2. epidem.: si non die impari febris  
dimittat, reverti necesse est. Et in Coacis prænotionib;  
quibuscumquè desinunt febres non in diebus judi-  
catoriis, his recidiva fūnt: profectò ad alium, quām  
ad Hippocratem, sententiam hanc referre, nefas. Sed  
tamen quæ commentatus est Cardanus, ut eamdem  
generalem faceret in febribus quibuscumquè, non  
tantū sunt, ut mereantur assensum; quin in pluri-  
mis is ab Argenterio redarguitur, quippè qui in de-  
cretoriis diebus colligendis, reducendisque ad sep-  
tenarios, sophistam sapiat. Quamobrèm præsta-  
bit in aliorum Interpretum sententiam concedere,  
qui cum Galeno pro imparibus judicatorios substi-  
tuunt; vel cum Philotheo ad acutas tantum febres  
mentem Hippocratis contrahunt.

Verūm cùm à Nobis aliás ex eodē Hippocrate  
sit ostensū, quemlibet diem sive imparem sive parē,  
criticum esse posse, si cum signis coctionis conjun-  
gatur, & causæ morbificæ motionem, evacuationem-

Sf 2

que

que comitetur; planè hunc Aphorismum referre licet ad eas tantùm febres, quæ diebus imparibus suos paroxysmos proferunt, aut in iisdem exacerbantur, cujusmodi sunt tertianam periodum iterantes, sive simplices, sive duplices; Sed enim scribitur 1. *epidem. setz. 3. Quæ paribus diebus exacerbantur, paribus judicantur;* unde credere decet voluisse hic solum eas febres memorare, quæ circuitum subeunt per dies impares, cæteroquì intèr acutas frequentiores. Porro constat apud omnes iis diebus febres omnes judicari, in quibus accessiones incutient, nam quibus crisis imminent, nox præcedens molesta fit, nec unquam visa est crisis in die à febre vacuo, aut absquè magnâ collecta cione Naturæ cum morbo, & causâ morbosa; & licet decimaquarta dies in acutis dicatur critica, reverà tamèn crisis accedit in fine accessionis tertie decimæ diei, quæ cùm soleat ex impetu paroxysmi, ob maximā morbificæ causæ commotionem, molestior fieri, atquè ex conatu Naturæ crism promoventis in longius tempus produci, fit propterea ut beneficium criseos reluceat in decimaquartâ die, cùm victrix Natura, morbosâ causâ depulsâ, immunis à febre remanet. Atqui accessiones febrium intuiti, sèpissimè quoquè experimur, in septimâ accessione febrim finiri, quamvis illa ad decimam quartam diem extendatur, ex motu nimirùm ejusdem febris in suis repetitionibus quodammodo variantis, & paroxysmos postponentis; equidem ut alibi meminimus, oportet non dies, sed accessiones intueri.

Cùm igitur febres desinunt in iis diebus, in quibus accessione vel nulla fit, vel levis, & admodum remissa, de illarum seditu plurimum verendum, quip-

quippè quæ desinant absquè crisi, sive morbitate causæ evacuatione; hæc autem, ut dictum, numquam accidit sine vi; atquè impetu ejusdem, se se vehementius commoventis, & Naturæ propellentis ad consueta Corporis emissaria; idcirco cum adhuc intus remaneat, procùl dubio febrem denuò excitabit, nam quæ relinquuntur in morbis recidi vas facere consueverunt.

Verum dixit Hippocrates, *soles recidere*; non enim est omnino necesse, ut febricitans recidat, cum à febre evaserit in die non critico, aut impari, & absquè crisi: expertum enim plurius est desiisse febres citrè quamcumque evacuationem, & absquè vehementi Naturæ commotione: an quià iteratis egestionibus per singulos præcedentes paroxysmos solutionem sensim passæ sunt; an quià modicus, exiguisque humor illas fovebat, qui insensibiliter diffatur; an etiam quià antifebrilium medicamentorum usu pedetentim extenuatus, edomitusque est; nisi verò aliud translatus, & è primigenia cōditione mutatus, aliam morbi speciem excitet, ut in abscessibus.

## APHORISMUS LXII.

*Quibus in febribus morbus Regius ante diem septimum accidit, malum.*

**M**Irum sanè est, quām sit Hippocrates ex hoc Aphorismo reprehensus, quod in eo sententiā protulit vel erroneam, vel saltēm non ubique veram. Plinius quām lib. 26. cap. 12. illum falsum dicitur.

V. etiā  
lib. de  
judica-  
tionib.,  
ulti mor  
bus re  
gius, &  
singul-  
sus in  
ardore  
3. diale  
tiale  
dicuntur

falsitatis arguit, cùm se scire fateatur *vixisse aliquo ab hac desperatione*. Averroës etiàm lib. 4. collect. cap. 43. in suis Regionibus idipsum experientiâ reprobatum contestatur. Sed & Galenus quoquè in comm. 81. supèr 4. de ratione viëtus in acutis, consimilem ferè sententiam interpretatus, quodammodo etiàm Hippocratem sugillat. Quem textum exponens Prosper Martianus, ut veritati istius Aphorismi pariter consulteret, voluit hìc adjicendum esse *sine rigore*, nàm si fortassis cum rigore Icterus accidat antè septimum, salutarem putat.

Verùm meminisse juvat eorum, quæ à Nobis dicta sunt in nostra Practice cap. de Ictero, sèpissimè illum fieri præsertim in acutè febrentibus, à sanguinis vitio ex corrumpente veneno, & à lymphâ vietata lixivii conditionem adeptâ, ut quemadmodum à viperâ demorsis accidit momento ferè temporis slavescere, serpente nimis hūm brevissimè per totum Corpus veneno, atquè universum sanguinem corrumpente; ità febris pravitate à consimili humore sanguinis diathesim invertente, verisimile admodum est Icterum morbum in ægrotantibus profici sci. Nequè verò credere fas est voluisse hìc Hippocratem Regium morbum commemorare, qui ex Jecoris inflammatione, scirro, obstructione, ac duritiè fieri putatur. Nàm, præterquamquòd ejusmodi morbi sèpè sèpiùs visi sunt nullum planè Icterum attulisse: & contrà hic visus est pluriès ab omni Jecoris vitio alienus, de his adhuc sejunctam orationem idem Auctor habet Apb. 64. *hujus*, & Apb. 42. *sexti*, ubi ab affecto Jecinore Icterum memorat. Hìc autem ejus dumtaxat meminisse videtur, qui citrà viscera læsionem à solo sanguine per febrim commoto procedit; cùmque is criticè prodire nequeat in tam bre-

brevi temporis spatio , quo secretio fermenti febri-  
lis nondūm facta est , merito calamitosus ab Hip-  
pocrate existimatur . Atquē hinc planè fit , cūr fe-  
brem solvere ipse dicat . c. 4. de rat. vijt. in acu-  
tis , si cum rigore conjugatur ; absquē rigore verò  
exitialem esse , si præsertim accedit intempestivè ,  
quoniām per rigorem motus Naturæ criticus des-  
ignatur , qui febrile fermentum à sanguine repurgat  
atquē ad Corporis habitum deponit; at verò absquē  
rigore , is omnīnō symptomaticus habebitur corrum-  
pentis veneni malitiām arguens .

Quamquām autē plerumquè accidat malè ce-  
dere febrentibus Icterum antè septimum ; fie-  
ri tamē potest , ut prævalente Naturā , etiām an-  
tè septimum repurgatio illa , quæ in sanguine à fer-  
mento maligno , desideratur , commodè , & salubri-  
tè habeatur , ut in suis Regionibus calidioribus fate-  
tur Averroës : multum enim variant morbi pro cli-  
matum varietate , & qui alicubi longiores observan-  
tur , fiunt alibi breviores , beneficio Aëris , ciborum ,  
& potuum naturā meliori , aliisque de causis . Quam-  
obrēm cùm Icterus acritatem , tenuitatēmque hu-  
morum consequatur , & hi promptiūs secernantur , ac  
diffentur sub cœlo æstuosiori , quam frigidiori , quem-  
admodūm faciliūs æstate , quam hyeme , idcircò  
fit ut in Regionibus calidis citiūs , atquē antè sep-  
timum , in frigidis seriūs ille febrim judicet : Porrò  
Hippocrates ( ut aliás animadvertisimus ) ea posteris  
tradidit , quæ observavit , & frequentiūs accidisse  
vidit . Nequē verò in hoc Aphorismo dixit exitia-  
lem esse morbum Regium antè septimum , sed tan-  
tummodo malum ; quippè negari non potest , quod  
lateat in sanguine tantæ commotionis , ac fermenta-  
tionis incitamentum , ut illum , cæterosque liquores  
tu-

V. Hippo-  
philist.  
7. epid.

tumultuariè perturbet. Quòd si præterea Jecoris phlogosim, aut phlegmonem cryspelatodem consequatur, nedùm malus, & calamitosus, sed planè extialis dicendus erit, non quòd omnino perimat, sed quòd plerumquè perimere consueverit: nám ex eodem Hippocrate i. epidem. const. 3. habetur. *Qui-  
busdam morbus Regius accidit sexta die. Verùm his  
purgatio per vesicam, aut alvus exturbata profuit, aut  
larga sanguinis eruptio, velut Heraclides, qui decum-  
cratis bebas apud Aristocydiam, nám buic & naribus sanguis  
erupit, & alvus turbata est, & per vesicam purgatus  
est, vigesima die judicatus est; non velut Phanagore  
seruus, cui nihil tale factum est, & mortuus est, &c.*

*V. etiā Histor. Hermo-  
cratis egr. 2.3  
epidem.* Cæterùm rectè quidem advertit Galenus in cōm.  
morbum Regium antè septimum malum esse, sed  
non tamēn post septimum periculo vacare, si præ-  
sertim cum delirio conjugatur; ut propterea jure  
scriptum sit ab Hippocrate Aph. 64. hujus: *quibus  
in febribus morbus Regius septimo, vel nono, vel un-  
decimo, vel quartodecimo supervenerit, bonum, nisi dex-  
trum hypochondrium obduruerit; si verò non, malum  
est.* Cùm enim ex inflammatione Jecoris, vel cystis  
felleæ oritur, quocumquè tempore accidat sempèr  
malus. Atquè hinc patet, de Ictero hic meminisse  
Hippocratem, qui febribus accidit ex solo sanguini  
vitio, citrà cuiusvis visceris obstruktionem, aut  
tumorem; in Aphorismo verò LXIV. sequenti, de eo  
etiam, qui ex malè affecto Hepate procedit. Ve-  
rūm si dextrum hypochondrium non obduruerit, &  
à solâ febre Icterus proficiatur, nisi crisis condi-  
tionem referat, & sanguinis repugnationem conse-  
quatur, adhuc malus erit, cùm evacuationes qua-  
cumquè non tempora, aut dies ægritudinum, sed cri-  
ticum Naturæ secernentis motum, ut salutares sint,  
consequi debeant,

Pro

Pro Coronide tandem hic non diutiùs reticebo  
 Aquam illam *ex albo albi, cap. de Iētro*, à Nobis  
 memoratam, fieri ex albumine ovi, quo usquè in  
 spumam abjerit, conquaßato, & cum aqua grami-  
 nis, vel fontis permisto, adjecto saccharo candido  
 ad gratiorem potionis saporem. Hæc autem mane,  
 & vespere, jejuno stomacho, ad uncias quatuor  
 pluriè exhibita, mirum quām tutò, felicitérque  
 Isterum quemcumque sanet, etiām ubi cætera non  
 profecerint: quod sanè milliès expertum.

*APHORISMUS LXIII.*

*Quibus in febribus quotidie Rigores sunt,  
 quotidie febres solvuntur.*

**R**igorem in febribus periodicis succendentis in-  
 termissionis indicium esse docet hoc Apho-  
 rismo Hippocrates, ut qui semel nonnum-  
 quām incidens in febre continent, post signa co-  
 ctionis, illam omnino judicet, si in cæteris quoti-  
 diè recurrat, illarum saltè singulares paroxysmos  
 terminet, atquè ab aliis succendentibus interrupat,  
 quemadmodūm in tertianis febribus, sive simplici-  
 bus, sive duplicibus, paſſim experimur.

Quamvis autem acriter plerique disceptent, an  
 Rigor propriè causa dici debeat ejusmodi inter-  
 missionis in febribus, an verò potius indicium, de-  
 re tamè mihi videntur vel levissimâ mouere alter-  
 cationem; nam utrumquè, vel alterutrum si dicatur,  
 parùm ad medicinam faciendam intererit. Et qui-  
 dèm estò sit causa, per universalem Corporis con-  
 Par. II. T cuf;

cussionem, quā noxiūs humor febrim excitans à sanguine repurgetur, ut vult Galenus; vel ut indicium, denotans accessionem illam jamjām iri terminatum, ut plerique alii arbitrantur; profectò non tanti erit, ut peculiaris de illo ratio habenda sit, quin simil febrim ipsam, cuius symptomata præcipuum est, non æquabilitè respiciat. Verum tamèn quoniām in istiusmodi febribus intermittentibus, quas rigor anteit, fermentum febrile sanguinem in motum fermentationis indebitum adigens, extraneum est, atquè à visceribus naturalibus accedit, rationabilius videtur illum indicem, non opificem intermissionis appellare. Cùm enīm sanguis indebetē fermentescit à dissidente humore, aliundē suggesto, undē frigora, & rigores ineunte paroxysmo, argumento est, iteratā circulatione scipsum pedetentim repurgaturum, atquè in propria secernicula, imò in patentiora emissaria, quod alienum, vitiosumque est, depositurum, ut alibi demonstravimus. Hinc Rigor præcursor est intermittentium febrium, & cùm continuis, aut continentibus supervenit, illas pariter interrupit, sin secūs, malignitatis nota est periculi plena, ut anteā dictum.

Non est igitūr, ut se tantoperè torqueat hic Cōmentatores in divinando, nūm Hippocrates propriè Rigores, an potiūs frigora voluerit intelligenda, cōprehendēdi ergo cæteras quoq; febres quotidianas, semitertianas, duplices tertianas, duplicitesque quartanas. Nām indēfinitē eas memorat, quæ rigoribus arripiunt, quemadmodūm lib. de iudicationib. inquit: quibus febribus Rigor accedit, febris solvitur: Id est singularis illa accessio, quæ Rigorem prodromū sortitur; ut proptereā sicuti continuis superveniens Rigor paroxysmum illum interrupit; ita intermittentibus, quo-

V. Bra-  
sevolū,  
& Fu-  
chsum  
būc.

tidie

tidiè recurrens, quotidianas accessiones infringit, &  
 terminat. Quià verò non omnes quotidianæ febres,  
 idest quotidiè repetentes, rigoribus sociantur, idè  
 fit, ut non omnes ad  $\alpha\pi u g e \bar{\eta} \lambda \sigma$ , sèù quietem fe-  
 bre vacantem, reverà perveniant, cùm adhuc febres  
 illæ quotidianæ, fieri putatae ab humoribus phleg-  
 maticis, accessiones tām longas sortiantur, ut vix  
 ægrum à febre immunem deserant, veluti Galenus  
 ipse testatur. Verùm quid de his verisimiliùs liceat  
 existimare, jām à Nobis latè dictum est de febri-  
 bus in Praxi: Cùm & ipsem Hippocrates plerā-  
 que omnes febres ex bile oriri crediderit, quasi  
 verò ab uno, eodémque humore, diversimodè tamèn  
 affecto, aut cùm aliis succis commisto, varias pare-  
 re possit febres, atquè pro ejusdem collectione, &  
 ad fermentescendum promptitudine, citiori, vel tar-  
 diori, nūnc quotidiè, nūnc verò alternis diebus, &  
 ultrà, repetentes efficiat. Sed tamèn advertere de-  
 cet, speciatim voluisse Hippocratem admonere, quam  
 utilitatem sint febientes ex rigoribus suscepturi, ut  
 etiamsì quotidiè febribus divalentur, algeant, &  
 vehementer concutiantur, per Rigorem tamèn, quie-  
 tem febre vacantem, &  $\alpha\pi u g e \bar{\eta} \lambda \sigma$  nanciscantur, qua  
 omni periculo se exemptos credant. Hinc de Rigo-  
 ris beneficio monitos voluit Medicos, & ægrotan-  
 tes, nihilùm intereà reliquarum febrium, aut sym-  
 ptomatuum illas comitantium sollicitus, sive inter-  
 mittant, an non, & sive periodo quotidiana, ter-  
 tiana, aut quartana, redeant. Cæterùm usus est vo-  
 ce solutionis, non iudicationis: Nām reverà febris  
 ipsa integrè nō finitur, (alitè minimè rediret) sed so-  
 lùm accessiones illæ repetentes singulatim desinunt, &  
 humores fermentationem indebitam in sanguine ex-  
 citantes in singulis paroxysmis solvuntur, tametsì

V.lib.de  
Natura  
humana  
n.s.

ab aliorum suggestu, novi, & novi ingruant; at verò non plures in una, eadémque die, ut in febribus subintrans dictis evenit, etenim quotidie inquit, idest semel in die, sed iteratò in succedentibus diebus, ne forte intèr initia febris solùm, Rigor invadat, nèc deinceps repeatat, velut in continuis mali moris. Quamquam duplex tertiana intrà unumquemque diem bis affligens, rigore si inchoet, etiam aliquandiu intermitat.

Quod de Rigoribus hic tradidit Hippocrates, licet pari ratione ad Horrores extendere. Siquidèm duplices, triplicesque quartanæ horrore prodromo invadentes ad *πυρεζτα*, quoquè deveniunt, & in singulis accessionibus solvuntur; ut proptercà non semel datum sit, illas iterato usu Corticis Peruviani, aliòve simili medicamento, pro re nata, sigillatim salubritè fugasse, quemadmodùm ad tertianas fieri consuevit. Quomodo autem istæ, sicut pariter Rigores, & Horrores introse se differant, dictum est à Nobis in parte Medicinæ practica.



#### APHORISMUS LXIV.

*Quibus in febribus morbus Regius septimo, vel nono, vel undecimo, vel quartodecimo, supervenerit, bonum: nisi dextrum hypochondrium obduruerit; si verò non, non bonum.*

**R**ecetè quidèm advertit Galenus, melius fuisse, hunc, qui nunc scribitur, Aphorismum, illi fuisse conjunctum: *Quibus in febribus morbus Regius antè diem septimum accidit, malum, ut totus sermo talis fiat: Ante septimum quidèm diem morbum*

bum accidere regium, malum omnino; post septimum  
verò bonum, nisi dextrum hypochondrium obduruerit:  
näm absquè ordine videtur hic interjectus. At hoc  
non multum refert. Id verò magis intererit, mor-  
bum Régium hic recensitū pertinere potius ad Je-  
coris affectionem, ut proindè sensus sit, illum à  
septimo deinceps febrentibus supervenientem, me-  
liorem esse, ut potè qui probabilius sanguinis repur-  
gationem consequatur, nèc corruptentis veneni ma-  
litiam arguat, sed secernentis Naturæ vim, & ef-  
ficacitatem. Cōferendus autem huic est aliis Apho-  
rismus ex Coacis prænotionibus (undè hic planè  
desumptus est) sententiam procùl dubio clariorem  
reddens: ibi enim scribitur: *Morbus Regius antè sep-*  
*timum diem accedens, malum. Septimo vero, ac nono,* <sup>Idem</sup>  
*& undecimo, ac decimoquarto, judicatorius est, si non* <sup>ferè lib</sup>  
*præcordia induret; sin minus ambigua res est.* Näm <sup>de jude</sup>  
si fortassè ex Naturæ repurgantibus motu, felleus hu-  
mor in cystim quoquè plusquam deceat, irrumpat, &  
tumorem, inflammationēmque pariat, profectò ex  
istius malitiā, pessimi morbi indicium erit. Quam-  
obrèm inquit, si non præcordia induret, quasi verò  
is causa sit ejusmodi tumoris, & inflammationis.  
Quod si Icterus veluti symptoma dextri hypochon-  
drii inflammationem potius consequatur, planè pes-  
simus existimandus erit, tanquam pejoris morbi te-  
stimonium, nèc absquè veneni corruptentis mali-  
tiā, per quam habitus Corporis universus colore,  
ad croceum, cum virore commixtum, inficitur. Ve-  
rū cùm Hippocrates adnotaverit hanc coloris ad  
cutim translationem à septimo per dies indices, aut  
judices, suspicandi ansam præbet futurum in his  
Icterum, veluti à febre, non ab Hepatis inflamma-  
tione, oriundum, ut propterea voce usus sit genera-  
lio.

V.3. des  
morbis.

liori, duritiei, scù duri tumoris in hypochondrio dextro: durities autèm nedùm inflammationi, sed sed etiàm obstructioni, & scirrho convenit. Sed hæc non tanti sunt, ut sententiam aphoristicam invertant: nàm, ut anteà dictum, quælibet Hepatis ægritudo quocumquè tempore contingens per se perpetuò mala est, secluso morbo Regio.

Si verò, subdit, non in his, sed in aliis à septimo diebus, intècā decimumquartum Icterus accidat, non bonum, nàm reverà malum adeò non est, ut de diebus antè septimum anteà dixerat, nèc ex altera parte bonum, quià sit in diebus, in quibus Natura movere per crism non solet, cùm non-nisi per dies accessionum, cujusmodi in his generibus febrium sunt impares, in morbum, causámque morbi, impetrat; quamobrèm phrasí clariori scripsit in *Coacis prænitionibus*; *sin minùs, ambigua res est*: ut nimis significaret, ancipitem indè futurum eventum, saltèm ægritudinis diuturnioris, aut in deteriore, puta hydrópe, permutatæ. Ultrà decimumquartum diem non meminit, forte quià de Ictero in acutis febribus sermonem habendum voluit; at non ideo, si ultrà hoc tempus febrienteribus contingat, omnino bonus, si à Naturæ expellentis motu, post coctionem, secretionémque non oriatur, quamvis deinceps malitiam sempèr diminuat; attamen rarerè accidit Icterum supervenire febribus in longum productis, modò alias ægritudines non arcessant, vel in deteriores commuteantur. Cæterùm etiàm absquè febre, *morbo Regio laborantibus*, *Hepar durum si fiat, malum est*, 6. Apb. 42. tunc enim durities Jecoris sequitur Icterum, & periculum non ex Ictero nascitur, sed ex Jecinoris duricie, ac tumore, qui sempèr malus: liquidèm scir-

scirrum, cachexiam, hydrōpem sive humidum, sive siccum, aliisque graves morbos minatur. Spes autem salutis aderit, si subinde sponte suā per alvū, aut per vias urinæ, vel etiā per hæmorrhagiam vitiosus humor egeratur, ut accidit Heraclidi i. epidem. c.

*APHORISMUS LXV.*

*In febribus circā Ventriculum fortis æstus,  
& cordis morsus, malum.*

**V**identur hæc duo hic ab Hippocrate memorata symptomata, cum acutis, continuisque febribus conjuncta, inflammationem præmonstrare imminentem in iis præsertim partibus, quæ Ventriculum, ejusque orificium superius circundant: illa autem erysipelatis potius conditionem referet, undē major acritudo, morsus, & vehemens æstus oriatur. Anatome enī pluriē compertum, ejusmodi malorum causam extitisse excitatas circā Stomachum, aut Pylorum, inflammationes, itemquæ in Hepatis lobo, qui Ventriculo superincubit, in Omento, in Pancreate, imò etiā in exteriori Ventriculi membrana, ut proinde ægrotantes brevi vitâ defuncti sint. Sed & non raro etiā contigit hæsisse in his partibus acres quosdam, virulentosque humores, qui non tam mole, aut copia, quam pravitate nocerent, & nervos, qui plurimi per easdem partes sparguntur, acriter compungerent, & lacerferent. At hæc profectò nonnisi in acutis febribus fieri possunt, quas plerique non irrationabilitè exi-

sti-

stimarunt, numquām ab internis inflammationib; vel ab hærentibus humorib; in apicibus arteriarū, esse sejunctas. Cūm autēm in febribus ista copulantur, palām est fieri non posse ægrotantes nō periclitaturos. Sivè ergo καιλην Ventriculum, sivè inferiorem Ventrem interpretemur, (cūm utriusque dolores magnificat Hippocrates in Coacis prænitionibus) idem omnino timendum erit; quamquām Cordis morsus, in græco codice καρδιαμος si pro stomachi dolore exponatur, minus periculum arguat, quām si Cordis motus palpitationi similis intelligatur; quippè hæc longè deterior putanda est, veluti proximior Cordis affectio, atquè eo magis, quo acutis, continuisque febribus sociatur, veluti disparis omnino conditionis. Atqui malum, inquit, non lethale: siquidēm et si ista periculum vitæ minentur, non tamē spem salutis adimunt, ut de malignis febribus, quibus hæc plerumquè accidunt, scripsit alibi Galenus. Verumtamē si partium extimarum frigus accedat, omnino exitiosum; ut antea dictum.



### APHORISMUS LXVI.

*In acutis febribus convulsiones, & circā viscera dolores vehementes, malum.*

**C**onvulsionem febri supervenientem pejorenū asseruit Hippocrates 2. *Aph. 26.*, nūnc verò simpliciter malam ait; fortè quià hic iteratas, & pluriès invadentes intelligit, nequè unius tantum partis, sed totius, jām antea acutā febre corrupti, cui etiām circā viscera dolores vehementes acci-

accidunt. Sed gravius profectò est, quod scribit *in fine libri de iudicationibus*, ubi: *si à febre detentum convulsio corripuerit, sedatur febris eadem die, aut postridie, aut tertia die.* Et lib. Coacar. pranot.: *Convulsio in febre fiens, sedat febrim eadem die, aut posterius, aut tertia.* Undè non videtur tam mala convulsio acutis febribus contingens, quemadmodum in hoc Aphorismo memoratur. Verùm si perpendantur, quæ ibidem Hippocrates adnotavit, nullo negotio hæc diluentur. Is enim paulò antè inquit: *Convulsio in febre fiens, & eadem die desinens, bona est.* & mòx; *si verò tempus, in quo incipit, transgrediatur, & non desinat, malum est.* Quare tunc convulsio febri superveniens bona est, cùm eadem die desinit, cùm autem tempus istud transgreditur, omnino mala. Si præterea repeatat, aliisque ægritudinibus societur, veluti hoc loco referuntur vehementes circà viscera dolores, procùl dubio nedum mala, sed exitialis existimanda erit.

Et quidem vehementes viscerum dolores fieri nequeunt, nisi ab humoribus acribus, acidis, aculeatis, partes præsertim membranosas, & nerveis lanuginantibus, qui per febrim acutam impensiùs irritati convulsiones planè molestissimas excitant, quamobrem non immeritò eas cum viscerum doloribus conjunxit in hoc Aphorismo Hippocrates, ut vel ex hoc conjiceremus ab his eisdem profecturas; & quamvis perpetuò malæ putandæ istæ sint, pejores longè tamèr erunt, si ad febres acutas consequantur, quippè quæ nedum viscerum, sed & totius sanguinis diathesim vitiatam designent, quam etiam per convulsiones iteratas nervorum liquor non dissimiliter comitabitur. Verum tamèr malum solummodo dixit, non lethale; quandoquidem possunt quo-

Par.II,

V u

què

quoquè febientes ab utrisque tutò evadere, si nimis vitiosi humores ferantur in alvum, aut vesicam, & criticè, ut moris est, egerantur: quo sanè modo lactentes vidimus sèpiùs liberatos, qui cùm à latte in intestinis concreto acerbè simùl ventre dolerent, febirent, & convulsionibus corriperentur, solutâ posthac alvo, in pristinum salutis statum fuere restituti.



### APHORISMUS LXVII.

*In febribus ex somnis pavores, vel convulsiones malum.*

*Aphor.  
I. 3.*

**A**Liàs meminimus, somnium Animantibus concessum, ad levamen, & quietem Corporis & Animi, ubi potius laborem afferret, & lassitudinem, lethalem eventum portendere, ex Hippocrate, nunc verò si pavoribus interrumpatur, malum dicitur, in febrientibus acutè. Accidit enim sèpè illos absquè ulla externa causa intè dor-miendum frequentè exterreri, immò nequè ex phantasmatibus horrificis, aut somniis tumultuosis, è genere terriculamentorum, expavescere, idque totiès, quotiès sopore arripi contigerit. Subitos autem istos, repentinòsque à somno timores, quamvis plerique ad Cerebri læsionem retulerint, quasi verò vaporibus melancholicis, aut atrabilariis suffundatur, quia tamè quæsiti de his terriculamentis ægrotantes nil sc̄ visum passos conqueruntur, cùm cæteroquì nèc somno reipsâ, in quo insomnia, capiantur, putaverim Ego illos oriri ab irritamento potius pravorum

rum humorum cīrca pīcordia restagnantium, quībus nerveā illorum partes lācessitā quodammodo convellantur, & Cerebrum excitent cum terrore, ob concussionem, exagitationēque fibrarum nervearū, & liquoris easdem irrigantis. Evidē ejusmodi pavoribus sēpissimē puellos affici experimur cūm à lacte coagulato, & acido febricitant; quod cūm Ventriculo, & Intestinis intēsum fiat, nēc promptē egeri possit, partes istas in illis exquisito sensu pīditas vellicat, & lācessit, adeoque repentina expergescationes, & pavores inducit. Idipsum à vermibus etiā pati solent, unde est, ut huic malo indiscriminatim nostrates fōminæ occurrente satagant remediis lumbricos enecare ereditis. Modò quis unquam in his Cerebrum ferientes humores, aut vapores melancholicos effinget? nisi melancholicos cum acidis confundat. Arquī contingunt plerumquē ex somno ( si tamē verus somnus iſ sit) punctiones iſtæ, quoniā per id tempus latae quodammodo nervorum fibræ, magisquē hiantes poruli faciliū admittunt, qui ex acidis, pravilique succis fermentescentibus halitus, vaporēsque infensi quaquaversūm diffunduntur. Hinc ad convulsiones non irrationabiliter ejusmodi repentinōs ex somnis pavores referrem, inductas tamē non ex affecto nervorum principio, sed ex horum apicibus, fibrisq[ue] proritatis. Quā fortassē ratione Hippocrates, cum his junxit in Aphorismo convulsiones, nimirūm ut eas febrientibus malas pronunciarēt, quæ veræ convulsiones sunt à Cerebri vitio proximo, & quæ à sola, atquē interruptā irritatione fibrarum nervearum in partes desinentium. Porro in veris convulsionibus proximē Cerebrum, & principium nervorum afficitur à vitiato illorum liquore in aci-

Vu 2 dum

dum pariter degenerato; unde & haec, & graviora mala proficiunt facile est. Sive ergo illæ orianteur ab acido liquore, nervorum principium afficiente, sive ab humoribus circâ præcordia restagnantibus, & partes sensu præditas vellicantibus, semper malum, designatâ nimis malitiâ, tûm à pravis humoribus, tûm à partibus affectis. Quod si somnus majori ex parte, vel suavis, vel molestus provenit, ex bene, vel male affecto Ventriculo, & adjacentibus visceribus, ut Helmontio non sine ratione visum est, planè cum in his partibus pravi succi hærent, fieri nequit, quin turbulenti somni sunt, & pavoribus interrupti.

\*\*\*

### APHORISMUS LXVIII.

*In febribus spiritus offendens, malum: convulsionem enim significat.*

lib. 2. s. v. Gal. 3. de dif. 9. & 6. Aphor. sæm. 54 **I**D hic significat spiritus offendens, sive spiritus in fauibus elitus, ut vertit Celsius, ac Respiratione sublitens, & interrupta, quemadmodum ex eodem Hippocrate deducitur z. *epidem. sect. 3.*, & 6. *epidem. f. 2.*; & quidem tûm in inspiratione, tûm in expiratione, ut adnotat Galenus in *comm.* Id autem passim accedit pueris ejulantibus, & suspiciois, plerumque ex angustia spiritalium organorum. Hanc autem interruptam Respirationem in febricitantibus, instantem convulsionem arguere, atque adeò malam esse, monet hic Hippocrates, veluti quæ fiat à languente vi musculorum Thoracem, & Diaphragma attollentium, ac deprimentium pro Ref-

Respiratione; illi verò, cùm motus suos peragant  
ope nervorum, quandocumque deficiant, hos quo-  
que fatiscere designant: & quidèm in febribus à  
vitiato, exsolutoque liquore, qui ncdùm illos haud-  
quaquam convenienter irrigat, & confirmat, sed  
potius inficit, & perturbat; unde etiàm non raro  
anxietas, angor, & Cordis tremor, cum pulsu inæ-  
quali: sempèr autem ac sanguinis vitio ex febribus  
indicato, per indebitam ejusdem ab extraneo humo-  
re fermentationem, accedit quoquè liquoris nervei  
malitia, procùl dubio non solum dubius eventus,  
sed omnino perniciosus pertimescendus est; quan-  
doquidèm partes cunctæ Corporis ab his proximiis  
robur adipiscuntur, suásque exerunt operationes; quin  
imò Cor, & Vita ipsa sustinetur. Quamobrèm ip-  
sis à consuetâ, naturalique constitutione permutatis,  
depravatisque, necesse est reliqua omnia non dissi-  
militè titubare.

## APHORISMUS LXXI.

*Quibus, adhuc febricitantibus, urinæ sunt crassa, gru-  
mosæ, pauce, multitudo earum tenuis superveniens  
juvat: præcipue verò tales veniunt, quibus ab ini-  
cio; vel non ita multo posse, sedimentum inest.*

*Idem  
dicitur  
in coac.  
pranor.*

**U**RINAS in posterum cōsiderat Hippocrates cum excretorū in illis varietate, ut exindè, quoad fieri potest, conjiciamus, quænam in febri-  
tibus meliores, pejorésque dici queant, cùm febri-  
tum fermentorum mutationem consequuntur, quip-  
pè non sempèr è liquoribus cum sanguine commi-  
stis

stis procedunt, nequè perpetuò serum illud referūt, quod cum sanguine circumfluit, atquè ejusdem vas, partésque cunctas Corporis pervadit, sed sepe numerò à cibo, potuque nupèr assumpto, à Sacco lacteo, & ductibus chyliferis, à glandulis Mesenterii, & vasis lymphicis, atquè à visceribus hypochondriorum, per compendiosiores vias, rectâ in renes, & vesicam fertur; undè dubias profecto, & infideles notas ex illa elicere cogimur, idque potissimum in iis, qui peculiari quadam constitutione varias perpetim, differentesque urinas proferunt, & quandoquè à consueto hominum alienas. Cùm ergò à sanguinis fero prodeuat urinæ, atquè à fermentis partium vitiatis secernuntur, observandas verisimile est hic Hippocratem voluisse, præcertim in febribus, quandoquidem in his, per indebitam sanguinis fermentationem, plerumquæ solent cum serolis ejusdem portionibus aliæ impuritates per vias urinarias repurgari, ideoquæ quæ penitus latent, quandammodo denunciare.

Quibus itaque non sinè febre, inquit, urinæ sunt crassæ, & grumosæ, sed paucæ; si contingat tenues deinde fieri, & affluentius profluere, proderit. Pro crassis, grumosisque intelligit, quæ commixtam, compactamque simùl referunt serosam substantiam cum recrementis è sanguine semotis, ut grumos quodammodo plurium Corporum unâ collectorū exhibeant, vel, ut communius dicitur, substantiæ simùl aquosæ, & hypostasis, concretæ: hæc enim cùm debeat, ut salutaris sit, in urinis innatares, si fortasse sit sparsim concreta, & cum illis commista, ex nondum peractâ secretione, concoctioneque, urinam procùl dubio reddet crassam, & grumosam, quam idem Auctor lib. I. de morbis, à pituita progenitam exi-


sti-

stmar. Oriri autem ejusmodi crassitatem grumosam; hoc loco memoratam, à concretione, mictioneque summa hypostasis cum sero urinario, deduci potest ex appendice ejusdem Aphorismi, ubi adjicitur: *tales e quidem prodire, quibus ab initio, aut non multo post sedimentum in urinis adfuit; cùm scilicet primū urinæ visæ sunt cum suo sedimentine innatante, mox verò ita cum illo commixtæ, & concretæ, ut gruum referant; at postmodum per fermentationem febrilem dissolutæ, ac secretæ, tenuesque redditæ, crassitatem in copiam consumunt, & conserunt, tūm quiā compingentia salia cum sero commista diluta egerunt, tūm quiā coctionem, secretionemque fermenti febrilis jām peractam indicant.* Tenues autem urinæ hic memoratæ non simpliciter aquæ, & pellucidæ intelligendæ sunt, sed ut à crassis & grumosis contradistinctæ; sicut enim nimium crassæ, & in grumos compactæ malæ hic referuntur, ob coctionem, secretionemque deficientem; ita ex adverso bonæ existimandæ sunt, quæ tenues deinde sūt, ac dissolutæ, id est non amplius grumosæ, habentq; sediment omnino secretum, dissolutum, & innatans. Hinc rectè Actuarius lib. I. de judiciis urinarū cap. II. scripsit, *nonnunquam in morborum fine copiam profluere urinæ albioris, & tenuioris, atquæ mediocrem continentis subsidentiam, præsertim cùm præcesserit urina crassior, & grumosior.*

Judicium autem ab eodem Hippocrate prolatum lib. de iudicationibus, huic planè nullatenus contradicit. Ibi enim inconstantes omnino urinas in febris vituperat, ac de crassis in tenues, iterumque de tenuibus in crassas vicissim permutas. Inquit enim: *In febris si mutationes habeat urina, diuturnitatem temporis significat, & necesse est agrotum*

mu-

mutari, & ad deteriora, & ad alteram partem. Et si urinæ ab initio non sibi similes fuerint, sed ex tenuibus crassæ fiant, iterumque penitus tenues, tales agro judicant, ac inconstantes sunt. In hoc autem Aphorismo non solum constantes, sed etiam crassas in moderate tenues permutatas recenset, easque solito affluentiores.



### APHORISMUS LXX.

*Quibus febricitantibus urinae sunt perturbatae;  
quales jumentorum, iis dolor Capitis vel  
adest, vel aderit.*

**C**um recrementa sanguinis, aliquique humores per Renum tubulos repurgati, & cum sero urinaria committi, sua quiquè non petunt loca, sed sursum, deorsumque tumultuarie feruntur, urinas reddunt confusas, & perturbatas; Has ergò considerat in hoc Aphorismo Hippocrates, utque eas à turbidis, sed mox postea subsidentibus, distinguat, adjicit, *quales Jumentorum*; siquidem in his ne-dùm paulò postquam fuerint excretæ, sed deinceps adhuc, perpetuoque turbulentiam, confusionemque servant; sed nequè à frigore ambientis aëris concreverint, nequè diù sepositæ in corruptionem abjerint, aut Renum, & Vesicæ ægritudines consequantur; quamobrem non immerito advertit, & eas in febricitantibus hic notari, & quæ non semel turbæ comparent, sed quæ perturbatæ sunt, & tales perseverant.

*Equidem in febribus dumtaxat fieri potest (quicquid*

quid in contrarium opinetur Cardanus ) ut urinæ omnino perturbatae sint, & perseverent, quales jumentorum, quandoquidem in aliis ægritudinibus citra febrim, quod turbulentum in iis excernitur modo subsistit, vel evolat, quemadmodum in Renum affectionibus, catarrhis, aliisque, sicut etiam ab esu ciborum diuresim promoventium. Oportet autem urinas ejusmodi turbatas, ab intimiori causâ serum urinarium confundente exagitari, quæ profecto in sanguine, ceterisque liquoribus inhærebit, ut talem in ipsis fermentationem excitet, & tumultuariam commotionem pariat; quæ sanguinis serum, recrementa partium, & salia fermentorum turbet, & impliceret; veluti plurius expertum in febribus malignis, & pestilentibus, à fermento sanguini immisto omnia depravante, & confundente. Hinc brevi vitâ defuncti referuntur uxores Dromeadæ, & Philini, Polyphantus, & Evalcidæ famula ab Hippocrate 1. & 7. Epidem.: Nam, ut idem subdit: *urina dense, & conturbata certum signum sunt doloris capitis, convulsionis, & mortis*; procùl dubio à veneno dissipante, & corrumpente. Sed & nequeunt deinceps contenta urinatum perturbata adhuc à liquoribus Corporis seposita subsidere, quia per intraneam fermentationem acorem nacta, ita simili compinguntur, & cum sero urinario commiscetur, ut ab invicem disiungi non possint, quemadmodum experimur in Vino, quod per aestum dicerum Canicularium, aut à Tonitru, ventisque Australibus impetuosioribus, indebitâ fermentatione effervescit, confunditur, & perturbatur, ut tandem in corruptionem desinat.

Hinc modò palam sit, quâ de causâ dolor Capitis exinde subsequatur, aut immineat; quoniām <sup>Vetiam  
li. Coac.</sup> <sub>prænos.</sub>

**ex acritate, & virulentia in sanguine inducta, nervae partes Capitis ab illius transitu, & percolatione, vehementer vellicantur, & compunguntur. Nequè verò hinc dolent solùm, sed etiàm non raro inflammantur, undè phrenitides, lethargi, convulsiones, ut memoratis ex Hippocrate ægrotantibus accidit; quamobrèm sub nomine Cephalalgæ comprehensas crediderim reliquas omnes Capitis affectiones, dolori analogas, vel affines.**

Quòd si turbidæ ejusmodi urinæ pederentim progressu temporis subsideant, procùl dubio meliores sient, atquè ab enarratis Capitis affectibus præcavebunt: quippè portendent sensim quoquè internam sanguinis commotionem sedari, & fermentantes humores ab utilibus secerni, ac repurgari. Undè idem Hippocrates 6. Epidem. sect. 6. commo- nefacit, *urinas multam subsidentiam habentes à mensis motione liberare*, quemadmodùm in Dexippo. Non est igitùr ut tam facile credamus perseveranter turbidas excerni urinas à flatibus, ut plerique sunt arbitrii, adcoquè illos excutere oportere, sed potius diaphoreticis pluriès memoratis compagem fermenti febrilis dissolvere, alexipharmacis ejus malitiam oppugnare, & evictam, secretamque per easdem vias urinarias expellere.



APHO-

॥५६॥ चक्रवटी द्वितीया द्वितीया द्वितीया द्वितीया द्वितीया द्वितीया

## APHORISMUS LXXI.

*Quibus septimo die fit crisis, iis nubecula rubea quarto die in urina appetet, & alia ex ratione.*

**A** Libi dixerat septenorum quartum esse indicem; nunc sumpto exemplo à febribus, quarum crisis incidit die septimā, inquit, nubeculam rubeam in quarta præcedere in urinis. Verūm hoc non ubiqvè verum experimur, sed in quibusdam solūm febrium genetibus, quæ nimirūm fermentationem in sanguine consequuntur à vītio ejusdem intraneo, quales Veteribus synochæ dicebantur, ex non benē repurgato ejusdem sanguinis sero, cuius causā in fervorem, & indebitam commotionem adigitur, ut seipsum ab illo extricet, potissimum quia ob remoram in vasī sanguineis contractam nimiā infectus acritate cunctis visceribus molestiæ est. Sed nequè nubecula hæc reverà rubra est, sed vel pallida, vel flava, vel ad summum subrubra compareret, si crisis ad bonum futura sit: Quamobrèm prognost. dixit: *Nubecula, quæ feruntur in urinis, albæ quidèm bona sunt, nigrae vero malæ:* Undè rectè Heurnius non rubram, sed subrubram vertit. Meminit autem dumtaxat crisis septimæ diei; nām in cæteris non planè constant ejusmodi indicum, & judicum dierum proportiones, quippè sèpissimè Crisis præmonstratæ in undecima, evenière postmodùm non decimaquartā, sed decima septimā, vel vigesimā, ac ulteriùs, pro ratione peccantium humorum, & viarum laxitatis imò pro diversitate morborum, causarum, & affe-

starum partium, ista nō minimum variabunt substantia, colore, situ, tempore. Hinc appositiè addidit, & alia pro ratione: potissimum si cætera concurrant ad bonam, salutarēmque crīsim, eo die perficiendam, ut proptereā significare voluerit Morbum salubriter judicandum die septimo præferre signa coctionis, ac secretionis in quarto, reliquos ad alias dies differendos, non dissimilitè suis indiciis præmonstrari, eösque non unico evacuationis genere, sed pro ipsorum varietate, putà sudoribus, sputis, dejectiōnibus, atquè etiā uberioris urinæ profusione, prout Natura in unam, vel aliam partem inclinaverit. Cæterū, quod idem Hippocrates protulit c. lib. prognost. de urinâ subrubrâ, & sedimento simili, indicante morbum diuturniorem, licet salutarem, intelligendum, cum tota urina, ejusquè serum, sanguineum ruborem refert, non verò cum in sero urinario convenienter colorato nubecula solū subrubra innatat, ut hic, veluti inchoatae coctionis indicium.



### APHORISMUS LXXII.

*Quibus urinæ albæ sunt, & perspicuae, male: præfertim verò si in phreneticis appareant.*

*V. in  
Coac.  
prenot.  
lib. 2.  
prognos.  
&  
de dieb.* **C**um urinæ albæ, & perspicuae, scù aquose, ut interpretatur Galenus, multis ex causis excerni possint, & pluribus in morbis comparere soleant, potissimum verò Renum, ac Vesicæ, atquè non raro indicent crīsim futuram per iudicat. alvum, aut per abscessum, præter eas, quæ in statu

tu fano quibusdam accidunt, vel ex consuetudine; vel ex largiori potu aquarum, præsertim diuresim moventium, visum est ita hunc Aphorismum vertere, aliter ac Leonicenus, qui malas ejuscemodi urinas indefinite videtur interpretari; comparare autem solere in delirantibus: quasi verò exemplum dumtaxat apparitionis illarum voluisse Hippocrates hoc loco referre, cum tamè in Phreneticis maximè sint perniciose, quemadmodum & Celsus hoc idem Hippocratis documentum sequutus exponit, lib. 2. cap. 4. inquiens: *diluta quoquè, atquè albæ urina vitiosa est, sed in phreneticis maximè.* Et Philotheus: *sed in phreneticis magis male.* Quamobrem Fuchsius Aphorismum hunc ita tradidit: *Quibus urinæ perspicuae, & albæ sunt, male: maximè verò ubi in phreneticis apparuerint.* Rectè autem admonet *phreneticos*, non *delirantes*, hic Hippocratem adnotasse: quippè phrenetici à delirantibus differunt, etenim non omnes delirantes phrenetici sunt.

Urinæ itaque albæ, & pelucidæ, quamvis plerumque à consueto Naturæ declinent, non tamè omnino malæ illicò sunt existimandæ, quasi verò sempè morbosam reipsâ Corporis constitutionem attestentur, cum non desint, qui à natura ferè illas assiduò proferant, & bene valeant; quin imò plerosquè novi, qui se tunc morbosos existimarent, cum urinas bene coloratas egererent. Malæ ergo solum dicentur, quia non omnibus communes, & quodammodo à consuetis remotiores. At verò si in phreneticis obseruentur, omnino malæ, atquè ex Galeno perniciose, quippè qui restetur se nullum vidisse phreneticum salvatum, in quo talis urina apparuisse. Verum tamè nō sunt hæ adeò cum phrenesi conjunctæ, ut illam perpetuò comittentur, fere.

tentur, aut consequantur, siquidem sèpissimè etiàm fit, ut in ea compareant nimium coloratae, multoque sulphure saturæ; sed si fortassis cum illa scientur, omnino malæ sint, nisi verò semel tantum appareant: quippè tunc pernicioseas penitus illas credere licebit, cum diù perduraverint, & quoquè tempore uniusmodi aquosæ prodierint. Hac enim ratione significante, partes sanguinis muriaticas, & sulphureas, acritate ingenti præditas, per febrilem fermentationem, cum sero urinario non repurgari, sed interius detineri; adeoque per Cerebrum, ejusque meninges, ac ductus, cum sanguine remeantes continentè illius plexus, glandulásque vellicare, undè etiàm liquor nervorum, & universa Hegemoniarum operationum Oeconomia coafficiatur, siquidem ros ille è sanguine per Cerebri corticem exibans, quo universa Animalis regio irroratur, & viviscit, ex vitiata utriusquè diathesi, omnia perturbat, depravat, atquè adigit in furorem. Cum itaque cō deuentum est, ut partes Vitæ, & Rationi destinatæ perpetim laborent, à mutata tūm sanguinis, tūm nervei liquoris constitutione, procūl dubio brevi futurum est, ut æger concidat. Spes autem inheret revalescendi, si ejusmodi sanguinis, & liquoris nervorum impuritates per consueta emissaria depellantur, potissimum verò per urinas, quæ primū flavescentes, & crassæ, mox etiàm copiosiores, & sequestratæ repurgentur: quod planè usu Antimonii diaphoretici suo uitro sociati non semel peractum vidimus, sicut etiàm ope Bezoardicorum.

Sed & advertere est quod memorat Hippocrates 1. epidem. const. 3. accidisse Bioni apud Silenus decumbenti, Cratiz apud Xenophanem, & Aretonis filiæ uxori Mnesistrati, ab urinis aquosis, multis, puris,

ris, & tenuibus, post iudicationem, eos scilicet bene fuisse judicatos per dysenteriam; quasi vero istiusmodi urinæ post coctionem apparentes crisim portendant per alvum futuram. Possunt quoquè haemorrhagiam è naribus præsignare, præsertim in Juvenibus, si postquam diù probæ visæ, repente attenuentur, & incrudecant, morbo ad declinacionem perduto.



### *APHORISMUS LXXIII.*

*Quibus Hypochondria suspensa murmurant, lumborum dolore superveniente, iis alvi humectantur, nisi flatus erumpant, aut urinæ multitudo proveniat. Hæc verò in febris.*

**D**E veritate istius Aphorismi valdè dubitat Argenterius, quippè qui non tam facile exstinet, quomodo tria hæc genera evacuationum accidere possint in febris ex hypochondriis inflatis, & dolore lumborum. Verum si in memoriam revocentur, quæ alias à Nobis, *hoc eodem cap. 11 libro*, sunt recensita, benè poterunt, quæ hic ab Hippocrate referuntur, Rationi, atquè Experimento congruere. Inflantur siquidem, tumentque hypochondria à flatibus, seu halitibus elevatis ab humoribus crassis simili, tenacibus, & acidis, qui non raro loca utriusque hypochondrii, occupant, præsertim vero glandulas Mesenterii, Pancreatis, & Omenti; cumque per febrim sensim attenuentur, & dissolvantur, per arterias pedentem in Intestina fe-

feruntur, vel etiā per vasa lymphica, aliōsque ductus inconspicuos deducuntur in Renes, adeoque vel alvi fluxu, vel urinā copiosiori, criticè evacuantur. De his ergo sermonem facit hoc loco Hippocrates, aīque, quibus in febribus, ( iisque potissimum, quas Fernelius omnium primus recensuit ex hypochondriis infarctis oriundas ) hypochondria timent, ac inflantur, ut suspensa, & elata fiant, si lumborum dolor superveniat, planè fieri, ut laxata alvus congestam succorum colluviem deponat, nisi aliundē in flatus exolvatur, aut per Renes deductā urinam efficiat copiofōrem. A tumidis porrō, inflatisque hypochondriis conjiciemus crassorū, consistentiūmque succorum copiam, fermentatione febri, & acidā conditione, in flatus evaporantem, adeoque epigastrum utrinquè attollentem. A murmure, & lumborum dolore conjectabimus humores ipsos jām attenuatos, & dissolutos, vergere per Mesenterium in Intestina: murmur etenim à motu eorumdem peristaltico provenit; lumborum verò dolor, à pondere Mesenterii, quod cùm lumbis alligetur, juxta ac Peritonæum, ubi flatulentis humoribus turget, gravat simūl illos, & extorquet.

Quòd verò hæc citrā Jecoris, Lienis, aliorūque adjacentium viscerum inflammationem evenire scripserit Hippocrates, colligere clare est ex 2. prognost., ibi: *Præcordiorum dolores, ac tumores, si fuerint recentes, & non cum inflammatione, solvis murmur in præcordio obortum, & maximè quidem si transferit cum stercore, & urina, ac flatu; sì minus, etiā ipsum per se, si transferit, prodest.* Dixerat autem lib. I. ejusd. oper. tumores omnes in hypochondriis subortos, intèr initia quidem, mortem brevi affuturam significare; post dies viginti

vc-

verò, febre non desinente, ad suppurationem converti. Ea autem, quæ in hoc Aphorismo memorantur, his profecto non consonant, cum & Nos compertum habeamus, sèpiùs felicitè successisse, ex turgidis hypochondriis febres epatas, alvo, quæ priùs adstricta erat, laxata, aut copiosiori urinâ, solutas. Verum, ut id promptius, feliciusque continat, medicamentis insistendum, quæ amarore acomrem corrigant, & incidendi, attenuandique vi, crassos humores ad exitum disponant.

*APHORISMUS LXXIV.*

*Quibus speratur abscessus futurus ad articulos, eos liberat ab abscessu urina multa, crassa, & alba, qualis in laboriosis febribus, quarto die, quibusdam incipit fieri. Si vero ex naribus fluxerit sanguis, brevi admodum solutio fit.*

**A** Libi ex eodem Hippocrate ostensum est, non raro febrentibus, ex crassis humoribus, abscessus ad articulos evenire, atquè ita febres desinere. In hoc autem Aphorismo memoratur, unde sit, quod febris, quæ desituta per abscessum visa est, & indicia ejusdem prætulerit, abscessu deinde non judicetur; idque propterea fieri, à crassa, & albâ urinâ affluentè profusa. Evidenter ubi humores in artus ferendi, vias urinarias petunt, forte tenuiores, fluxioresque redditi, procùl dubio vindicabunt ab abscessu. Verum tamè oportet crassam simùl, albam, & copiosam excerni urinam: etenim hâc ratione certi erimus, illos eisdem humo-

comm:  
31. hu-  
jus,

*Par. II.*

*Y y*

